DEGL'

ISTORICI

DELLE COSE

VENEZIANE,

I quali hanno ſcritto per Pubblico Decreto,

TOMO SETTIMO,

CHE COMPRENDE I SEI ULTIMI LIBRI

DELL' ISTORIE VENEZIANE

LATINAMENTE SCRITTE

DAL SENATORE

ANDREA MOROSINI



IN VENEZIA, MDCCXX.

Appreſſo il Loviſa.

CON LICENZA DE' SUPERIORI, E PRIVILEGIO.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

BIBLIOTEKA PUBLIKE
"MARIN BARLETI"
SHKODER (2018)

EPITOME.

XV-virum, qui ad X-viros adscribebantur, magistratus, re magnis contentionibus agitata, est abrogatus. Kalendarium emendatum, annusque instauratus nova Gregorii XIII. constitutione, cui tamen ne parerent Graecae Venetorum insulae, Senatus impetravit. Amurathe in Persicum bellum verso, cum Florentini & Melitenses Equites libere toto mari piraticam facerent, horum galeonem Contarenus cepit. Ad Aquilejense negotium Pontifex redierat, cum, illo intermisso, ad Christianorum in Turcas arma concitanda curam omnem vertit, Latinumque Ursinum hac de re Venetias misit. Melitensium insolentiam, quatuor eorum triremibus captis, Philippus Paschalicus repressit. Eadem a Pontifice iterum de negotio Aquilejensi jactata: novae cum Florentinis ac Melitensibus ob maritimas excursiones discordiae exortae. Japoniorum Regum ad Pontificem legati Roma discedentes, Venetias accessere. Sub id tempus Gregorius XIII. mortuus est, ejusque in locum Xystus V. suffectus. Res Aquilejensis hoc Pontifice composita, omnisque simultatum materia sublata est. Qui rerum suarum status esset, Galliae Rex Henricus Senatui significavit. Nicolao Pontio Principi, qui e vivis excesserat, Paschalis Ciconia subrogatus. In Ludovicum Ursinum, intercluſa laqueo anima, ob enorme facinus animadversum est. Centum aureorum millia Galliae Regi Senatusconsulto Patres mutua dedere. Varii bellorum civilium in Gallia eventus, Hispanorumque contra Anglos conatus narrantur. Quod Henrico IIII. a Gallis post alterius Henrici mortem Regi salutato Senatus gratulatus erat, Xystus conquestus est, ejusque Nuncius, Messio oratori Principis conveniendi copia facta, Venetiis discessit; qui tamen redire a Pontifice jussus est. Respublica Henrico nihilominus favit, a quo alienus Pontificis aliorumque Italorum Principum animus.

HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI

LIBER TERTIUSDECIMUS.

1582 *Venetiarum situs praestantia.*

NEminem ego arbitror, Venetias unquam accessisse, qui non summa admiratione captus fuerit, mediis aquis sitam urbem, nullis aggeribus, nullis mœnibus, nullis propugnaculis protectam, ab omni hostium impetu tutam atque inexpugnabilem esse. Quod sane vel præteritorum temporum ad posteros memoria transmissa, vel experientia quoque ipsa hoc sæculo compertum fuit; dum Europæ Principes sociatis armis in Venetos conversi, ferro atque incendio proxima urbi loca depopulati, ad continentis usque marginem se provexissent, ex qua frustra immanes tormentorum globos in urbem, nullo incolarum timore aut damno, inferquentes, summa verecundia ac dedecore perfusi discesserе. Id certe ad diuturnitatem imperii haud parum conduxisse neminem inficias iturum reor. Quam enim in toto fere terrarum orbe urbem inve-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1582 nias, quæ aliquando hostiles impetus perpessa, aut æquata solo, aut absumpta flammis, civium corpora vel in servitutem abstrahi, vel hostili mucrone confossa non inspexerit? Sed quamvis hæc tam vera sint, ut nulla invidorum, vel obtrectatorum malevolentia in dubium verti queant; nihilominus, quod per tot rerum humanarum casus jam mille ac ducentos annos liberi Veneti imperitent, illud in primis, secundum Deum, excellenti Reipublicæ formæ tribuendum existimo, ex qua ea instituta ac leges promanarunt, quibus firmissimis radicibus innixum imperium, inconcussum immotumque perseverat. Neque enim ei illapsa mala sunt, quibus perturbatæ atque eversæ aliæ Respublicæ pessum tandem ivere. In illustri etenim, verum lugubri monumento positæ sunt Græcorum civitates, Romanoque Imperio æmula Carthago, quæ non tam hostili ferro, quam dissidentibus civium animis periere: Roma denique ipsa, quæ; ferocibus nationibus gentibusque perdomitis, post æquatum orbi terrarum Imperium fatiscens, suaque mole laborans, intestinis civium odiis ac factionibus divulsa concidit; ut interim quæ postea rebuspublicis non modo, sed monarchiis quoque acciderint, prætermittam. Ab hisce malis quod immunis Respublica Veneta fuerit, post Deum Optimum Maximum, mirabili eximioque regimini tribuendum putaverim; in quo ita electioni sors admixta est, ut cum iter nemini ad Rempublicam capessendam intercludatur, tum virtuti maxime pateat; in quo libertas cum floreat, tamen effrenata libido ac licentia civium a legibus coerceatur; in quo demum cum æquo jure omnes ad magistratus nitantur, nulla tamen tutior ad eos obtinendos suffragatio, quam virtus charitasque in patriam habetur, quæ cum per omne Reipublicæ corpus permeet, cives indissolubili nexu conglutinat atque adstringit.

Veneta Reipublicæ excellens forma.

Additionis ad Decemvirum collegium institutionis narratio.

Neque vero quis hæc assentationis me gratia dicere, quam prorsus odi, sibi persuadeat; quid enim ab hac scribendi ratione magis abhorret? sed quia ita se rem habere ea patefaciunt, quæ hoc tempore contigerunt, in quo Quindecim virum, qui majoribus comitiis singulis annis ad Decemviros adscribebantur, magistratus desiit. Iis, cum antea gravissimis in rebus a Decemviris vocati absque suffragii jure sententiam dice-

dicerent, anno M. CCCC. LXVIII. majoribus comitiis decernendi facultas est tributa. Inde, quindecim hisce Adjunctis, collegium viginti quinque effectum est. Cui cum Princeps una cum sex ei assidentibus viris, qui *Consiliarii* vocantur, præesset (omnibus enim collegiis & conciliis Princeps ac Sexviri intersunt ac præsunt) ad duos ac triginta deliberandi jus pervenit. Ii ardua negotia, quæque ad Reipublicæ statum maxime spectarent, pertractare consueverant; perdifficilesque deliberationes excutere, utque eis extrema manus imponeretur, ad Senatum deferre. Verum, quia ita natura comparatum est, ut bonis initiis atque exemplis orta paulatim degenerando, uti mortalia cuncta, immutentur; sensim ejus collegii auctoritas usque eo se provexerat, ut limites, intra quos per multos annos se continuerat, transgressa, plerisque Senatoribus, licet intimos animi sensus obtegerent, suspecta & molesta redderetur; ac nonnulli occulto voces dissiparent, quibus immodicam nimiumque sese efferentem potentiam carperent; quod præsertim eo anno multa legibus adversa fecisse dicerentur: publicam pecuniam nimis liberaliter in gratiam privatorum hominum effusam: patricios plerosque majorum comitiorum legibus solutos: alios, qui vel per ætatem arcerentur, vel tempus, quo post exactos honores ad alios capessendos lege minime idonei sunt, nondum exegissent, ad magistratus admissos: cuncta fere ad se traxisse: quæcumque peterentur, facillime ac large tribuere. Itaque kalendis octobris cum comitia pro quindecim Adscriptorum collegii creatione inirentur, duodecim tantum, reliquis prætermissis, quod dimidiam suffragiorum partem non tulissent, delecti fuere. Quarto demum die denuo ad reliquos legendos comitiis vocatis, unus Joannes Corrarius est adlectus. Exinde per aliquot dies haud meliorem exitum res habuit; immo e sermonibus, qui non occulto, sed palam dispergebantur, suffragia inhiberi, suspiciones increpere, non in eos, qui adversus leges feciſſent, sed in magistratum ipsum invidia conflari cœpit. Eo evectus perculsa Patrum ac Præconsultorum in primis mentes, ne inde Respublica aliquid detrimenti accidere posset, vereri: nimium eum procul dubio auctoritatem excrevisse, quæ cancellis veluti quibusdam comprehensa plurimum Reipublicæ profuisset. At minime ob id

A per-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1582 permittendum, ut ea tabes ad magiſtratum perveniret, ſummaque majorum prudentia inſtitutum concilium collaberetur: ſi qua in re lapſum foret, corrigi, moderari, nimiam circumſcribi auctoritatem oportere. Igitur variis conſultationibus re agitata, tandem majoribus comitiis Conſiliarii legem tulere, qua, lege anni M. CCCC. LXVIII. ad ſalubriorem formam redacta, intra certos terminos Decemvirum Adjunctorumque auctoritas cogebatur, atque pecuniæ publicæ erogandæ modus præſcribebatur: de abditis atque arcanis negotiis ad Senatum referretur; eoque tantum conſulto decerni poſſe cavebatur. At Franciſcus Gradonicus, Quadragintavirum capitalium Magiſter, ſic adverſus legem dicere eſt exorſus.

Lex de auctoritate Decemvirum conſilii eum conditione reformanda.

Franciſci Gradonici oratio.

Inficiari nequeo, præſtantiſſimi cives, qui ſuprema hæc comitia conficitis, diu me hæſitantem, ancipitique conſilio diſtentum varias in partes animum verſaſſe, antequam in conſpectum iſtum ampliſſimum prodirem, atque ex eo loco verba facerem, ex quo præclariſſimi viri, diuturno rerum uſu atque eloquentia inſignes dicere conſuevere; quibus ſane rebus cum me penitus deſtitutum ſentirem, mei periculum absque jactura facere non poſſe ſatis animadvertebam. Sed omnia cum meus in patriam amor & charitas, tum munus Quadragintavirum Magiſtri, quo obſtringor, vicit, neque paſſus eſt, ut, quæ e Republica eſſe exiſtimarem, ſilentio præterirem, officiumque deſererem, quod cum vita tantum extingui debet. Neque me fugit, difficile admodum eſse iis de rebus diſſerere, quæ cum ad omnes ſpectent, tum ſinguli ſuo ingenio, & conſilio metiuntur. Attamen illud in primis me reficit, animosque addit, quod cum nil mihi, præter publicam utilitatem, ſtatuerim, non minus attente, quam benigne vos audituros confido. De iis enim legibus inſtitutiſque tuendis agitur, quibus alta atque educata Reſpublica, ad eam quam modo cernimus exiſtimationem atque amplitudinem excrevit, quibus ſevere ac rite ſervatis, ingenti felicitate ac tranquillitate cuncta proceſſere; contra vero neglectis, ingentia damna extitere. Quis porro ignorat, Veneti Senatus auctoritatem ac majeſtatem apud cunctas gentes egregiam conſilii ac prudentiæ laudem tuliſſe? in eo mentem totius Reipublicæ reſidere, ejus nutu ac providentia evectam civitatem, publicas privatasque auctas opes, bella geſta, confectas

fectas paces, fœdera inita, adeptum imperium, in remotiſſimas orbis regiones victricia ſigna illata? Majores etenim noſtri, qui tantam Rempublicam peperere, per totque ſæcula ad nos per manus tradidere, ab hoc ſuprem) totius Reipublicæ (quod majus dicimus) conſilio in reliqua veluti membra poteſtatem derivarunt: ſuprema abſque provocatione judicia cum civilium tum criminalium rerum penes Quadragintaviros eſſe voluerunt; publicam tranquillitatem ac quietem, graviora & atrociora crimina Decemviris demandarunt; imperii curam atque adminiſtrationem Senatui tribuerunt. Quod vero perfracta hæc repagula aliquando fuerint, quis ad exemplum traxerit? quod fines egreſſa conſuetudo tranſilierit? Quinimmo magis voſmet ipſos excitare atque inflammare debetis, ut, ſi ulla in re majorum inſtituta minus ſervata ſint, errata corrigatis, neve eas leges, quas ſemel ratas ſanctaſque eſſe voluiſtis, violari atque abrogari patiamini. Jam nimium (proh dolor) inſpicimus, quanta vis conſuetudinis ſit: ubi arbitrio potius, quam ratione adolevit, vix, ac ne vix quidem, mutari, detorqueri, aut flecti poteſt. Quis eſt, qui præteritis biſce annis, vel prompta permittentium facilitate, vel privatorum gratia ac favore leges tranſgredi non tentaverit? Qui ea, quæ tentaverit, remiſſa hac indulgentia non ſit conſequutus? Quot quantiſque adverſus leges publica pecunia erogata? Quot magiſtratibus capeſſendis minime idonei lege ſoluti ſunt? Ut interim graviſſimarum rerum decreta in ſcito Senatu facta prætermittam. Scilicet legem a Conſiliariis latam amplectimini, ut veſtris ſuffragiis ea non modo, quæ hucuſque acta ſunt, ſuprema hac auctoritate corroboretis, ſed etiam in poſterum aditum ad ſimilia pejoraque experiendi. Etenim ſi, nondum majorum comitiorum auctoritate adhibita, adeo lapſæ res erant, tantumque a ſuis initiis deflexerant, quid hoc decreto veluti aggere conſtituto futurum arbitramini? Sicuti in humanis corporibus ſi humorum aliquis ſeſe extulerit, niſi brevi obturetur, atque medicorum ope ad ſymmetriam perducatur, aggreſcere ea atque interire neceſſe eſt: ita in imperii adminiſtratione, ſi quæ pars terminos exceſſerit, ſi quod nimium excreverit, non coerceatur ac reprimatur, quid expectes, niſi ut proceps corruat, in-

1582

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1582 *ingentemque ruinam ac ſtragem edat ? In manu veſtra totum id ſitum eſt, cives ; opem tanta in re a vobis patria ſuopte jure poſcit ac flagitat . Splendorem Senatus , Decemvirum majeſtatem , Quadragintavirum decus tuemini ; ut firmiſſimis biſce compagibus , quibus totum hoc corpus fulcitur ac ſuſtinetur , conjuncta atque connexa Reſpublica , nullo unquam tempore turbari , labefactari , aut concuti queat .*

Acris admodum ac vehemens Gradonici oratio viſa eſt : eam pro ſe quiſque vel commendare , vel carpere . Cumque omnium oculi in Patrum ora conjecti eſſent , quiſnam Quadragintavirum Magiſtri ſermonem excepturus eſſet , ecce Albertus Baduarius , Eques , Sapiens continentis , vir virtute atque eloquentia præcipuus , qui nuper legationis munere apud Cæſarem perfunctus fuerat , venia a Principe & Conſiliariis petita , ſuggeſtum aſcendens , in hunc fere modum eſt locutus .

Alberti Baduarii oratio .

Libenter ab hoc dicendi munere in graviſſima præſertim hac cauſa abſtinuiſſem , alios audire , mihi in ferendo ſuffragio ſatisfacere contentus , niſi laceſſitus , ac prope ita impulſus fuiſſem , ut me cohibere vix poſſem , quin meam ſententiam vobis , præſtantiſſimi cives , quorum virtute univerſa Reſpublica nititur , aperirem , cum præſertim neque ira incenſus , neque privato ſtudio ductus , quæ aliena a publicis conſiliis eſſe debent , ad dicendum accedam . Quot enim Reipublicæ irarum , privatarumque perturbationum pœnas dedere ? Iis vacuus ſi Quadragintavirum Magiſter fuiſſet , in graviſſimi præcipuique in Republica concilii actiones ac decreta linguam non acuiſſet , neque ea probra & maledicta effudiſſet , quibus unumquemque veſtrum vehementer commotum eſſe animadverto ; immo ſi quid adverſus leges , inſtitutaque actum eſſet , ei in poſterum opportune occurrendum eſſe cenſuiſſet . At ille in Concilium invectus , ſi quid humana imbecillitate commiſſum eſt , eo tamquam ariete quatere atque proſternere magiſtratum peſſimo exemplo eſt adnixus ; quaſi regula per ſe obtorta , ac fallax eſſe queat , ac non potius penes illos , qui ea uti vel neſciunt , vel nolunt , error ſit . At quæſo quo in mu-

ne-

nere , negotio , magiſtratu obeundo non aliquando in leges quidpiam committitur ? In humanis rebus quam invenias , quæ æquabili tenore , atque eodem curſu ſemper feratur ? Cur novæ leges , mandata , inſtituta , abrogationes , ſanctiones ; ſi nunquam ab itinere deflectitur ? ſi ſemper publicis decretis obtemperamus ? ſi ſtatutos a prudentibus limites non egredimur ? Nolo mordicus tueri , in tot Decemvirum , Adſcriptorumque decretis fortaſſe aliqua inveniri non poſſe (licet pauca ea ſint) quæ aliqua in re caſtiganda & corrigenda ſint . Concedo , quandoque non omnes leges in conſilium adhibitas fuiſſe . Addo etiam , adverſus leges nonnunquam factum . Nunquid ob id in magiſtratum invehi ? nunquid inſtituta corrumpere oportet , quibus per tot annos publicæ res adminiſtratæ ſunt ? An ea , quæ majores noſtri ſumma ratione inſtituere , quæ toties ſunt experti , ingens veſtra prudentia delebit ? veſtra inquam prudentia , qui hoc imperium ab iis accepiſtis , qui ſingularem ſapientiam , eximiamque eorum in patriam charitatem ad vivum exprimitis ? Cur , ſi quid humani irrepit , non tollimus ? cur , ſi qua in re peccatum eſt , non corrigimus ? cur legem a Conſiliariis latam non ferimus ? Qua ne minima quidem ex parte Senatus auctoritati ac majeſtati derogant , ſed ea illibata atque intacta præclari hujuſce regiminis fundamenta concilii , quod ſemper in Republica graviſſimum habitum eſt , auctoritatem tueri ac confirmare nituntur . Quis enim inficias iverit , ac non invitus quoque fateri cogatur , ſæpius ex ejus conſultationibus ac decretis immenſa prope commoda , quæ vix fando enumerari queant , ad Rempublicam manaſſe ? Quæ ut multa ſint , unum pro cunctis in omnem poſteritatem fama propagabit , pacem nempe cum Selymo Turcarum Rege nuper ſancitam , qua effectum eſt , ut jactata procellis ſævaque tempeſtate quaſſata Reſpublica , tandem incolumis portum ſubiverit ; cum antea triennii bello confecta , ab amicis deſerta , veluti navis , abſciſſis velis , diſruptis antemnis , confracto malo , remigio nudata , præſens naufragium expectaret . Quis neſcit hoc unum facile patefactum , quantum Reipublicæ interſit duabus biſce veluti an-

1582

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1582 *anchoris ingentem hanc navem niti . Præsunt huic Collegio Princeps , quo totius Reipublicæ majestas repræsentatur , atque una sex Consiliarii , Decemviri ; Quindecim Adscripti una cum iis suffragia ineunt ; majoris mediique ordinis Præconsultores a Senatu lecti intersunt : Triumviri Advocatores , quibus legum custodia concredita est , adsistunt . Quid ambigimus ? Quid hæsitamus (facessat hinc omnis suspicio) non omnia ex supremi hujus consilii sententia eventura ? Ita regiminis formam a majoribus constitutam retinebitis ; malis , quæ humanæ naturæ vitio nonnunquam illabuntur , obviam ibitis ; ingentis hujusce corporis membra mirabili quodam nexu inter se conjuncta servabitis ; non , uti suadere Gradonicus studet , corrumpetis , exuretis , præcidetis : qui sane , si pacato ac quieto animo sese ad gravissimum hoc negotium examinandum contulerit , minime vereor , ne legem latam ultro suo quoque suffragio amplexetur , quam vos , præstantissimi cives , communi consensu , communi suffragio probaturos mihi certo suadeo ac polliceor .*

Magno fere omnium applausu Baduarii oratio est excepta , optimis certissimisque rationibus legem corroboratam fuisse iis præsertim opinantibus , qui maturitate diuturnoque rerum usu in Republica præstarent . Verum occumbente sole , cum lege , ne in comitia lumina inferrentur , caveretur , aliisque suggestum conscendere volentibus , rejecta in alium diem res est . Variis interim sermonibus de iis , quæ dicta fuerant , passim disceptatum ; denuoque discrepantibus sententiis iisdem in comitiis per aliquot dies agitata res est . Inter ceteros ingenti omnium expectatione Federicus Baduarius , magnæ existimationis civis , qui insignes magistratus nactus , legatione multis ante annis apud Carolum V. Imperatorem functus , privatam vitam tunc agebat , est auditus : multa de priscorum prudentia , , de Reipublicæ constitutione , de majorum comitiorum , Decemvirum , Senatusque auctoritate perlocutus : *Leges condere , magistratus deferre , concilii ex universa nobilitate coacti præcipua munera esse : ad Decemviros in publicæ quietis perturbatores , seditiosos , gravibusque noxis coin-*

Federici Baduarii oratio .

coinquinatos jus esse : reliqua capitalia delicta ad Quadragintaviros capitales spectare : in civilibus , urbanisque negotiis provocationes ad vetus , in peregrinis ad recens Quadragintavirale concilium pertinere : ceterum bella , paces , fœdera , publicam pecuniam , arma in Senatus potestate esse . Tum ad egregiam illius formam transgressus , mirabili , ac prope divina prudentia ita constitutum esse affirmabat , ut ex omnium ordinum temperamento coalesceret : *Non consultis senilem gravitatem , plerumque tardo incedentem gradu , officere ; non juvenilem impetum nimium efferveſcentem incitare ; at firmo constantis ætatis robore utrisque connexis ea decreta prodire , quæ neque lentore frigescerent , neque nimio ardore flagrarent , quæque ab una veluti mente profecta , exacti judicii trutina expensa , prudentiam fortitudinemque redolerent .* His aspersus sententiis totus Federici Baduarii sermo fuit : palam vero quid sentiret (arte fortasse factum) minime enunciavit . Itaque ut gravitatis maturioris que eloquentiæ laudem tulit , ita in eo plerique apertiorem sententiam expetivere . Sed vehementes Hieronymi Prioli , ac Joannis Superantii orationes magnum pondus ad comitia flectenda habuere , quippe qui , omni fere ætate in gerenda Republica absumpta , Patrum animos in Senatu versari assueti , plurimum dicendo poterant . Superantium postremo loco in hanc sententiam locutum fuisse constat .

Joannis Superantii oratio .

Dum mecum ipse reputo , tot jam elapsos esse dies , quibus de gravissimo hoc negotio agitur , neque post tot insignium Senatorum sententias expediri consilia , ad exitumque rem perduci posse , dum universam civitatem hæsitabundam magna atque incredibili expectatione teneri animadverto , summa me molestia ac mœrore , præstantissimi cives , affici fateor ; non quia ex hac dissentientium opinionum varietate aliquid Reipublicæ pertimescendum putem ; quia enim ex re cunctorum civium ad libertatem ac patriam conservandam conspirantium voluntas ista , atque ardor infringi vel minui potest ? sed tamen sermones , qui per ora vulgi seruntur , me non mediocriter perturbant , ne per omnem Italiam dissipati , atque fortasse ad majorum Principum aulas delati ,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1582 *lati, iis, qui vel rectæ hujus Reipublicæ conſtitutionis ignari, vel amplitudinis invidi ſunt, in majus cuncta exaggerandi, perplexaque hæc conſilia carpendi, haud parvo veſtræ dignitatis detrimento, anſam præbeant. Itaque non minus utile, quam neceſſarium eſſe reor, ut tandem aliquid hac in re ſtatuatis; cum præſertim, ni fallor, ſatis conſtet, eos qui hactenus ex hoc loco dixere, nulla ratione in legem invectos, id ſolum adnixos fuiſſe, ut mentibus ambiguitate implexis timorem, ſolicitudinem, ſuſpicionem inſtillarent. Haſce veluti nubes ſi pellere, atque penitus ex animo ejicere velimus, quam nullius momenti ſint, quæ objecta fuere, ſtatim inſpiciemus. Quamvis enim palam magiſtratum extinguendum diſſeruit, quis priſcam atque inveteratam regendæ Reipublicæ formam reprehendere eſt auſus? Id unum tantum omnes objiciunt, leges violatas, pecuniam profuſam, ſolutos legibus cives, res prolapſas: quibus ſi obviam itur, ſi errata corriguntur, ſi malorum radices evelluntur, cur cunctatione amplius utendum arbitramini? Cur ultro ſaluberrimam hanc legem non amplectimini? Non repente orta, non momento extructa, at multorum annorum, immo potius ſæculorum ſpatio, nunc addendo, nunc minuendo, ac pro temporum varietate conſilia adhibendo, ad ſummum egregia hæc & conſpicua publici regiminis moles perducta eſt. Si qualibet ex cauſa, ſi levi quopiam errato in concilia ac magiſtratus animadverſum eſſet, profecto per tot temporum ſucceſſiones immota Reſpublica minime ſtetiſſet. Incerta, inconſtans, continentibus jactata fluctibus, in ingentes illas tempeſtates incidiſſet, quas reliquæ civitates perpeſſæ, tandem extremas calamitates ſubiere. Verum ad vos, ampliſſimi cives, orationem converto. Quænam totius publicæ auctoritatis origo? Quis conciliorum, quis magiſtratuum opifex? Quis legum ad Reipublicæ regimen attinentium auctor? Nonne iſtud ex tota nobilitate concilium, civitatis hujuſce fulcrum, Reipublicæ fundamentum, univerſi imperii propago? Quid igitur? nonne in ejus poteſtate ſitum eſt, pro temporum atque eventuum conditione modo addere, modo demere, nonnunquam immutare? Eſto, quod tamen minime concedo, ali-*

aliquid ea lege contineri, quod certiori regula, exactiorique indagine egeat: at eo vel tempore vel experientia patefacto, quis, ne opportuna, prout res propoſuerit, remedia adhibeamus, prohibebit? Cur quæſo antea rejicere legem volumus, quam uſu, optimo rerum magiſtro, experiamur? An ita, uti Conſiliarii cenſent, res ſe habeat, an ſecus, probemus. An non ſemper penes nos erit, latam legem exequi, abrogare, moderari? Si rejicitis, acta res iam erit, neque facile, lapſa opportunitate, quod modo manibus tenetis, conſequi poteritis. Si amplectimini, quid inde damni, quid incommodi pertimeſcitis? Vobis ea lex placebit, utemini: in aliquo deficiet, corrigetis; diſplicebit, aufertis, abrogabitis, delebitis. Ejusmodi vobis remedium proponitur, ex quo nullum publicis rebus detrimentum, plurima eaque maxima bona extare poſſunt. In veſtra poteſtate, in manu veſtra ſitum eſt, arbitrio ſubjacet veſtro: ſi renuitis, fruſtra fortaſſe in poſterum requiretis; ſi recipitis, uſu, accedente veſtro conſilio, prudentia, auctoritate, non minus confirmari, quam infirmari poterit. 1582

Hæc vehementer admodum atque concitate a Superantio dicta civium plerosque flexere; idque præ cæteris ingentem ad promovendum vim habuit, quod prius experiri, quam rejicere legem conſentaneum videretur. Itaque magno adſenſu, cunctis fere ſuffragiis, legis capita ſigillatim decreta ſunt. Neque dubium fuit, proſtridie ejus diei, vocatis comitiis, quin magno concurſu Decemviris quindecim adlegerentur. Verum cum a ſancita lege ad comitia ineunda dies octo interceſſiſſent, denuo ea diſceptari, quæ ante latam legem inter cives agitata fuerant, cœpere, in id præſertim iis, qui decretum impugnaverant, ſumma ope adnitentibus. Itaque die dominico inſequenti, de more comitiis vocatis, nemo ex iis, qui nominati fuerant, dimidium ſuffragiorum tulit; atque poſt tot actiones, decreta, ipſamque latam legem, poſt centum ac viginti annorum curriculum, inſueto ac raro exemplo, at nullo publicarum rerum detrimento, uti ſequentium temporum uſus edocuit, abrogatus Adjunctorum magiſtratus fuit.

Inſignem atque memorandum eumdem annum effecit, ad exitum perductum, Gregorij Decimitertii, Summi Pontificis, de

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1582 de anno inſtaurando, quod diù agitaverat, negotium; cui ab Auguſto uſque ad hæc tempora nemo manum admoverat. Eo vero in primis permotus Gregorius ferebatur, ut celebrandi paſchatis (quod ſupremum chriſtianæ religionis feſtum eſt) priſcam rationem reſtitueret, qua ex Niceni concilii legibus poſt quartam decimam martii menſis lunam dominico primo die a plenilunio, ab elapſo æquinoctio, peragendum erat. Cum vero æquinoctium, ob motuum ſolis, lunæque varietatem, procedente tempore, in idus martias incidiſſet, ex Concilii præſcripto paſchatis dies celebrari non poterat. Ad eam igitur rem animum Gregorius adjecit, negotioque ab aſtronomicæ ſcientiæ peritiſſimis in omnibus Europæ gymnaſiis examinari iuſſo, conſilium Principibus communicavit. Senatus literis a Gregorio requiſitus, in Patavino gymnaſio ab iis, qui mathematicas profitebantur, inter quos Joſephus Moletius eminebat, rem diligentiſſime examinari, veterumque ac recentiorum ſcriptorum monumentis evolutis, diſcuti iuſſit. Tandem Aloyſii Lilii ſententiam Pontifex amplexus, ſtatuit, ut ad ſolis lunæque motus æquandos, dies decem, qui a concilii Niceni tempore ad hanc uſque tempeſtatem effluxerant, demerentur, ſingulis quinque annis dies intercalaretur, iſque annus biſſextilis foret; quadrigentorum vero annorum elapſo ſpatio, dies alter adimeretur. Initium octobri menſe factum: nam poſt quartum nonas, ſacrum divo Franciſco diem, reliquis nonis idibuſque prætermiſſis, idus ſubſecuti ſunt. Eam Gregorii conſtitutionem promulgandam ac ſervandam in ſuis quiſque ditionibus omnes fere Europæ Principes iuſſere. Angli, Germani plerique, Græci quoque minime, ſunt aſſenſi. Id cum Patres animadvertiſſent, ne qua in inſulis ditionibuſque, quas in oriente poſſident, diſſidia orirentur, cum Gregorio egere, ut ab ea lege Cretam, Zacynthum, Cephalenem, Corcyram, aliasque inſulas Reipublicæ eximere liceret, idque facillime impetratum eſt.

Gregorii Pontificis decretum de anno inſtaurando.

Orientis Venetæ ditiones ab anni inſtaurati decreto exemptæ.

Pro-

M. D. LXXXIII.

PRoximo, qui fuit annus quingenteſimus octogeſimus tertius ſupra milleſimum, cum Amurathes in Perſide adverſus Mehemetem Codabandem dimicaret; neque, uti ſuperioribus annis aſſueverant, numero ac viribus prævalidæ claſſes Byzantio egrediuntur; minores Europæ Principes, qui aliquo maritimi apparatus genere pollebant, inimicitiarum cum infidelibus obtentu, excurſionibus maria infeſta reddere, prædas agere, navigia intercipere; non Hiſpaniarum Regis exemplo permoveri, qui prædatoria navigia, petente Senatu, ex ſuis ditionibus egredi vetuerat. Florentinorum vero in primis, ac Melitenſium triremes libere in quamcumque partem pervagando nihil tutum relinquebant, ut jam his incommodis avertendis vehementioribus remediis opus eſſet; quapropter Joannes Baptiſta Contarenus, Cretæ cuſtodiæ præfectus, Ægæum percurrens, ad Cytheram delatus, in divi Nicolai (quem *Ulemone* vocant) portu ingentem galeonem, cum quo Didacus Brocherius, Hieroſolymitanus eques, orientis maribus rapinis captivitatibusque fœdatis, ſe contulerat, cepit, captivumque Brocherium effecit. Eo eventu vehementer magnus Melitenſium Magiſter, univerſaque ejus militia angebatur. Didaci factum, quod ab eo Reipublicæ ſubjectis damna illata non fuiſſe dicerent, excuſabant, navigiumque una cum captivo repetebant. Pontifex quoque, cujus in tutela Hieroſolymitana religio conquieſcit, enixe cum Donato legato agebat, ut intacta navis Melitenſibus dimitteretur. Ea de re cum Præconſultores ad Senatum retuliſſent, navigium exarmari, nautas ad tranſtra triremium adigi, Didacum ſub cuſtodia retineri, decretum; ac, ne in poſterum piratarum audacia majora incrementa ſumeret, ſingulis maritimis præfectis juſſum, ſi quæ in pelago, quo Reipublicæ inſulæ alluuntur, triremes, myoparones, aliasque prædatorias naves invenirent, ſtatim ſpoliarent; in contra nitentes uti hoſtes, impetum facerent. Ejus decreti fama aliquam ſiſper Florentinorum ac Melitenſium auſus repreſſit.

Jacobus interea Superantius e Byzantina, qua nuper functus fue-

1583

Florentinorum & Melitenſium excurſiones.

Joannes Baptiſta Contarenus galeonem Melitenſium capit.

Senatus ad maris præfectos mandata.

Jacobus Superantius Byzantio regreſſus in Senatu refert de rebus turcicis.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

BIBLIOTEKA ... NR. INV. 9810
BIBLIOTEKA ... SHKODER Nr. Inv. 7422

1583 fuerat, legatione, ob Mehemetis, Amurathis filii, circumcisionem, advenit; quæ acciderant, ex veteri instituto Senatui exponens, celebritatem neque magnificentia neque splendore cum plerisque in Italia spectaculis edi solitis conferendam exposuit; magisque ob barbaræ gentis a nostris alienos mores, quam vel apparatu, vel pompa spectandam affirmavit. Id inter cetera ad ferox gentis ingenium patefaciendum inspectum, complures veluti æstro percitos atque insanientes ferrum in se adegisse, vulneribusque semetipsos confeciisse; alios, abdomine perrupto, sublata vexilla proprio corpore sustentasse. Amplissima in area, ubi festa peragebantur, ab utroque latere lignea ædificia in duos ordines distincta excitata fuerant; superiorem Bassæ, inferiorem Principum oratores tenebant; a dextera Cæsaris, a læva Gallorum Regis; prope Cæsareum Venetus, prope Gallum Sarmata confederat. Quæ res uti Polono parum grata, ita Reipublicæ honori atque existimationi cessit. In hac celebritate Mehemetes in speciem est circumcisus, cum antea jam turcico ritu initiatus fuisset. Multa exinde de Amurathis natura, moribus, ingenio Superantius adjecit: corpore haud satis validum, epilepsia vexari solitum, armis tractandis minime idoneum, animo in justitiam ac temperantiam proclinato, religioni studiisque rerum civilium dedito: unum tantum Mehemetem filium annorum sexdecim ætatem agentem illi esse, eumque non more majorum in Amasiam educandum amandasse, sed iisdem penes se claustris retinere, vel paterno affectu, quod unicus ei filius esset, vel, ut alii opinabantur, occulta quadam regni suspicione tactum, quod vivido admodum ingenio, in arma propensum, gloriæque studio incensum esse plerique dicerent. Quapropter cum in Persicum bellum libenter se profecturum enuntiasset, licet adolescentis animus patri pergratus extitisset; attamen nullo pacto a se illum divelli voluisse, veritum, ne, uti Bajazeti viventi a Selymo filio contigerat, ab exercitu Imperator salutaretur. Ceterum omnes Turcarum conatus in Persidem effundi; in ea tria jam summi momenti propugnacula occupasse, Teflim Albanorum civitatem, Carsum, ac Demircapim; universique belli summam in eo sitam, uter Media Atropacia (*Servanum* hodie vocant) potiretur; pro qua, quod in visceribus Persarum Regin

sita

sita esset, utrimque acriter decertari. Mehemeti vero Coda- 1583
bandæ, sexaginta annos jam agenti, atque opthalmia ob palpebrarum gravitatem laboranti, Scachum Ismaelem, unicum ei natum, egregia indole ac virtute adolescentem, primam spem esse. At, furente in Perside bello, cum eo cuncta consilia & conatus Amurathis dirigerentur, a turcicis armis christianos Principes quieturos addebat; quorum conjunctæ vires atque animi haud parum timoris barbaris incuterent, ni optime eorum suspiciones, controversias dissidiaque pernoscerent; quo acciderat, ut, quæ illis terrori atque exitio aliquando fuissent, ea minus pertimescenda arbitrarentur. Pontificium nomen ac dignitatem nullo apud eos in pretio esse, nisi quatenus ejus auctoritate cogi aliquando christianorum Principum vires posse suspicarentur; Cæsarem Germaniæ dissensionibus, virium imbecillitate fere nihili ducere; Gallorum Regem, vel itinerum longinquitate, vel veteri cum Ottomanis Regibus amicitia ægre cum aliis conventurum arbitrari; ac licet in Sarmatiæ Regem minus propenso animo essent, quod favore eorum ad regnum sublatus, ab iis, uti putaverant, pendere nollet; de illo tamen sibi non timendum, nisi Moscho jungeretur, putare; Philippum Hispaniarum Regem eorum magnitudini imminere, quippe qui Lusitaniæ accessione, quam orientalis India sequebatur, ingentia imperii incrementa suscepisset: verum bello Persico distentum, inducias cum eo pepigisse. Pontificis autem, Philippi, & Venetorum conjunctione mirum in modum pungi; qui si arctius adstringerentur, iterum infeliciter ad Echinadas experta arma verebantur. Quapropter Superantius Patribus auctor erat, quacumque ratione christianorum Principum amicitias colerent; iis & Reipublicæ existimationem augeri, & barbarorum conatus averti atque obtundi posse. Quamvis enim ad belli incendium excitandum, vel ob Uscochorum ereptiones, vel ob piratarum excursiones alimenta minime bellicosæ genti defutura viderentur; attamen inter utriusque ditionis subjectos commerciis emolliebantur; cum inde proventus publici, vectigalia, privatorumque fortunæ, alterno gentium concursu augerentur. Hæc Superantius differebat.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1583 Anni hujus initio ſemina quædam jaciebantur, ex quibus haud multo poſt varia contigere, quibus noſtris in oriente negotiatoribus ingens jactura, damnaque haud contemenda acceſſere. Nam Eliſabethæ Angliæ Reginæ ſubjecti, ad quos Veneti navigiis ac triremibus quæcumque ad utilitatem, vel neceſſitatem ſpectarent, abunde ex orientis regionibus ſuppeditare conſueverant, vel ob itinera a noſtris bello turcico intermiſſa, vel induſtrii atque ſagaciores neceſſitate ipſa effecti, jam frequentes Gaditanum fretum ingredi, luſtrare Mediterraneum, in pleraſque orientes regiones penetrare, ex Zacyntho ac Cephalenia paſſulas, quibus maxime Angli utuntur, uvas aſportare cœperant; noviſque itinerum compendiis illecti, licet tanto terrarum mariſque tractu Britanni a Byzantio dividerentur, tamen Reginæ ſuaſerant, oratorem ad Amurathem mitteret; quem multis, pretioſiſque donis ad Regis captandum, ſibique conciliandum animum contendere juſserat, ut ea in urbe eſſet, qui negotiatores Anglos tueretur. Ea legatio non minus Galliarum Regi, quam Reipublicæ moleſta fuit; omnique ſtudio Anglum dimitti Gallus contendebat: magnam injuriam Henrico fieri, dum aliis gentibus ea commercia aperirentur, quas priſca ex conſuetudine, pactiſque (Venetis exceptis) ſub Gallicis vexillis navigare oporteret. Verum irritaomnis ejus induſtria fuit, cum ex remotis adeo oris perhonorifica, multiſque muneribus adornata legatione ſibi haud parum exiſtimationis accedere Amurathes arbitraretur, novamque amicitiam veterum amicorum damnis anteferret; nimium de ſua dignitate ac decore ademptum iri exiſtimans, ſi quibuslibet ex regionibus accedentes ad ſe legationes dimitteret, ejuſque præſertim Reginæ, quæ diviti ac præpotenti regno imperitans, famam femineæ virtutis per orbem propagaſſet.

Angli in orientem navigare inſtituunt.

Galli, ut Anglus orator a Turcis dimittatur, nituntur.

Dum hæc in oriente geruntur, tumultus adhuc in Belgio ſæviebant; neque Luſitaniæ res quietæ erant. Nam cum Antonius in Galliam trajeciſſet, quacumque ratione proſtratas perditaſque res erigere nitebatur. Jamque in ſermone omnium erat, Reginam matrem, ne Indiæ orientalis regiones in Hiſpanos concederent, conſilio viribuſque Antonio non defuturam, priſcis etiam quibuſdam in Luſitaniæ regno, quod ſibi aſſe-

Antonius Luſitanus Gallorum & Turcarum auxilia poſtulat.

aſſerebat, juribus excitatis. Ad extremam quoque Turcarum opem Antonius confugerat, ſuumque Byzantium hominem miſerat, qui Amurathem ad auxilia maritima ſubminiſtranda (eo enim anno Uluzzalium cum triremibus quinquaginta emiſerat) incitaret; qua in re Gallus ei orator Byzantii haud parum favebat. Ex iis cum inter Reges diuturna pax interturbari poſſe videretur, Veneti cum Gregorio agebant, ut ſua auctoritate eas ſuſpicionum nubes, quæ paci publicæ officere poſſe viderentur, diſcuteret ac depelleret. Ille vero officio minime defuturum pollicebatur, licet minime ob id ad apertum bellum Reges deſcenſuros diceret: Philippo multis implicato curis præſentium rerum mutationem nequaquam conducere: eadem Henricum mente eſſe, cum in Gallia adhuc civilium diſſenſionum reliquiæ reſiderent: Belgicum bellum diuturnitate atque aſſuetudine in naturam verſum, lentæ febris in morem, populos depaſcere: ac ſi forte aliqua ab Amurathe ad Antonii res fovendas navigia ac triremes permitterentur, eo pacem publicam violatum iri non arbitrari.

1583

His fiebat, ut Gregorius, alio traductis curis, in eaſdem, quas antea ſuſceperat, ſolicitudines relaberetur; priſtinoque animi ardore intermiſſum Aquilejenſe negotium reſumeret; cum præcipue Donatus ſignificaſſet, ipſum literas, quas *Breves* vocant, ad Rempublicam meditari. Qua de re cum agitatum inter Præconſultores eſſet, juriſque ſcientiæ peritorum, atque excellentium hominum perquiſitis ſententiis; non alia ratione publica jura defendi poſſe viſum eſt, quam Campegio ad Principis Patrumque Collegium cum literis accedente, antequam acciperentur, aut perlegerentur, ſcripto ex Senatus decreto denuntiaretur: *Patres quidem, uti obſequentiſſimos Apoſtolicæ Sedis filios, recitari literas juſſuros; verumtamen ſi qua in re libero Reipublicæ juri officere aut derogare iis Gregorius velit, nullo facto Senatum adſenſum præbere; quidquid perlectum foret, nullum irritumque habiturum.* Pridie kal. julias legatus literas exhibuit: eæ antequam recitarentur, Senatus conſultum perlectum eſt. Literarum ſumma erat: *Aquilejenſe negotium propter eorum, qui ſe illi immiſcuerant, auctoritatem eo uſque Gregorium diſtulisse, Leonardum Donatum, & Joannem Superantium, alterum ordinarium, alterum extra ordinem oratores audiſſe; ſemperque*

Gregorii Pontificis de Aquilejenſi negotio ad Senatum literæ.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1583 *concordiæ rationem aliquam iniri posse sibi suasisse : modo neque suæ dignitatis esse, ut res amplius extrahatur, neque id Aquilejensis ecclesiæ jura permittere ; quæ cum violata ac turbata essent, Dei Optimi Maximi oraculo significare, Senatumque monere, ut majorum suorum instituta atque exempla imitatus, e suo potius aliquid erogare, quam ne minimum quidem de Aquilejensis ecclesiæ jure sibi vendicare velit : id si faciat, Divinum numen suis cogitatis & votis propitium sensurum ; sin vero ea in causa aliquid adducere pro jure suo velit, quamprimum efficeret ; nam eo, quem statuere sibi visum esset, termino elapso, ex lege ac jure, sententiam laturum.* Literis perlectis, Senatus iussu Jacobus Menochius, canonici, Guido Pancirollus, civilis juris scientissimi, in Patavino Gymnasio publice profitentes, Venetias adcersuntur ; adjectus quoque Petrus Paulus Rutilius, *diplomatis*, ut ajunt, *advocatus*, qui postea in eodem Gymnasio jus Canonicum est interpretatus.

Eorum prius exquisitis sententiis, quo quid jure præscriberetur, cognito, commodius consuli posset ; mox Senatus consulto responsum. *Qua decet, reverentia atque observantia Gregorii literas acceptas fuisse, quibus hortabatur, ut, quæ Aquilejensi Antistiti erepta jura diceret, restituerentur ; si qua Senatus pro se haberet, adduceret, termino elapso, sententiam laturum. Eas literas immerenti Reipublicæ ingentem molestiam attulisse, quippe quæ dignitatis sanctissimæ illius Sedis, atque adeo ipsius Gregorii studiosissima, neque minus in Aquilejensis ecclesiæ juribus tuendis solicita semper extitisset, a qua Grimanus Antistes summis officiis publicæ benignitatis & gratiæ excultus fuerat : ne minima quidem in re rationibus illius detractum ; sua tantum sarta tectaque conservare Senatum enixum, publici obsequii argumenta Pontifici cumulate præstitisse. Dolorem vero eo augeri, quod ejus causæ judicium, adversus ea, quæ sæpius summa adseveratione affirmaverat, trahere ad se vellet ; in id Senatum nunquam consensurum : obnixe propterea Gregorium rogare, ut tandem acquiesceret, iisque contentus esset, quæ in ejus gratiam facere Senatus voluisset, quem sane, majorum vestigiis insistentem, Apostolicæ Sedis observantissimum, Divini cultus studiosissimum, in defendenda ac propaganda religione flagrantissi-*

Senatus responsum.

timum semper experturum. Hæc summa literarum fuit ; quibus literis sisti aliquantisper Gregorius, ac nonnihil de pristino illo animi ardore remittere visus est, atque ad ea, de quibus actitatum antea fuerat, res rediit. 1583

Gregorius Pontifex Christianos Principes contra Turcas concitare nititur.

Quapropter graviora tunc animo consilia agitare cœpit, opportunam in Amurathem Persico bello occupatum christianorum Principum arma concitandi occasionem ratus, quæ cum jam inde ab illius belli initio meditaretur, Antonium Possevinum in Sarmatiam ac Moschoviam miserat, ut armis decertantes Reges componeret ; qui cum in ea re, ut diximus, præclaram operam navasset, in Italiam reversus, Pontificis animum ingenti spe repleverat, testatus, aliorum christianorum Principum mente perspecta, Sarmatam ac Moschum in communem hostem socia arma moturos. Iis confirmatus Gregorius, negotium aggressus, Latino Ursino, summa Cretensis militiæ præfectura a Senatu ornato, Venetias proficiscenti, haud exigua benignitatis argumenta præbuerat : multa de sua in Venetos voluntate, complura de Reipublicæ laudibus adjecerat ; iterumque ad se vocato, ut sua Patribus consilia aperiret, præcepit.

Latinus Ursinus Senatum Pontif. nomine ad bellum turcicum hortatur.

Itaque Ursinus cum ad urbem accessisset, Principem Patresque conveniens, exponit : *Ob eas, quæ nonnumquam inter Principes controversiæ oriri solent, negotia, in quibus publici boni momenta vertuntur, perverti aut deseri æquum non esse, Gregorium arbitrari : ac sane, si ita obtigerat, ut inter se ac Rempublicam Aquilejenses difficultates adhuc vigerent, e re communi non esse, ut ingentium rerum orsus perturbarentur ; neque quod aliquando acerbior in Rempublicam visus fuisset, ob id quidquam de suo in eam studio ac benevolentia imminutum ; non secus cum Republica, quam pater cum filio, acturum.* Hæc præfatus adjicit : *Nunquam antea communis obtundendi hostis melius opportuniusque tempus Divina providentia oblatum fuisse ; dum gravi ac difficillimo bello in Persida distentus immensam prope auri vim profunderet, ingentes copias amitteret, nervos imperii proteret ; a quo bello si aliquando ei respirare, viresque reparare datum fuerit, quis ambigat, non Principibus cunctis, Reipublicæ quæ præsertim, vel propter latissimos fines, vel ob Cretæ longinquitatem, vel ob continentes dissidiorum causas, formidolosum fore ? Itaque*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1583 *præter ceteros in hoc defigere, omnes cogitationes & consilia Patres debere; neque specioso pacis nomine se tutos ab insidiis arbitrari, quas sua non minus, quam totius reipublicæ christianæ iactura superioribus annis experti fuissent, dum post pacis a Selymo subsignatas conditiones, nulla fidei, nulla jurisjurandi habita ratione, impia in Rempublicam arma conversa sunt. Modo a perpetua se suspicione eximendi, ab animo anxium timorem depellendi, ademptas maritimas ditiones repetendi tempus esse. Philippum Hispaniarum Regem de novo inter ipsum, Pontificem, ac Venetos fœdere percutiendo Romæ egisse; mandata eam ad rem conficiendam dedisse: optima spe niti, Cæsarem quoque adjunctum iri, quippe qui ob finium propinquitatem quotidie gravia atque intoleranda a Turcis pateretur; depopulari agros, subjectos in miserum servitium abduci, nullum crudelitatis atque sævitiæ genus in eos prætermitti intelligeret. Sarmatam quoque ac Moschum, bello, quo per multos annos decertaverant, fine imposito, nomina daturos; minores Italiæ Principes reliquorum auctoritatem ac potentiam subsecuturos. Adhortatorem atque impulsorem eum Regem esse, qui præ ceteris emineret, qui nuper Lusitaniæ atque Indiæ orientalis accessione, potentiæ ac virium ingentia incrementa acceperat: neque superioribus ætatibus oblatam, neque in posterum majorem opportunitatem affore; dum Respublica rogatur, non rogat; invitatur, non invitat: si hæc præclaræ rerum gerendarum momenta amittuntur, quantas humanarum rerum vicissitudo secum ipsa mutationes trahat, quis ignorat? An æternum hoc Persidis bellum futurum arbitramur? an eadem mente Principes semper fore confidimus? Dum fortuna aspirat, dum prosperis eventis a Deo Optimo Maximo magnè aditus panduntur, instandum, urgendum; cum præsertim is modo Byzantii rerum potiatur, in quem majorum suorum ingentes illi spiritus minime confluxere; non arma tractandi gnarus, otio deditus, periculoso ac longinquo implicatus bello; præferocis Turcarum gentis animi fracti; militaris disciplina corrupta, obedientia imminuta, quibus olim tanti imperii molestabat; ut jam omnia christianos Principes ad se ipsos expergiscendos, felicemque excipiendam fortunam, quam semel elapsam frustra requiremus, adhortari videantur. At, si quidpiam præ-*

præteritarum rerum hæreret animis, omnia Gregorium depulsurum; Hispanorum cunctationi, aliisque incommodis obviam iturum; ac, si opus sit, proximo septembris mense Bononiam venturum; in ea civitate Reipublicæ legatos opperiturum, ut mature cuncta agitari & confici possent. Hæc cönsilia sibi Roma proficiscenti Pontificem, uti Patribus patefaceret, mandasse; hac legatione se magna voluptate perfusum, quod ad leniendos Principum animos, atque ex Aquilejensi negotio affectas mentes sedandas ipse potissimum adhibitus fuisset. Senatum hortari, in ingens adio negotium incumberet. Si terrestres Christianorum Principum copiæ in Turcas moveantur (inquit) *fert animus, licentiæ aliquid militari tribuatur, decem peditum millibus Byzantium petere, Reipublicæ vexilla ea in urbe explicare, Græciam ac Peloponnesum recuperare; satius sibi esse, spe imperii proferendi, atque veteres injurias ulciscendi cum hoste dimicare, quam fluxa atque parum stabili pace omnes conatus in ambigua incertaque defensione effundere.* Hæc Ursinus. 1583

Sed quemadmodum ea specioſa atque plauſibilia, ita penitus inſpecta, magnis obvoluta difficultatibus, optandaque potius, quam ſperanda videbantur; elapſaque ſemel proterendi, viribuſque maritimis nudandi hoſtis occaſio fruſtra repetebatur. Bello etenim multis in Europæ regionibus vigente, in alias partes arma convertere arduum, quicumque rerum experientia edocti, Regum ac Principum vel aperta vel occulta diſſidia norant, arbitrabantur. Belgico bello Philippus detinebatur; adhuc Luſitani reliquiæ ſupererant. Sarmatæ ab armis cum Turca ſemper abhorruerant; atque, ut infenſo in Amurathem animo Battoreus eſſet, a Senatu & comitiis tantum bella indicebantur. Magnus Princeps Moſchus, ſed qui non facile Turcas laceſſeret. Ejus rei haud dubia ſigna, cum Volgam ac Tanain amnes, perducta foſſa, magno illius gentis detrimento Suleimanus jungere tentaſſet, exhibuiſſe. In Germania quoque tumultus exciti: bellum Colonienſe adverſus Truxeſium, quem nuper Pontifex, uti in hæreſin prolapſum ſeptemviratu atque archiepiſcopatu exuerat, enatum. Nihilo igitur felicius conſilia Gregorii, quam ea, quæ aliis temporibus agitata fuerant, ceſſere.

Per

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1583 *Philippus Paſchalicus triremes Melipit.*

Per eos dies Philippus Paſchalicus, Joanni Baptiſtæ Contareno in Cretenſis cuſtodiæ præfectura ſuffectus, cum prope Chiſamum quatuor Melitenſium triremes præda onuſtas offendiſſet, intento remigio fugientes acriter inſectatus, in ſuam poteſtatem redegit, Equites aliquot capitivos effecit. Ejus rei fama per omnem Europam pervagata, atque ad Regum ac Principum aulas delata, multos ſerendi ſermones materiam præbuerat: plerique factum reprehendere ac deteſtari; multa in Venetos, eorumque maritimos duces maledicta congerere: injuriam præcellenti Hieroſolymitanorum militum ordini illatam, qui virtutis opinione, rebus præclare geſtis, ſe per omnes provincias regnaque chriſtianæ reipublicæ diffudiſſet, ſuperioribus annis Suleimani, invicti Principis, vires animoſque fergiſſet, proximo cum Selymo ad Echinadas prælio ſanguinem effudiſſet. Præ ceteris vero Pontifex vehementius invehebatur, graviterque cum Laurentio Priolo oratore, conquerebatur. Senatus, qui optimo jure Paſchalici factum probabat, nullaque alia ratione excurſiones maritimas tolli poſſe cenſuerat, de ejus rei eventu Reges atque alios chriſtianos Principes doceri per legatos jubet: *Nihil non tentatum, ut Melitenſes atque alii procul a Venetis ditionibus excurſiones exercerent; nihil officiis impetratum: non Pontificis auctoritate, non Philippi optimi Regis exemplo permotos: per vim navigia, prætexto avaritiæ religionis nomine, ſcrutari; inde negotiatores ac commercia averti, publica vectigalia imminui, querelas Byzantium deferri, potentiſſimi hoſtis arma, non abſque totius reipublicæ chriſtianæ detrimento in Venetos provocari: jam Cretam, peramplam inſulam, ac innumera prope populi multitudine refertam, obſideri; alias inſulas ad ſolitudinem fere redactas, quod exire ac tuto maria vel percurrere vel inſidere, frumenta aliaque ad victum neceſſaria ex turcicis circumjectis regionibus avehere non poſſent; quandoque ſumma omnium rerum inopia preſſas ſummis populorum querelis opem atque auxilium Reipublicæ imploraſſe: his malis ut tandem finis imponeretur, quid non Senatum egiſſe, quos non fatigaſſe? non in Hieroſolymitanam familiam odio, quam ſumma benevolentia proſecutus fuiſſet, ſed neceſſitate impulſum, ut tot imminentia pericula depelleret, ad ea*

ea deveniſſe. Cum igitur tot tantiſque innixa rationibus, quæ geſta a Paſchalico fuerant, Gregorius ac Philippus cognoviſſent, quin Reipublicæ cauſam & factum probarent, efficere nequivere. Proinde a querimoniis ad poſtulata tranſgreſſi, a Senatu petunt, ut iis, quæ acta fuerant, exemplo in poſterum Melitenſibus futuris, contentus, in eorum gratiam religioni triremes reſtituat, captivos Equites condonet, ea lege, ne poſthac orientis maria excurrant, aut in navigia Veneta inquirant. Ea cum ſæpius enixe a Pontifice ac Rege efflagitarentur, tandem, ut amicis Principibus gratificaretur, tradendas triremes, liberandos captivos Senatus cenſuit. Eo facto & Melitenſium inſolentia atque audacia repreſſa & Reipublicæ clementia ac benignitas eſt patefacta; virtute devictis magnanimitate parcitum. 1583

Melitenſes triremes redduntur captivi equites liberantur.

Annæ Jojeuſæ Ducis ad Venetias adventus.

Hujus anni æſtate Annas, Jojeuſæ Dux, Galliæ Regis affinis (ſorores e Lotharingia familia connubio ſibi ambo junxerant) viſendæ urbis ſtudio Venetias acceſſit. Ob neceſſitudinem, quæ illi cum Henrico intercedebat, haud vulgaribus honoribus eſt excultus. Duo, qui e patricia juventute ab ejus latere non diſcederent, dati, Benedictus Georgius, Auguſtinus Nanius, rebus maritimis procurandis magiſtratu ambo functi. Annas ipſe ſummo Reipublicæ conſenſu (cum id vehementer ſe cupere ſignificaſſet petiiſſetque) a majoribus comitiis patriciæ nobilitati eſt adſcriptus, iiſque interfuit. Anni exitum Cardinalium cooptatio nobilitavit: novem ac decem doctrina, rerum uſu, ſtemmate inſignibus ampliſſima dignitas a Gregorio Pontifice Maximo eſt attributa, inter quos Auguſtinus Valerius, Veronæ Epiſcopus, fuit, vir literis, moribus, religione, atque egregia vitæ ſanctitate conſpicuus; qui cum prima juventa Senatus juſſu philoſophiam Venetiis eſſet interpretatus, mox ad eccleſiaſticum vitæ genus converſus, magnam de ſe virtutis atque innocentiæ famam excitaverat.

Cardinalium inſignis electio.

M. D.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

M. D. LXXXIIII.

1584 CEterum cum ea, quæ jam Gregorius de Principum conjunctione ac fœdere animo præceperat, in dies magis magisque elangueſcerent, vanaque ſpe nullis fundamentis tantarum rerum molimina niti appareret, ſummo animi dolore afficiebatur; indeque ad negotium Aquilejenſe reverſus, denuo cum Laurentio Priolo, legato, agebat, quæque in ejus gratiam Senatus facere ſtatuerat, penitus abnuebat. Res in majori perplexitate verſabatur. Farneſius, Eſtenſis, Joannes Antonius Facchinettus, atque Albanus Bergomas aliquam ſatis Gregorio faciendi rationem ineundam eſſe arbitrabantur; varia proponebant: re in conſultationem vocata, poſtulatis minime ſe adſentiri poſſe Patres cenſuere. Pontifex cum extra judicium ſcripta Reipublicæ inſpexiſſet, Cardinalibus tradiderat, tandemque iis, quæ jure fieri ſolent, præmiſſis, ad ſententiam ſe venturum, adverſus ea, quæ antea enuntiaverat, ſignificabat. Quem enim controverſiarum, quæ inter Principes oriuntur, judicem futurum, niſi is eſſet, cui Deus Optimus Maximus ob eorumdem Principum utilitatem ejuſmodi auctoritatem tribuiſſet? Iis ad Senatum allatis, legato jubetur, ſi in jus vocetur, irritam ac nullam eam eſſe vocationem contendant. At Pontifex magis acerbe agere; in reliquis quoque negotiis, quæ multa illi cum Venetis intercedunt, eadem aſperitate uti. Nam cum per eos dies Joannes Delphinus, Brixiæ Epiſcopus, exceſſiſſet, de more ei eccleſiæ Reipublicæ ſubjectum, præſtantem virum, ſibi conjunctum præfici, Senatu petente, ſe quidem Brixienſi eccleſiæ quem ſibi magis libuiſſet præfecturum, reſpondit. Ex his abalienari eum penitus a Republica ſatis conſtabat. Quæ cum Laurentius Priolus, orator, meditaretur, gravi illum oratione aggredi, &, ſi qua ratione poſſet, lenire, atque ad ſalubriora conſilia traducere ſtatuit. Opportunitateque arrepta, hunc in modum dicere eſt orſus.

Aquilejenſe negotium repetitur.

Laurentii Prioli oratoris ad Pontif. oratio.

Illud ſemper apud eos, qui prudentiæ ac virtutis opinione excellerent, conſtanter affirmari, animadverti, Beatiſſime Pater; publicæ tranquillitatis, Italiæque pacis fundamenta in Apo-

Apoſtolicæ Sedis, Venetæque Reipublicæ potiſſimum conjunctione ſita eſſe. Id vero cum uſu & experientia didici, tum in Europæ Principum aulis, in quibus Reipublicæ operam navari edoctus ſum. Quis enim ignorat (modo parum humanis in rebus verſatus ſit) profecto utriuſque imperii nexu, veluti æquilibrio quodam, majorum Principum vires ac potentiam temperari, proferendique imperii cupidinem, quæ in Regum ingeniis inſita eſt, frenari & cohiberi; ut nullo unquam tempore, mutuo hoc fœdere permanente, pacem hanc, qua per tot annos Italia floret, turbare, neque in belli tempeſtates ac procellas chriſtianam rempublicam nobis invitis demittere queant? Hoc vero mutuo conſiliorum conſenſu, quid ad ſtabiliendam tranquillitatem præſtantius, quid ad gloriam propagandam illuſtrius inveniri aut excogitari poteſt? Quæ cum ita ſint, diffiteri nequeo, Beatiſſime Pater, me ingenti animi dolore ac cruciatu intuentem, angi, malevolorum atque inſcientium hominum ſtudiis in adverſum tendentibus, id agi, ut ea, quibus hucuſque Italiæ pax ſtetit, oblivioni mandentur; ejuſque rei jam ſigna erumpere, dum in omnibus Venetorum negotiis (quantumvis ea levia ſint) infinita atque inſuperabilia propemodum impedimenta oboriantur. Pro Brixienſis eccleſiæ Antiſtite deſignando (licet ſacræ leges conſentiant) decertatur. An id tanti eſt, ut rigide atque acerbe cum ea agi Republica debeat, cujus religio atque in Apoſtolicam Sedem obſequium tantum nota ſint, quantum per varias temporum ſucceſſiones arma ſuſcepta, cruor effuſus, præclara geſta, quæ vix recenſeri, ne dum enumerari queant, univerſo orbi patefecere? Quid aliud hiſce diſſidiis & contentionibus aſpera hac novaque prorſus agendi ratione fit, quam ut eorum, qui & Apoſtolicæ iſti Sedi, & Venetæ Reipublicæ invident, iniqua conſilia provehantur? Cuncta igitur quotidie in præceps labi proſternique ſinemus? Flecte aliquantiſper, flecte inquam, mentem iſtam, Pater Beatiſſime, atque benignius Senatum Venetum intuere, pium, religioſum, Apoſtolicæ Sedis incrementi, Italicæ pacis percupidum, tuique in primis ſtudioſiſſimum, in quo, modo velis, nihil non obſequii ac reverentiæ plenum invenies; tecum benevolentia gratique animi officiis libentius certaturum, quam iis de rebus, quæ parum

1584

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1584 *parum publico bono conducunt, certare hactenus coactus sit.*

His a Priolo dictis, haud parum commoveri Gregorius visus, ac veluti animi impetum ratione vincente, humanius atque æquius se gerere cœpit; licet in re Aquilejensi certa quadam spe duceretur, si sententiam tulisset, obtemperaturum Senatum, ut Brixiense negotium ex sententia conficeret, aliaque ab Apostolica Sede caperet emolumenta. At Priolus nihil, si ea insisteret via, impetraturum summa adseveratione confirmabat. Quapropter ad alia revolutus ita negotium urgebat, ut nulla re divelli, vel parum de sententria dimoveri posse videretur. Et jam Grimanus Antistes inutili atque inani cunctatione fatigatus, Roma digressus, Anconam se receperat, per literasque Novocomensem Cardinalem impellebat, ut a Gregorio ei reditum in patriam impetraret.

Anni vero superioris eventu nondum edomita Melitensium audacia: a maritimis excursionibus, neque ab iis, neque a Florentinis cessatum; Romæ cum Pontifice, Madriti cum Philippo, ut tot incommodis obviam iretur, actum. Novocomensi Cardinali, penes quem totius Gregorii pontificatus summa residebat, aliquam rationem inveniri placebat, qua, necessitate compulsis triremibus, ad insularum Reipublicæ portus receptus pateret. Verum dum hæc aguntur, vehementi indignatione civitas est correpta, nuntio allato, Melitæ navem Salvaniam Venetam eo delatam, detentam fuisse: quæ res adeo Patrum animos turbavit, ut statim Senatus consulto proventus omnes Hierosolymitanorum equitum, qui perampli in ditionibus Venetis exiguntur, intercipiendos, atque aservandos statuerent. Adjectæ cum Pontifice ac Philippo, quorum auspiciis ordo ille nititur, acerbæ admodum atque acres querelæ: patientiam Senatus devictam, neque deinceps ullo pacto eorum hominum insolentiam pasurum. His Franciscus, Magnus Hetruriæ Dux, commotus, per Abbiosum, cui nuper Pontifex Pistorienſem ecclesiam tribuerat, novas dissidiorum tollendorum rationes proponit. Summa erat: inquiri in Venetorum nobilium navigia non permissurum: suas triremes, nisi tempestate compulsas, ditionis Venetæ portus non subituras; modo prædas illis agere prope Venetas insulas liceret, non quia id eis permittere velit, sed ne, si secus

Salvaniæ navis a Melitensibus detenta.

Abbiosus Episcopus de Hetruscorum excursionibus cum Venetis agit.

cus cautum foret, immerita conditione obstringeretur. Patres, modo absque Reipublicæ detrimento fieret, amico Principi gratificari cupientes, quo facilius & citius res conficeretur, Senatus consulto Marino Grimano, consilii, Francisco Barbaro, continentis Sapientibus, negotium mandant. Hi cum Abbioso agunt, si qua forte tot sedandis controversiis ratio excogitetur. Sed licet ingenti solertia, ac ingenii dexteritate impedimenta vincere niterentur, Senatu id tantum petente, ut subjectis consuleretur, frequensque cum finitima potentissimaque Turcarum gente dissensionum materia præciderentur; nihil tamen efficere potuere. Franciscus maria excurrendi facultatem, qua divi Stephani ordo a Summo Pontifice comprobatus, nitebatur, eripi sibi a Republica conquerebatur; dum prope illius insulas cum infidelibus pugna interdiceretur; dum a portubus stationibusque arceretur, cum ille ingredientia egredientiaque navigia invadere sibi licere arbitraretur. Iniquum contra Veneti censebant, patriciorum tantummodo navigia a perquisitionibus immunia esse; subjectos excludi, qui magnam in mercimoniis ac navigiis partem haberent: intolerandum esse, religionis velo habendi cupidini inducto, potentissimum hostem in Rempublicam incitare: æque intolerandum, per vim in insularum Reipublicæ portus ac stationes prædatorias triremes spoliis innocentium plerumque ac rapinis onustas invehi. Inter hosce anfractus negotium hinc privatorum aviditate a Francisco fultum, inde communis ratione boni a Venetis agitatum versabatur.

Interea obscuris initiis exorta, sensim consceleratorum hominum in continente factio succreverat, qui ob gravia eaque atrocia delicta exilio mulctati fuerant. Ab his æstatis hujus initio multa populis damna illata, nonnunquam, insignium inter eos collecta manu, in agros infimæ imbecillisque plebis terrore sævitum. Horum princeps Octavius, nobili Avocadrorum familia Brixiæ ortus, erat, qui ditionis inimicorum rabie ductus, ad se pessimum illud genus hominum attraxerat, atque ob gravia crimina a Decemviris absens perpetuo exilio bonorumque publicatione damnatus fuerat. At vero cum nulla re feritas hominis atque audacia in omne facinorum genus prona minueretur, quotidie ex Brixiensi ac Veronen-

Octavius Avocadrus exulum Principem in Venetis ditionibus se præbet.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1584 ronenſi agro ejus ductu, cædes fieri; vi ac rapinis in innoxios ſæviri; quidquid mente efferata, atque impia manu effici poſſet, perpetrari nuntiabatur. Ad invaleſcentis hujuſce incendii flammas extinguendas varia, minore fructu quam expectatione, remedia adhibita ſunt; cum tandem Senatus, ne virus majora incrementa ſumeret, quinto nonas junii legatum in continentem, qui auctoritate & vi extorres excindere ac prorſus tollere niteretur, mittendum ſtatuit. Paulus Contarenus lectus; ei imperium in præſidiariorum atque ordinum milites tributum; trecenti externi pedites adlecti; equitatus omnis tum gravioris tum levioris armaturæ, qui publicis ſtipendiis alitus, adjectus; ad hæc centum Epirotæ equites, quorum quinquaginta ultra Mincium amnem, totidem citra, opera uteretur. Et quoniam deteſtando huic hominum generi ad Caſtulonis, & Jufredi oppida, quæ Gonzagæ familiæ Dominis obtemperant, vel ſitus opportunitate, vel brevi ac facillima poſt delicta perpetrata ſeſe condendi facultate, tutum receptum eſſe afferebatur, Contareno juſſum, Senatus nomine oppidorum Dominis ſignificaret, ne ulla ratione acceſſum extorribus conſceleratiſque hominibus ad ſua loca præberent; ſi ſecus faciant, neceſſitate adactum, uti magis Reipublicæ dignitatis intereſſe exiſtimaſſet, conſulturum. Contarenus igitur in continentem profectus, qua auctoritate, qua vi, qua terrore brevi ita effecit, ut complures morte plecterentur, alii ad carceres traducti dignas meritis ad reliquorum exemplum pœnas darent; inter quos Franciſcus Bertazzolius, Salodienſis, Avocadri aſſecla, omniumque ſcelerum particeps, captus, ultimo ſupplicio affectus eſt; bona fiſco adjudicata; complanatæ ædes. Octavius vero cum præciſam ſibi ulterius ſua ſcelera provehendi viam intelligeret, Florentiam abiit; pacatiſque continentis rebus, Contarenus in patriam reverſus, haud multos poſt dies morbo correptus, ſummo totius civitatis dolore interiit.

Paulus Contarenus legatus in continenti eligitur.

Avocadri profectione quies reſtituta.

Sub id fere tempus Uſcochi quadringenti Franciſci Prodii Bracchienſis navigium multis tum Chriſtianorum, tum aliarum gentium, ac Turcarum præſertim onuſtum mercibus, in quo Turcæ aliquot erant, Narentam amnem myoparonibus ingreſſi intercipiunt, exuunt, ex Turcis viginti interficiunt. Nun-

Navigium Venetum ab Uſcochis captum.

Nuntio ejus rei allato, ſtatim cuſtodiæ præfectus arcta Seniam 1584
obſidione cingere, omniaque ad eam urbem euntia ac redeuntia navigia capere juſſus. Ex ea re cum ſummam moleſtiam Rodulphus Imperator cepiſſet, remque communem agi arbitraretur, Turcas non minus a mari Reipublicæ, quam a terra ſibi infenſos eſſe dictitans, Carolo Archiduci patruo, ut in noxios animadverteret, ablata reddi juberet, præcepit. Per eos dies a Decemvirum collegio in Jacobum Superantium, Equitem ac Marcium Procuratorem, civem eximia apud cunctos ordines exiſtimatione, animadverſum, quod occulta Senatus, eo ad eccleſiaſticas dignitates graduum ſibi factorus, Principibus ſignificaſſet. Re per multos menſes in eo conſilio acta, tandem auguſto procuratoria dignitate exutus, Juſtinopolim deportari, ubi reliquum vitæ tempus conficeret, juſſus eſt. Egregius alioqui civis, omnes honorum gradus domi foriſque emenſus, ac in Reipublicæ graviſſimis negotiis verſatus, ſublimi atque elato animo, qui fere privati civis fortunam conditionemque egrederetur, æquanimitate & conſtantia eum caſum tulit, ſententiæque nuntium excepit; ac ne minimum quidem vultum faciemque immutatus, prompte ſupremi conſilii juſſis obtemperaturum effatus. Eodem animi vigore & conſtantia cum aliquot annos Juſtinopoli vixiſſet, in patriam tandem reditu impetrato, privatam vitam uſque ad extremam ætatem egit.

Jacobus Superantius exilio a Decemviris damnatus.

Eodem fere tempore Carolus Emanuel, Sabaudiæ Dux Catharinam, minorem natu Philippi Hiſpaniarum Regis filiam, uxorem accepit; idque cum Reipublicæ per Camerani Comitem legatum ſignificaſſet, Petrus Duodus, Franciſci filius, qui nuptias gratularetur, ad eum orator eſt miſſus. Monachio quoque per Andream Minutium allatæ ab Villelmo Bajoariæ Duce literæ, quibus ſignificabat, Gebhardo Truchſeſio, qui infandis ſacratæ virginis nuptiis a catholica religione defciverat, in Colonienſi archiepiſcopatu ac ſeptemviratu canonicis Erneſtum fratrem, Leodii Antiſtitem, fuiſſe ſuffectum; et Gregorium Pontificem Maximum perunia, Philippum copiis præſto eſſe; iis devictum Truchſeſium latitare, & Carolum fratrem nova moliri, proteſtantibuſque Principibus adjutum, denuo bellum meditari; id ſi redintegretur, a Senatu, pro reli-

Caroli Emanuelis, Sabaudiæ Ducis, cum Hiſpaniæ Regis filia nuptiæ.

Petrus Duodus ad Sabaudum orator.

Erneſtus Bajoarius Coloniæ Archiepiſcopus eligitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1585 Veneto præfecto impugnatum, una cum uxore ac filio obtruncatum; pretiosam supellectilem ac thesauros prædæ habitos; Corcyram navigium avectum fuisse: proinde ex pacis legibus a Republica petere, ut in sontem præfectum legibus ageretur; triremis una cum iis, qui supererant, captivis ac præda restitueretur. Navigium extemplo Turcis reddi Senatus jussit; in Haimum, quem captivum classis legatus Venetias miserat, judicium instituit, causamque ex vinculis dicere coegit. Re per capitales triumviros ad Senatum delata, in eum uti fœderum violatorem cunctis fere suffragiis sententia est lata; utque illi pridie kalen. februarii inter geminas columnas cervices abscinderentur, decretum; non absimili a Romanis exemplo, qui cives ipsos fœderum corruptores dedendos vel sociis vel hostibus nonnunquam censuerunt.

Ramadani triremis Turcis restituitur. Gabriel Haimus capite damnatus.

De Japoniorum ad Pontif. legatione narratio.

Hujus anni fere initio remotissimarum gentium legatio, quæ post longum ac difficile triennale iter in Hispaniam delata, inde Romam se contulerat, Italiam omnem rei fama ac novitate compleverat. Ea legatio erat Japoniorum Regum, quæ ad Pontificem Maximum venerandum, & obedientiam præstandam mittebatur. Has insulas annis ab hinc sexagintaquinque ab institoribus Lusitanis, dum ultra orientalem Indiam, inter septemtrionem atque solis exortum, navigarent, inventas perhibent. In nostro emisphærio cis cancri tropicum sitæ, e diametro Italiæ opponuntur, ambitu triplo majore. Polus eis arcticus trigintaquinque circiter gradibus elevatur; marique alluuntur, quod ingentem Sinarum tractum radit, cum inde non amplius leucis octoginta distent. In tres ac sexaginta præfecturas divisas affirmant. Incolas humili statura, oleagino colore, regnandi cupidos, honoris avidos, religioni deditos: Principes vel propagandi, vel conservandi imperii causa continenter bella gerere; nec minori studio religioni inanium Deorum incumbere, quorum assecias, quos *Bontios* vocant, nobili stirpe progenitos, non minus inter se dissentientibus sententiis de religione, quam Principes armis de imperio certare. In easdem insulas Franciscum Xaverium, Cantabrum, Ignatii Lojolæ, qui fundamenta Jesu Societatis jecit, socium, anno M. D. XXXXVIIII. pervenisse ferunt, primumque in Indiam orientalem cum pau-

paucis penetrasse, atque ibi Euangelii promulgatione incepta, multos ad Christi fidem traduxisse; mox defuncti Xaverii vestigiis hærentes alios, ex India atque Europa avectos, brevi adeo christianam religionem provexisse, ut multa christiana phana ac templa assurgerent, ingensque incolarum numerus sacri baptismatis fonte ablueretur, inter quos Dynastæ plerique ac Reges, qui Japoniis imperitabant. 1585

Itaque anno M. D. LXXXII. ab ejusdem Societatis Patribus incitati Franciscus Bongi, Prothasius Arimæ Reges, ac Bartholomæus Omuræ Princeps, quorum duo priores nuper christianam religionem amplexi fuerant, postremus jam anno M. D. LXIII. in Christi militiam nomen dederat, perhonorificam legationem ad Pontificem Maximum decrevere. Franciscus Bongi Rex Mancium Fiongæ Regis nepotem, ob sororem sibi matrimonio junctam affinem, vigesimum annum agentem, qui caput legationis extitit, delegit. Arimæ Rex, ac Bartholomæus Omuræ Princeps, Michaelem alteri consobrinum, alteri nepotem, decimumoctavum attingentem annum, nominavere. Iis comites itineris, curiositate ac res novas visendi studio, illustrium Dynastarum filii duo sese adjunxere, Martinus nempe e Fiongæ, Julianus Fingeno regno orti, qui nondum septimum ac decimum annum excesserant. Anni M. D. LXXXII. initio Japone digressi, Goam, præcipuam Indiæ civitatem Lusitanis subjectam, anno M. D. LXXXIII. appulere; inde Lusitanis navibus in Europam trajecere, itineris præcipuo ex eadem Societate comite ac magistro, genere Lusitano, *Vieschita* nomine, Japoniæ linguæ erudito: Romam mense martio hujus anni pervenere. A Gregorio ingenti lætitia atque humanitate, ad insolens spectaculum universa confluente civitate, excepti; eisque in aula regia Purpuratorum Senatus est datus. Literæ suorum Principum recitantur: summa pietate, atque eximio ardore christianam religionem complexos; obsequium atque obedientiam Gregorio uti Christi Vicario exhibere; designatam sibi eorum nomine legationem; ad sanctissimos illius pedes sese provolventes, eosque exosculantes, admitti supplices petere.

Cum Romæ aliquot dies fuissent, in patriam reversuri,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1585 antequam Genuam pervenirent, varias Italiæ urbes circumiere. Menſe junio Venetias acceſſere, ſummaque benignitate exculti, celebriora urbis loca, & præcipue baſilicas ac templa inviſere; atque ut publicam pietatem, eximiumque religionis ſtudium nobili aliquo declaratum argumento inſpicerent, anniverſariæ ſupplicationes, quæ ſeptimo kal. junii, divi Marci apparitionis die concelebrantur, ad tertium kal. beati Petri Apoſtoli feſto, dilatæ, magnificentiſſimo apparatu atque incredibili pompa habitæ ſunt. Ingens ſacrorum lipſanorum numerus, cunctis religioſorum hominum ordinibus comitantibus, inter immenſam prope argenteorum atque aureorum vaſorum copiam inviſebatur. Sanctorum virorum, qui modo æterno ævo in cælo fruuntur, vel miracula, vel martyria, vel alia egregia geſta ad vivum expreſſa & circumlata, inſigniorem ac mirabiliorem pompam effecere. Poſt hæc cum Principem ac Patres gratias acturi adiiſſent, teſtimonium itineris ſcriptum ejuſmodi reliquere, quod latina lingua redditum ita ſe habet. *Cum cæleſti Domini, qui cuncta creavit, ac Jeſu Chriſti, ejus Filii Redemptoriſque noſtri, auxilio atque ope ab Japoniæ Regnis Romam, trium annorum emenſo curriculo perveniſſent, ut ſuorum Regum, Chriſtianorumque, qui eas regiones incolunt, nomine Pontificis Maximi pedes oſcularentur, eique debitum obſequium & obedientium exhiberent, legationis munere perfunctos, antequam in patriam regrederentur, prætermittere noluiſſe, quin admirabilem invictamque Venetiarum civitatem adirent: quæ cum eorum expectationem longe viciſſet, eæque benevolentiæ atque honoris ſignificationes, quas ſperare unquam potuerant, a Sereniſſima Republica illis delatæ fuiſſent; rationi conſentaneum ſibi viſum eſſe, ſcriptum relinquere, quo & ad poſteros facti memoria tranſmitteretur, & ejus rei aliquod monumentum apud Rempublicam extaret: in ſe ipſos cunctorum civitatis ordinum benevolentiam, atque earum rerum, quæ mirabilia in hac urbe inſpexiſſent, memoriam ex animis nunquam elabi paſſuros: ac ſi Japonem reviſere ſingulari Dei beneficio datum foret, Venetiarum civitatis nomen, quod pro tanta terrarum ac marium longinquitate ſatis celebre erat, poſthac merito per eorum regiones inſigni famæ acceſſione pervagaturum.* Scripto tem-

Japonii legati Venetiis recepti.

Scriptum Venetiis a Japoniis relictum.

tempus appoſitum, duobus ſextæ lunæ diebus, Redemptionis anno M. D. LXXXV. 1585

Gregorii lætitia ob Japonenſium legationem, qua multum exiſtimationis & dignitatis Apoſtolicæ Sedi acceſſiſſe rebatur, parum diuturna fuit. Nam haud multos poſt dies febre correptus, cum exacta jam ætate annum octogeſimum ſupergrederetur, quinto idus aprilis vitæ ac pontificatui finem impoſuit; in quo ſummo animi ardore in chriſtianæ religionis incrementum decuſque incubuerat, eam non modo, qua vigebat, florentem ſervare, ſed in remotas quoque regiones, ac plerumque hæreſeos labe infectas propagare adnixus, in urbe Roma ad educandam, doctrinaque ac chriſtiana religione imbuendam juventutem erectis collegiis, vulgo *ſeminariis* appellatis, quæ, ut in Italiæ inſignioribus urbibus, Germania quoque ac Sarmatia excitarentur, curavit. Horum duo Venetiis, alterum divi Marci ſub Aloyſii Diedi Primicerii, alterum divi Petri Caſtellanæ diœceſis ſub Joannis Triviſani Patriarchæ auſpiciis inchoata ac perfecta ſunt. Vigebant in Gregorio excelſa conſilia ad chriſtianam rempublicam augendam, ejuſque debellandos ac perdendos hoſtes ſpectantia. Verum ad ea exequenda in eo parum roboris & conſtantiæ, qua eximia quæque conficiuntur, inerat, In controverſiis, quæ plerumque cum Principibus de juriſdictione oriri ſolent, acer nimium ac ſeverus, non ex publici boni ratione, ſed ex legum apicibus, quarum profeſſor erat, cuncta expendere ſolitus; at nunquam, licet acerrimum ſe in tuendo eccleſiaſtico jure præberet, eo provectus fuit, ut ulla ratione pacem publicam interturbandam putaret: ſi quis enim alius, Italicæ tranquillitatis ſtudioſiſſimus extitit. In Rempublicam parum propenſus, vel quod ſui pontificatus initio ad Turcarum amicitiam, pace confecta, Venetos recepiſſe nunquam obliviſci potuerat; vel quia ob acres Aquilejenſes controverſias, quæ omnem fere illius pontificatum exercuere, ſenſim a Republica animum abduxerat.

Gregorii Pont. obitus.

Gregorio Felix Perettus, Cardinalis a Monte alto, et Franciſcana familia, eſt ſuffectus, qui Xyſti IIII. ejuſdem ordinis centum ab inde annis eam Sedem obtinentis memoriam inſtaurare cupiens, Xyſti Quinti nomen aſſumpſit. Quatuor ſta-

Xyſti V. Pont. electio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1585 ſtatim Senatorum, qui ſupremam ei dignitatem gratularentur; legatio eſt decreta. Fuere ii Jacobus Fuſcarenus, Marcus Antonius Barbarus, Marcius Procurator, Marinus Grimanus, Leonardus Donatus. Raro atque inaudito fortaſſe felicitatis exemplo ad eam dignitatem Xyſtus evectus eſt. Non generis nobilitate, non divitiis, ſola virtute nixus. In humillimo vico (*Grottas* vocant) ſub Firmi civitate conſtituto, humillimis parentibus ortus; patre manuum labore agro ſerendo vitam ducente. Attamen tum quoque præſagia quædam, ac futuræ illius amplitudinis oſtenta inſpecta ſunt. Ferunt enim patrem in ſomnis ſibi vocem audire viſum, quæ illi filium Pontificem futurum exprimeret; inde omine arrepto, natum Felicem vocaſſe. Hanc ortus humilitatem, ut plerique faciunt, qui ex infimo gradu in altum quandoque tolluntur, nunquam erubuit. Vix annum nonum attigerat, cum, reluctante patre, divi Franciſci minorum fratrum religioni ſe addixit; inter quos vitæ inſtituto ac doctrina ad omnes adipiſcendas dignitates ſibi aditum ſtruxit, aſſurgentique virtuti invidentium malevolentiam prudentia animique conſtantia ſuperavit. Ejus egregia opera cum Pius V. in Inquiſitionis munere uſus eſſet, in ſuæ familiæ comitiis ſummam præfecturam eſt nactus; mox Epiſcopus creatus; tandem ab eodem Pontifice, cui Cardinali atque legato in Hiſpania inſervierat, in purpuratorum collegium eſt cooptatus. Dumque a curis ſemotus privatam vitam agit, ſeceſſuque excultiſſimæ vineæ oblectatur, in qua ſæpius ipſemet callida diſſimulatione operatur, a negotiorum concurſu alienum, ambitione vacuum, otio ac quieti deditum ſeſe oſtentat, ad ſupremam dignitatem eſt evectus.

Veneti legati ad Xyſtum Pontificem. Xyſti Pontificis genus & fortuna.

Ac licet ſtatim, allato ejus rei nuntio, nonnihil Patres hærere atque ſuſpicari viderentur, memores aliquot ante annos, dum Inquiſitionis munere Venetiis fungeretur, ob nonnulla, quæ ab eo moleſta acciderant, a Decemvirum collegio ditionibus Venetis abire juſſum; attamen extemplo ingens in illo erga Rempublicam benevolentia, in ipſius negotia ſtudium, mutuæ amicitiæ & conjunctionis deſiderium eluxit. Ii etenim initio turbines disjecti ſunt, quibus, Gregorio pontificatum obtinente, Apoſtolicæ Sedis cum Veneta Republica

ca vinculum ſolvi viſum fuerat. Aquilejenſes res compoſitæ, Senatus decreto, quo Tageti feudum dono dabatur, acquievit. Franciſcum Barbarum, Marci Antonii Procuratoris filium, qui ante apud Sabaudum legatus, tunc medium Præconſultorum ordinem tenebat, Joanni Grimano Antiſtiti, ingraveſcente jam ætate, in Aquilejenſi eccleſia ſocium dedit. Id in primis a chriſtianæ reipublicæ utilitate valde alienum eſſe cenſebat, ſimultatum ſemina inter Principes ſeri, ex quorum incremento præclaræ rerum gerendarum non modo occaſiones amitterentur, ſed in magna quandoque detrimenta & ruinas evaderent. Itaque collegium, in quo ad eccleſiaſticam juriſdictionem ſpectantia agitabantur, ſuſtulit, omneſque ejus generis cauſas ad ſe revocavit, quo amice controverſiæ componerentur, ac, ſi quid acerbius inter Principes contigiſſet, id prudenti diſſimulatione, in vulgus ne erumperet, tegeretur. Melitenſium Equitum excurſiones graves illi quidem ac moleſtæ extitere, cum Reipublicæ rationibus, cujus imperium pro vallo ac munimento ceteris chriſtianis Principibus eſſet, earum lucra ac ignobiles proventus minime conferendos exiſtimans. Itaque auctoritatem atque operam ea in re interpoſiturum Senatui pollicebatur, ut juſtarum in Hieroſolymitanos Equites irarum cauſæ amputarentur. Hæc novi Pontificis in Rempublicam officia eo gratiora Patribus, quod publicis quoque argumentis teſtata erant. Nam coronationi Reipublicæ oratorem intereſſe voluit, Nuntium Venetiis publicis cæremoniis, quæ, ut antea diximus, intermiſſæ fuerant, adeſſe juſſit; atque in oratores Romam gratulatum accedentes omnia honoris argumenta contulit; nihilque ad eam legationem ornandam prætermiſit. Quocirca, ut aliquod egregium ac perpetuum publicæ in Xyſtum voluntatis monumentum extaret, majoribus comitiis patriciæ nobilitati Alexander Cardinalis Montaltus, ac Michael Perettus ex ſorore nepotes cum eorum poſteris ſunt adſcripti; ædes Xyſto ad divi Franciſci a Vinea peramplæ ac nobiles, quas deinceps Apoſtolicæ Sedis legati ac nuntii incolerent, dono tributæ.

1585 *Aquilejenſium rerum compoſitio. Franciſcus Barbarus Grimano in Aquilejenſi Patriarchatu ſocius datus.*

Senatus ædes ad divi Franciſci Pontificis dono tribuit.

Ceterum adhuc bello inter Amurathem & Mehemetem Perſarum Regem vigente, alta pace Italia fruente, rebus inter Moſchum ac Sarmatam compoſitis, Gallo atque Hiſpano quie-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1585 quiescentibus, omnia Europæ arma in Belgium confluxerant, in quo non minori virtute, quam felicitate Alexander Dux Parmensis pro Catholico Rege acriter dimicans, suos militiæ progressus egregiis actionibus nobilitaverat. At in Gallia, *Francisci Alenconii Ducis obitus.* Francisco Alenconio, Henrici Regis fratre, vita functo, jam eæ erumpere suspiciones cœpere, quæ ambigua atque incerta pace obtectæ, potius consopitæ, quam extinctæ fuerant; Gallorum ad regni successionem erectis animis, cum Henricus Tertius ex Valesia gente absque liberis tantum superstes esset; atque in spem regni proximus Cantabrorum Rex, Vandomi Princeps, ex Borbonia familia, Salicæ legis jure, uti regiæ stirpis agnatione Henrico Tertio propinquus haberetur: cui obstare videbatur, quod a catholica religione alienus, Ugonottarum se ducem gereret, nemini ad regium fastigium, nisi Catholico aditu patente; quod ita institutum sit, ut cum Reges consecrantur, Catholicam Romanam religionem defensuros jurejurando polliceantur. His permoti Guisiani Principes, atque ex eademmet Borbonia gente nonnulli, arctum *Fœdus inter Guisios & alios Gallos proceres.* inter se fœdus, jurejurando interposito, percussere, quo nunquam, Henrico defuncto, Navarræo, aut alicui, qui a prisca religione desciviset, regnum permissuros obstringebantur. Fœderis ineundi causas esse vulgabant, quod Navarræ Rex cum in Gallia tum extra milites cogeret; arces una cum aliis fœderatis ex postremæ pacis conditionibus non restitueret; legationes ad Germanos Protestantes Principes mitteret, eosque ad opprimendam catholicam religionem solicitaret; Catholici omnes, in primisque Henrici Tertii ministri opprimerentur, ut, iis amotis, tutius in proventus ecclesiasticos invaderet, omnibusque regni muneribus potiretur; conventu Blæsas magna spe stabiliendæ pacis vocato, Henricum, catholicam religionem incolumem servare adnitentem, malevolorum hominum consilio de sententia dejectum; qui Catholicorum potentiam imminuendam, ecclesiasticos decumis atque aliis vectigalibus fatigandos censerent.

His, atque aliis de causis, quæ prolixe, scripto vulgato, exaraverant, Carolus Cardinalis Borbonius, e regio stemmate Henrico propinquior, Galliæ primas, cujus præcipuum munus est, ne quid catholica religio detrimenti patiatur, cave-

re;

re; alii quoque Principes, Cardinales, Antistites, Judices, 1585
Gubernatores, militum præfecti, nobiles, ac civitates sexto kal. martii Pamvillam coacti, cum de rerum præsentium statu egissent, in has leges societatem ineunt. *Dei Ecclesia in pristinum nitorem integritatemque restituatur, una tantum catholica religio in Gallia sit. Nobiles in posterum absque ullo impedimento suis privilegiis fruantur. Ad levandam plebem vectigalia post Caroli obitum indicta tollantur. Generale concilium* (*quod* Parlamentum *vocant*) *in priscam amplitudinem ac decus restituatur. Galli suis præfecturis, muneribus, dignitatibus potiantur; legitimis tantum ex causis ex supremi concilii sententia exuantur. Pecunia superiorum annorum exactionibus collecta, atque posthac colligenda, in regni defensione, aliisque necessariis insumatur. Unoquoque triennio conventus regni habeantur, in iis expedite jus poscentibus reddatur. Hisce de causis ad arma capienda coactos se fœderati profitentur, ut Galliæ pristinus splendor accedat; repressis sceleratorum hominum conatibus, reliqui securius agant; regni proceres tutius vitam traducant: intestinum se bellum semper exhorruisse,* ajunt: *modo in ea omnium rerum colluvione catholica religio, eorumque salus in discrimen adducta, ad id invitos, coactosque descendere; quæ sane si a religionis causa sejungere potuissent, arma sponte abjecturos: nihil eis gratius accidere posse, quam si pro illustri adeo ac pia causa vitam ipsam profunderent: non ad Regem opprimendum, sed ad vitam decusque illius tuendum ea consilia inivisse. Quid enim laudabilius, quam fortunarum capitisque periculum adire, animamque, non secus atque alias fecerant, pro regia auctoritate constanter efflare? Regis nutu ab armis recessuros, dum quæ in religionem obrepserant, quæ subjectis præter jus aquumque acciderant, ipsemet tolleret; caveretque ne, eo defunctо, ob regni successionem seditiones tumultusque in Gallia excitarentur. Henricum proinde Catharinamque matrem, cujus prudentia adhuc Gallia stabat, exorare, ut in catholica religione, bonisque omnibus conservandis enixe perstarent: supplices quoque a Principibus, ecclesiasticis, nobilibus, atque civitatibus, quæ nondum in fœdus nomina dederant, petere, causam publicam amplectantur, societati se adjungant. ni id* Fœderis Gallorum pacta.

sta-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1585 *ſtatim efficere queant, ne adverſariis aures præbeant, quos perperam de ſe ſenſuros pernoſcant; oppida, civitates, arceſque communiant, militum præſidiis adverſus inſidias, ac machinas firment.* Exinde complura de diſciplinæ militaris ratione, de militum conditionibus afferebant, qui non gregarii, atque lucri cupiditate ſtipendia merentes, at Dei Optimi Maximi metu, atque in patriam pietate ducti arma induant, nemini injuriam aut damna inferant; Catholicos demum omnes hujuſce fœderis ſocios (quod *ſanctiſſimum* vocabant) rogare, morum vitæque ſanctitate, ſacramentorum uſu ſibi Divinum numen conciliarent, aſſiduis precibus, ſolemnibus ſupplicationibus divinam opem implorarent: perſancte polliceri, tantæ rei nulla in parte defuturos, neque arma depoſituros, donec vel ea omnia, ob quæ ſocietatem inierant, obtinerent, vel, pro Dei gloria, patriæque amore ſpiritu effuſo, cuncti eodem ſepulchro conderentur. Hoc initium Gallici fœderis fuit, quod, licet inducto religionis velo, ſpecioſum ac plauſibile videretur; tamen multa eo ac graviſſima contegebantur; ſatiſque apparebat, non abſque externorum Principum auxilio atque impulſu adeo ſeſe extollere fœderatos potuiſſe: quod ſane brevi inſpicere haud difficile fuit, iis cupiditatibus erumpentibus, qui religionis colore illiti tantum apud plebem potuere, ut inſitum in ſuos Reges amorem ac pietatem prorſus evellerent.

Hi motus in Gallia exorti magnarum rerum initia non modo in eo regno, ſed in tota republica chriſtiana portendere videbantur: divulſæ potentiſſimi regni vires, nervi debilitati, fractus vigor; Hiſpani ſemper æmuli, ad potentiam in immenſum augendam erecti. Henricus neque bellica fortitudine, neque conſilio ſatis validus, atque in tanta rerum omnium jactatione domeſticis externiſque præſidiis parum fultus, amicorum auxilia ad illud incendium extinguendum expoſcebat. Andream Naraultium Meſſium, oratorem, de ſingulis Venetos docere, atque ad opem labentibus rebus ferendam incitare præcepit. Is gravi admodum oratione uſus eſt, qua & Galliæ ſtatum, & Henrici conſilia expoſuit, acriterque in Hiſpanos eſt invectus. *Pro pernegatis Belgio auxiliis optime ſcilicet ab Hiſpaniarum Rege Henrico repenſum, ut ei ſubjectos*

Andreæ Naraultii Meſſii, Gallici oratoris, ad Venetos oratio.

ctos populos, ſpecie religionis abſtractos, in ipſum incitaret, ut Galliam omnem poſt innumeras clades calamitateſque & inteſtina bella peſſumdaret; conjunctam & integram, unum vaſtis illius conſiliis, quibus reipublicæ chriſtianæ imperium nitebatur, obſtaculum eſſe: ea divulſa ac proſtrata, nihil, quo minus aſſurgat, atque in immenſum fere excreſcat, impedimento fore: ea conſilia diu coquentem compreſſiſſe; nunc undique erumpere, neque amplius obtegi poſſe; artes, quibus tot tantaque moliretur, in obſcuro non eſſe: ſe nihil, quo pacto Luſitaniam adeptus, nihil quo India orientali potitus, potius quæ ſatis nota ſint, dicturum: an id prætermitti poſſe, nuper Sabaudiæ Ducem ſibi generum adſciviſſe, ut externa auxilia Italiæ Principibus adimeret; Inſubribus ſubalpinorum vires adjeciſſe, ut ex ea parte, veluti extructo propugnaculo, huic provinciæ immineret? His opportunæ a Republica una cum Gregorio XIII. obviam iri potuiſſe: at fatali cunctatione otioſa ſpectantibus, id accidiſſe, quod Livius, romanæ hiſtoriæ ſcriptor egregius, Albæ contigiſſe commemorat: modo ab Helvetiis ac Rhætis iter in Italiam præcludere; Mediolanique imperio eas gentes copulare adnixum, ut prorſus Italos Principes externis præſidiis nudaret, atque aditum in Galliam ad ſubveniendum Regi obſepiret; modo Catholicos, incuſſo religionis metu, ab ope Henrico ferenda abſterrere; modo hæreticis, ſi id aggrediantur domi, Catholicorum armis minari; clypeo religionis obarmatos omnia ſurſum deorſumque Hiſpanos miſcere; in ſe plebis oculorum aciem perſtringere; potentiſſimum regnum confundere, perturbare, confundere: eo vaſtato, direpto, everſo quid aliud ſupereſſe, quin liberrime per Italiam atque universam Europam, quo libido dominandi rapuerit, deferantur? Quid enim modo commemoraret, præſidium Curriglianum impoſitum, Italos Principes variis modis devinctos, Pontifices ingentibus beneficiis illectos? Forſitan (inquit) Gregorio alterius vitam producente, exorta tempeſtas aliqua Reipublicæ fuiſſet? Nam quo minus imperium in Italia proferant, nos illis impedimento eſſe intelligunt. Hetruſcis arcium compedes injectas; Mantuanum ac Ferrarienſem non iis viribus eſſe, ut quicquam moliri poſſint. Vos uni, vos, inquam, uni eſtis, quos eorum potentiæ, ad li-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1585 *libertatem atque Italiæ decus Deus Optimus Maximus objecit. An igitur cunctando, an tempus proferendo, pericula vel vitari vel discuti posse arbitramini? Inani spe profecto ducimini; rerum potius eventu, quam consilio, & prudentia nitimini. Quæ pro Italiæ libertate, & pro istius Reipublicæ amplitudine, immortalitate digna majores vestri ausi fuerint, confecerint, illustrium scriptorum testata monumentis, vestrisque annalibus atque historiis deprompta intuemini. Nam de ambiguis atque frigidis hisce consiliis quid dicam? Illud ex Livio proferam*: Agendo, & vincendo res Romana crevit; *non hisce consiliis, quæ timidi cauta putant. Nunc præclara opportunitas amico Regi subveniendi, regnum, vires, arma in Republica vestra tuenda atque augenda collaturo, sese offert. Ita hæc imperia connexa sunt, ut alterius ab altero bonum sejungi nequeat; strata, atque extincta Gallia, Rempublicam quoque eadem ruina involvi necesse est. Neque longe pericula abesse arbitremini; belli enim flamma in Galliis crepitante, id vere usurpari debet*:

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Cuncta igitur invitant, incitant, impellunt, ut tot circumsepto difficultatibus ac periculis Regi opem feratis, uno eodemque tempore labanti Galliæ succurratis, atque a Republica vestra imminentia pericula propulsetis.

Hæc graviter admodum ac liberrime a Messio enuntiata, haud parum Patrum animos commovebant, qui etsi Philippi moderationem alias experti fuerant, attamen quot faces Regum animis regnandi libido & cupiditas subdat, secum ipsi reputabant. Ingenti Lusitaniæ atque orientalis Indiæ accessione sublatos Hispanorum animos; Belgii prosperis eventis elatos; Galliarum civilibus dissensionibus gradum illis ad monarchiam fieri. Verum majorum instituta sequentes, qui æque cum Regibus amicitias colere consueverant (ita enim ab utrumque injuriis tutos alterius semper præsidio se fore arbitrabantur) quemadmodum quacumque possent ratione labanti regno opitulari opportunum esse, ita minime Reipublicæ conducere, ut alteri se parti adjungerent, censebant. His de causis Senatuconsulto, hunc in modum Messio responsum. *Quod de præsenti rerum statu Rempublicam certiorem fecerit,*

Senatus responsum.

rit, gratias Henrico agi; quæcumque ad securitatem atque amplitudinem Galliæ pertineant, ea pro veteri necessitudine & conjunctione Senatui summopere cordi esse: nullis officiis cum Pontifice, ut ejus auctoritate exortum incendium extinguatur, defuisse: optima spe duci, Henricum prudentia, virtute, copiis nuper coactis subjectos in ordinem redacturum, atque ad pristinam obedientiam Reginæ in primis matris, aliorumque præconsultorum consiliis perducturum. 1585

Sed cœpta jam incendia in dies augebantur. Guisii Tullum ac Verdunum, in Lotharingiæ finibus sita oppida, militum præsidiis firmant, classicum in Ugonottas concinunt; qui altera ex parte in Aquitania ac Pictonibus copias sedulo cogunt. At Regina mater, Lugdunensis Archiepiscopus, Lansacius, quippe qui prudentia inter Regis consiliarios excellebant, tumultus tempestatesque subortas quacumque ratione sedare adnitebantur; cetera vel inutilia vel periculosa rati, Catholicorum auxilia, quod palam fœderi adhærerent, suspecta; Ugonottarum ambigua, atque a Christinianissimi Regis titulo aliena. Itaque arces, quæ Regi obtemperabant, communire, præsidiis militum firmare; Mediomatricum in primis, ad externa auxilia excipienda civitatem valde opportunam, operibus ac milite tutiorem reddere; ut cuncti, pœna capitis proposita, arma deponerent, injussi non moverentur, edicto cavere; ea ratione fœderatorum delectum, qui quotidi- habebatur, impediri posse putantes. At cum nihil obtineretur, inter populos Henricus vulgari curat: *Religionis pacisque obtentu a fœderis ipsos principibus in præceps agi: in eorum animis secretiora condi consilia; Gallos omnes Catholicæ religionis nexu devincire se vehementius exoptare; neminem, priusquam regni gubernacula suscepisset, vitam certioribus periculis objectasse: Dissensionum civilium fluctibus per tot annos Galliæ jactatæ cum interitum haud dubium imminere intelligeret, conventu Blæsis vocato, pacem [anxisse: quid pro Ecclesiæ firmitate atque incremento non egisse, quid ut dignitates ex cujusque meritorum ratione tribuerentur relinquisse? Fœderatos itaque Principes hortari, ne afflicti nuper regni calamitates instaurent; neu privatis studiis abstracti, eadem se cum patria clade ac ruina involvant. Ab armis discе-*

Guisiorum bellicæ acta.

Regiorum consilia.

Henricus Rex Gallos ad concordiam hortatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1582 *cedant, in regia clementia tranquillitatem ac felicitatem reponant: non bello atque internecione, ſed prudenti ac temperato conſilio ad ea mala ſananda opus eſſe: flecterent parumper animos; quæcumque a ſe proficiſci poſſunt, uberrime præſtaturum.*

Interea in Galliæ provinciis belli flammæ aſſurgebant. Ugonottæ oppida quædam in Pictonibus occupant. Maſſiliæ civitas fœderi adhæret, licet quatuor poſt dies Engolemenſis, *Magni*, ut vocant, *Galliæ Prioris*, ope rurſus ſe Regi adjungeret. Henricus tot implicatus atque prope obrutus curis, in apparatus belli incumbit; quaſcumque poteſt copias cogendas curat. Inter hæc, de pace ſermonibus injectis, Regina mater, Borbonius ac Guiſius Cardinales, Guiſius Dux, Cardinalis frater, Baſſomperius, Epernonius una cum regiis conſiliariis, Lotharingiæque Duce conveniunt. Poſt varia agitata ad ejuſmodi conditiones deventum eſt: *Primo, Catholica Apoſtolica Romana religio ubique in Gallia ſervetur. Secundo, coactis eo uſque copiis, Ugonottæ profligentur: Henricus Genevenſium protectione abſtineat. Tertio, quæ a fœderatis Principibus acta fuerant, uti ad regiam majeſtatem tuendam facta, probet. Quarto, militibus a Guiſiis coactis ſtipendia perſolvat. Quinto, cujuſvis religionis homines tuto uſque ad inſequentis anni januarium menſem in Gallia morari queant; termino elapſo, ni Eccleſiæ conciliati ſint, in alias regiones demigrent. Sexto, concionatores ac miniſtri intra menſis ſpatium regno exeant: ex Regis fœderatorumque copiis peditum ſexdecim, trium equitum millium exercitus inſtruatur, cui, Rege abſente, Guiſius Dux imperet; eo ab hæreticis occupatæ arces expugnentur. Demum in fœderatorum Principum poteſtate, quas modo obtinent civitates atque arces permaneant.* Itaque quintodecimo kal. auguſti Henricus, ſevero edicto in hæreticos propoſito, propenſum in catholicam religionem ac pacem animum patefacit. Quoniam vero reluctantibus, ac regiis edictis parere hæreticis abnuentibus, ad arma deſcendendum erat; magnas inde procellas ſuborituras providens, in belli curas totus ſe effundit: tribus eodem tempore exercitibus, ex inſignium ducum ſententia, opus ſibi eſſe ratus; quorum uno in Aquitania dimicaretur; altero ingruenti in

Pax inter regios & Guiſios & ejus pacta.

Gallias peregrino militi obſiſteretur; tertium penes ſe haberet. His peragendis cum ingenti pecuniæ copia opus eſſet, ut quanta poſſet maxima in ſumptus belli corrogetur, enititur. Eodem tempore Lenoncurtium, Pignyum, Brulardum Præſulem legatos ad Navarræ Regem mittit, magna ſpe ductus, duce Ugonottis adempto, tumultus componi poſſe. Ea omnia per Meſſium oratorem Henricus Senatui ſignificavit; qua clementia, qua animi generoſitate, ut obortæ in Gallia tempeſtates ac procellæ conquieſcant, enixurum; jam prope cuncta ad pacem ſpectare; multas ſibi vires, ſibi haud exiguas copias eſſe; iis, ni aliter fieri poſſet, tandem ſubjectos perdomiturum: Patres hortari ac monere, ſubdola Hiſpanorum ingenia, aſtus, ac fines diligenter obſervarent; tot tantaque adverſus Galliæ incolumitatem religionis integumento agitata, quæ ſane longius provecta, ingens non modo Galliæ regno, ſed chriſtianæ reipublicæ detrimentum minitarentur: at quocumque ſe res pacto haberet, potentia, viribus Reipublicæ præſto ſemper Henricum futurum: idem ab ea ſperare, ſibique polliceri. Hæc orator. 1585

Henrici Regis adverſus hereticos bellici apparatus. Henricus Rex ad Navarræ Regem legatos mittit.

Xyſtus Pontifex vero cum Henrici Navarræ Regis Condæique cauſam ſedulo inſpici atque examinari juſſiſſet, tandem, purpuratorum collegio convocato, quinque ac viginti Cardinalibus adſtantibus, in eos ſpiculum anathematis intorſit, atque in Calvinianam hæreſim delapſos pronuntiavit; perque ſuum apud Rempublicam Nuntium Patribus ſignificavit: Navarræ Regem a prima juventa hæreſi imbutum, a Borbonio Cardinali, patruo, monitum, publice falſa dogmata ejuraſſe, literas ac oratores ad Gregorium eam ob causam miſiſſe: in eoſdem mox errores revolutum, multa catholicæ Eccleſiæ damna intuliſſe: quocirca, correctione deſperata, ut perditum damnaſſe, cunctiſque a ſacris legibus latis cenſuris irretitum pronuntiaſſe: ea regni Navarræ parte, qua potiebatur, privaſſe; jure, quod ſibi ex regia agnatione in Galliæ regno ſpectaret, exuiſſe: eadem in Henricum Condæum principem ſtatuiſſe: ſperare Henrico Regi jam multis circumſepto copiis omnia ad vota eventura, hacque in Navarræum, & Condæum ſententia faciliorem ſibi aditum ad res proſpere gerendas futurum. Verum exitus nulla ex parte Pontificis ſententiæ

Navarræ Rex & Condeus à Pontifice excommunicati.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1585 respondit. Hæretici ferociores effecti, indignabundi ira æstuare, acrius bellum comparare, externa auxilia conquirere. Itaque mutuis suspicionum incrementis, in dies simultatum causis sese efferentibus, nusquam paci ac reconciliationi locus fuit, intestinumque bellum erupit. Rex cum subjectis, subjecti cum Rege, atque invicem pugnare; externi Reges ac Principes in hanc vel in illam partem, prout quisque sibi magis conducere rebatur, propendere cœperunt. His deformata amplissimi ac nobilissimi regni facies, quodque inter cetera eminens, ne altius sese in aliis regnandi cupiditas tolleret, salubri temperamento efficere consueverat, debilitatum ac pene collapsum interiit; quibus de rebus fusius fortasse diximus, atque posthac dicemus, quod inde magna ad totius reipublicæ christianæ statum pertinentia acciderint.

Nicolai Pontii Principis obitus, Paschalis Ciconia Dux eligitur.

Hoc anno, mense julio, Nicolaus Pontius Princeps, cum per septem annos Rempublicam administrasset, nonagenarius excessit. Ei Paschalis Ciconia, marcius Procurator, est suffectus, innocentia, integritate conspicuus, qui superiori bello Cydoniæ in Creta legatus, præclara prudentiæ ac fortitudinis argumenta ediderat. Anni exitu insigni judicio in Ludovicum Ursinum, Corcyrææ militiæ præfectum designatum a Senatu est actum. Is, Xysto ad pontificatum evecto, in Venetas ditiones cum Paulo Jordano Ursino concesserat, qui intra pontificios fines morari minime sibi tutum arbitrabatur, quod Victoriam Acorombonam, sublimi ingenio atque egregia pulchritudine feminam, quam perdite deperibat, a Marcello fratre, priore viro, Xysti Pontificis nepote, interfecto, uxorem duxisset, non absque multorum murmuratione, quod, muliere consentiente, viri cædis conscius ac particeps fuisset; quam ob causam cum per aliquot dies in sancti Angeli arce detenta Victoria fuisset, tandem ejus facinoris insons declarata fuerat: ob id Salodium ad Benacum se Paulus contulerat, ibique post paucos dies febre correptus obierat. Vidua inde femina cum Patavium se recepisset, æde Caballiorum prope Augustinianos sodales, quos *Heremitanos* vocant, conducta, cujusdam diei summo mane mortua una cum fratre adolescente inventa est. Facinoris fama momento per urbem divagata, quæstione adhibita, ex quibusdam interceptis literis, Ludovici Ursini opera perpetratum facinus com-

Ludovici Ursini facinus & mors.

compertum est. Magistratus Patavinus (natalis Servatoris 1585
profestus dies erat) ea de re Senatum certiorem facit; quo statim vocato, Aloysius Bragadenus, rerum capitalium Triumvir, extemplo Patavium mittitur; ei una cum Andrea Bernardo prætore, ac Laurentio Donato præfecto, quid jus sibi videatur, decernendi facultas data. Ludovicus minime territus, vel quod familiæ nobilitate & dignitate tutus sibi videretur, vel quod detegi factum posse non suspicaretur, urbe, uti facile poterat, minime egreditur, ingenti audacia publicum palatium adit, per civitatem de more pervagatur. Triumviri accessu rei veritate comperta, magistratui nequaquam obtemperare, seque ante judices facti rationem redditurum sistere; sed quacumque ratione cum suis, qui ad quinquaginta, fere omnes præfecti, bellaque experti erant, obsistere statuit; atque intra Barbadicorum ædes, ad divi Augustini, in Medoaci margine sitas, in quibus degebat, se recipit. Ejusmodi temere inito consilio, gravissimo crimini adjecto, Triumvir, Rectoresque urbis permoti in opposita ripa tormenta aliquot statui, scloppettarios adesse imperant, si forte terrore pervicacia flecteretur. Verum ille interritus, scripto audaciæ ac temeritatis pleno magistratui significat, nullo pacto se dedere, sed usque ad extremum spiritum tutari sese, atque intra ædium ruinas tumulari sibi immotum ac fixum esse. Statimque ad impetum excipiendum se comparat; centonibus aliaque materia variis in locis ædes fulcit ac communit; fistulatores quosdam ac moschettarios ad loca opportuna disponit. Extemplo ignem tormentis admoveri a magistratu jussum; momentoque anterior ædium murus, tribus dejectis propugnatoribus, prosternitur, quibus illico a præsidiariis militibus abscissa capita. Ursinus sero præcipitis consilii pœnitens, securitatis signo ex ruinis edito deditionem parat; egressus inter eorum, qui eo confluxerant, arma, ante magistratum sistitur; ejus jussu ipse, atque asseclæ carcere includuntur. Summo vero mane Rectorum atque Triumviri decreto in carcere Ursino laqueo gutur fractum. Ex reliquis ejus facinoris reis quidam reste appensi, alii triremibus, nonnulli carcere, prout singulorum culpæ exegerant, damnati; pauci, quos immunes esse constabat, dimissi. Ea nocte Ludovicus ad uxorem, quæ Venetiis morabatur, literas dedit,

K 2 eam-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1585 eamque ad intrepide ſuæ mortis caſum ferendum eſt hortatus; Teſtamentum perſcripſit; inter cetera, Senatui arma, quæ egregia erant, reliquit, quæ in Decemvirum aulis mox collocata ſunt; ſeque eodem ſepulcro, quo patris atque avi in divæ Mariæ hortenſis templo oſſa conquieſcebant, condi juſſit.

M. D. LXXXVI.

1586 HAec domi; foris Uſcochorum irruptiones, Melitenſium ac Florentinorum maritimæ excurſiones adhuc infeſtabant. Nam licet Rodulpho ſceleratorum hominum facinora valde diſplicerent, ejuſque peſtis amovendæ deſiderio teneretur; tamen vel præfectorum avaritia, vel miniſtrorum fraude parum iis in locis ejus mandata atque imperia exaudiebantur. Fomenta a Carolo Archiduce addebantur: Uſcochis amotis, circumjectam regionem, ubi Senia ſita eſt, Turcarum populationibus expoſitam eſſe, & uſque ad litora Adriatici maris excurſuros. Itaque cum inutili cunctatione res Pragæ extraheretur, nulla certa remedia adhiberentur, prædonumque in dies audacia excreſceret, legatum cum ſumma auctoritate, atque imperio in Illyricum mittere Senatus ſtatuit, qui & ſubjectos in officio contineret, gentiſque audaciam vel arcta obſidione, vel, ubicumque inveniſſet, internecione coercere niteretur. Federicus Nanius eſt lectus; qui ſtatim in provinciam profectus, omnem illius regionis tractum circumſedit; multa inde ultro citroque commeantia navigia intercepit; ad omnium rerum inopiam Senienſes atque illius provinciæ incolas adegit. Et quoniam Terſazii Seriniique Comites atque alios Cæſaris beneficiarios tutum Uſcochis receptum præbere, prædaſque recipere nuntiabatur; cum Cæſare Senatus graviter eſt conqueſtus; literaſque ad eos Rodulphus dedit, quibus literis, ut a piratis fovendis atque recipiendis abſtinerent, graviſſimis pœnis jubebantur.

Federicus Nanius in Illyricum legatus mittitur.

Nec minor hoc anno Melitenſium Equitum audacia; qui cum ſuas a Paſchalico triremes captas obliviſci non poſſent, exulcerato in Venetos animo, aſſuetas excurſiones nulla ex parte intermittebant, Venetamque navem nuper ceperant. Iis de rebus cum Xyſtum Patres docuiſſent, datis ad magnum Magiſtrum literis, navigium ſtatim reddi juſſit; remque ſedulo

dulo meditatus, minime æquum arbitrabatur, Melitenſes in 1586
Aegæum, mariaque Venetis inſulis propinqua ſeſe inferre; in eorum navigia, licet infidelium mercibus onuſta, inquirere; eo & mercaturam & navigationem tolli. Itaque penitus illos ab excurſionibus in Orientem intercludere, atque in Africam amandare animo agitabat. Navigium magnus Magiſter reſtitui juſſit, atque ad Pontificem literas dedit, quibus inter cetera magis illi infidelium, quam Melitenſium res cordi eſſe conquerebatur; ſuperiori bello Hieroſolymitanas triremes Venetis præſto fuiſſe, Melitenſi neque palam neque occulto a Republica adjutos eſſe. At Xyſtus, qui ea in re totius reipublicæ chriſtianæ negotium agi arbitrabatur, in ſententia permanebat, ut ab Ionio, Aegæo, Helleſponto Melitenſes abſtinerent, Numidiam remotioraque loca peterent.

Cum vero in id maxime urgeret, ut omnium diſſenſionum cauſæ inter Principes præciderentur, Federico Cornelio, Cardinali, Venetias proficiſcenti, Florentia iter habere juſſit; ut, cum Franciſco colloquio habito, navigationis controverſias inter ipſum, ac Venetos componere adniteretur, præcepit. Is ad urbem accedens, quæ cum Magno Duce Xyſti nomine egerit, Principi ac Patribus expoſitis, Leonardus Donatus Conſilii, Aloyſius Michaelius continentis Sapientes, qui cum Cornelio tractent, a Senatu leguntur. Sed neque tunc, ob varias ortas difficultates, quidquam confici potuit. Ceterum eo in primis Senatorum curæ & cogitationes convertebantur, ut cuncta quibus pax turbari poſſet, amoverentur. Quamvis enim Amurathes adhuc Perſico bello diſtineretur; nihilominus decennio jam elapſo, utrimque feſſis attritiſque viribus, verendum erat, ne tandem, uti crebris nuntiis afferebatur, bello finis imponeretur; qua in re multa curioſa hominum diſquiſitione diſſerebantur. Erant qui, tantam jacturam ægre ferente Amurathe, ex veteri majorum inſtituto, ei nulla ut re concedente, trahi bellum poſſe, arbitrarentur. Alii contra exiſtimabant; Demircapi, Teſti, Carſo, Vano, aliiſque munitis arcibus (quod minime Suleimanus fecerat) captis, difficulter ea provincia pelli Amurathem poſſe; quippe qui cum his bellum gereret, qui muniendarum expugnandarumque arcium jocari, parum tormentis, quibus hodie bella conficiuntur, valerent; quantalibet ve-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1586 ro militia abſumpta, ob ampliſſimos imperii fines, nihil fere a Turcis amiſſum; nuper e Græcia ingentem militum copiam in Aſiam ſub Ferratis imperio trajectam; Aſſyriæ atque vicinarum provinciarum præfectos quamprimum milites, architectos, fabroſque in Perſidem mittere juſſos: inde, Perſa debilitato, Turca aucto, cito ad pacem venturum Amurathem crederent; id ſi accidiſſet, quo tanti imperii moles nunquam acquieſcere aſſueta incumberet, ſummopere conſiderandum erat; ac ne poſt terreſtre bellum in maritimum inclinaret. Reginæ Angliæ legatus aſſidue ad Siciliæ expeditionem Amurathem adhortabatur; eodem tempore Hiſpaniæ litora cum claſſe Britannos aggreſſuros pollicitus. At vero militari diſciplinæ adverſum plerique opinabantur, Venetorum inſulas ſitu & viribus prævalidas a tergo hærentes relinquere: quocirca ad Cretam muniendam firmandamque nihil prætermittebatur.

Anglus Legatus Turcas ad Siciliæ expeditionem hortatur.

Alia ex parte haud parum ingentia Hiſpanorum incrementa ſolicitudinis afferre Principibus videbantur; qui præter reliquas imperii acceſſiones, nuper Alexandri Farneſii, Parmæ Principis, virtute ac fortuna Antverpiam, Brabantiæ caput, obſidione adepti, eo ſeſe provexerant, ut Galliæ diſſenſionibus inteſtiniſque diſſidiis, quæ ingentibus pollicitis atque auro aluiſſe ferebantur, jam ampliſſimo illi ac potentiſſimo regno adverſus exteras gentes invicto inhiarent. Quæ ſanæ tanto graviora erant, quod, belli civilis incendio jam univerſa fere Gallia flagrante, Xyſtus Pontifex ac Philippus palam fœderatis faverent, atque, ut majores in die vires aſſumerent, eniterentur; ille ob catholicam religionem, de qua in primis agi videbatur; hic, ut facilius quæ diu maturaverat conſilia ad exitum perduceret. In tanta vero Galliæ agitatione Philippus ad Genevam occupandam animum intendit, Sabaudi generi ope, quem gloriæ ſpe incitatum ad quæcumque ſibi opportuna eſſent tentanda, traduxerat, facillime eo, quod cupiebat, potiri ſe poſſe ratus. Itaque cum Pontifice de ea civitate expugnanda egerat, pergratum illi fore exiſtimans, ſi urbs, in quam veluti in ſentinam hæreticorum omnes peſtes confluebant, atque inde in alias Europæ partes diſpergebantur, in ejus poteſtatem concederet. Verum Henricus, qui aliquot ante annos in ſuam clientelam Genevam ſuſceperat, de iis admonitus, cum Xy-

Xyſtum vehementer in hanc expeditionem propenſum intelli- 1586
geret, per ſuum oratorem atque alios amicos ſibi Cardinales perfecit, ut ejus rei conficiendæ omnem ſpem abjiceret; nunquam ſe civitati, quæ ſub ejus auſpiciis conquieſceret, vim inferri paſſurum; ex eo majores quoque tumultus in Gallia, cunctis Helvetiis ad Genevenſibus opem ferendam accurrentibus, ſuborituros; in Sabaudiæ ditiones, atque adeo in Italiam ipſam pervaſuros. Abjecta itaque ea conſilia penitus fuere.

Hoc autem anno variis ſucceſſibus, qui ad rerum ſummam non conferrent, in Gallia, variante fortuna, expugnationibus, minutis præliis, oppidorum occupationibus laboratum; neque minus varius atque inconſtans Regis animus, nunc ſeveriſſimis in Ugonottas edictis magnam conſtantiam immotamque ſententiam, quæ ſuperiori anno decreta fuerant, exequendi præferre; modo eorum, quæ ad bellum neceſſaria erant, curas remittere; nonnunquam haud obſcuris argumentis proclinatum ad honeſtas pacis conditiones animum ſignificare; a quibus Regina mater minime aliena, cum Navarræ Rege colloquio inito, quantumvis adniteretur, tamen non niſi paucorum dierum inducias pepigerat. Principes quoque Germani, quos *Proteſtantes* vocant, ut aliqua concordiæ ratio iniretur, enitebantur; atque ob id Joannes Caſimirus Palatinus, Saxoniæ Dux, Brandeburgenſis Marchio, atque alii Principes, Argentoratum quoque, Ulma, Norimberga, ac Francfordia liberæ civitates, legationibus ad Henricum miſſis, hortabantur. *Pacem regno reſtitueret, neque armis ageret. Quid ex iis, niſi ſubjectorum, quorum nondum præteritæ cicatrices cedere fuerant, excidium expectari poſſe? mirari commoda ex poſtremo pacis edicto, regia fide obſignato, expertum, modo voluntatem immutaſſe, privatiſque aliorum ſtudiis ductum, ſingulari Reginæ matris prudentia, Cardinalis Borbonii insignium procerum conſenſu, pro publica tranquillitate, velle decreta evertere: multo minus ſe inſpicere, cur, qui clandeſtina conſilia, militum delectus, &, qui libertatis ac religionis obtentu, ſe vivente, de ſucceſſore adigendo egerant, deteſtatus, regiis edictis abſque ulla diſcrimine omnes ſibi ſubjectos complexum affirmaverat, modo ſuperioribus contraria pronunciaret; claſſicum canere; bellum civile atque internum*

Induciæ inter Galliæ & Navarræ Reges. Germanorum Principum ad Henricum Regem legatio & eorum officium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1586 *indiceret, quo ceteris in rebus ei obsequentes, libertatem tantum religionis petentes, exterminarentur. Quot bellorum incendia, quot cædes, quot funera proditura essent, præteritarum rerum exempla, quæque a superiori anno eo usque acciderant, patefacere. Quocirca hortari, rogare, ut, factiosorum hominum, immodicaque ambitione & cupiditate æstuantium consiliis rejectis, ad pacis conditiones animum flecteret; se ipsum, subjectos, Principes finitimos a cladibus & calamitatibus, quæ a difficillimo atque obstinato bello impendebant, liberaret.* Hæc legati. Ad ea Henricus : *Sui muneris esse, & Christianissimi Regis, quem gereret, dignum titulo, catholicam religionem in suis ditionibus sartam tectamque conservare; quæ in eam quotidie perpetrentur, nisi magno conscientiæ detrimento, ferre non posse : statutum sibi esse, pristino illam atque antiquo splendori restituere; quæque stabili huic decreto obstent, amoturum : quid opus regno sit, se melius neminem nosse : pro temporum conditione, pro rerum statu, modo imminui, modo instaurari, modo immutari consilia, edictaque, uti reliqui Principes, qui sapientiæ & prudentiæ nomen adepti sunt, efficere consueverant, oportere.* Eo Regis responso parum Principibus ac civitatibus satisfactum; fluctuantibusque rebus, altiores in dies radices civilia dissidia in Gallia agebant.

Henrici Regis responsum.

Hæc omnia cum sedulo Senatus, uti ingentium rerum orsus, observaret, in ea, quæ ad securitatem ac defensionem imperii attinebant, intentiore cura ac studio versabatur. Sub id tempus Sfortia Pallavicinus, summus Venetæ militiæ gubernator (ea dignitas insignibus viris, ac per omnes militiæ gradus evectis tribui solet) cum per multos annos singulari virtutis laude eo in munere versatus fuisset, fato concessit. Ei successorem dare minime tunc Patribus placuit; sed Joanni Baptistæ Montio, magna virtutis bellicæ fama percelebri, quam, dum in Belgio Philippo Regi militaret, fuerat consecutus, peditum præfectura, quatuor aureorum millium in singulos annos stipendio, a Senatu est attributa.

Sfortiæ Pallavicini obitus.

Joannes Baptista Montius Venetæ militiæ adscriptus.

M. D.

M. D. LXXXVII.

INter graviora hæc parva quædam ac levia interceſſere, certantium ſtudiis in contentiones non leves, ni opportune proviſum foret, eruptura. Nam cum eo hominum petulans ſe ſe extuliſſet ambitio, ut, veluti iis propria nomina ſorderent, novis inſuetiſque excogitatis titulis uterentur, quæ peſtis ab Hiſpanis exorta ſe in omnem fere Europam diffuderat; ei malo in ſuis regnis Philippus obſiſtendum ratus, edicto (quod *Pragmaticam* vocant) ſanxit, ne quis, præter Hiſpaniæ proceres (hi ſunt, qui tecto capite Regi adſtant) Duces Marchioneſve, Domini titulo uteretur. Ex eo decreto ingentes oratorum querelæ : Xyſti Nuntius rem ad Pontificem ſpectare; Cæſaris legatus ad Imperatorem trahere; Venetorum orator, ſi quid de priſca conſuetudine immutandum eſſet, ne, ſe inaudito, quidquam fieret, petere. Ea re Xyſtus haud parum commotus a Rege edictum corrigi efflagitat; rem ad Cardinalium collegium defert; Philippum in excommunicationis ſententiam lapſum cenſet; librorum vetitorum indice comprehendi pragmaticam juſſurum affirmat. Cardinales, anathematis indicta pœna, ab ea ſervanda prohibet. At Philippus Principum oratores, qui ſtatis ſecum cæremoniis interſunt, intercludi edicto nolle affirmat. Xyſti Nuntio, ut viris eruditis, theologicæque ſcientiæ peritis examinandum negotium permitteret, petente, de Pontificis jure ea lege nihil imminui cenſuere : itaque edictum firmum manere ſtatuit, cunctandoque controverſiæ finis impoſitus. 1587

Hiſpanorum de titulis pragmatica.

Galliæ quoque Rex, cum Veneti Joanni Delphino Joannem Mocenicum oratorem ſuffeciſſent, qui, licet Sabaudicam legationem obiviſſet, nondum tamen Sapientis continentis magiſtratum attigerat, recipere eum ſe pollicitus negat. *Haud parum de ſua exiſtimatione detractum iri ſi, Hieronymo Lippomano, qui apud Cæſarem orator fuerat, in Hiſpaniam miſso, is, qui inter præconſultores nondum fuerat, ita ſe legaretur; Hiſpanos quacumque in re callide agere; nihil, quod ad eorum dignitatem ſupra ceteras efferendam attineat, omittere; cunctorum in oculis hæc agi. Quis ſi utramque legatio-*

Henricus Galliæ Rex Joannem Mocenicum oratorem admittere renuit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1587 *gationem conferat, non ſibi detractum exiſtimet? In magiſtratibus eligendis ordinem a Republica ſervari; præfigi competitorum nomini ante geſtorum magiſtratuum titulos, ut tanquam per gradus cives a minoribus ad majores ſubvehendos ſignificet: in Continentis præconſultorum ordinem Mocenicum cooptet; eo ſatis ſibi facturam, legationemque admiſſurum.* Inuſitata atque inſueta Henrici poſtulata Patribus viſa, quæ ſi ſemel admitterentur, gravia in Rempublicam incommoda irreperent: liberam magiſtratuum legationumque electionem omnino ſervandam eſſe cenſent. Itaque Senatu conſulto Regi reſponſum. *Niſi de majorum inſtitutis, de Reipublicæ forma, de magiſtratuum creandorum legibus ageretur, libenter ei Senatum gratificaturum; ſibi vero ſuadere, juſtis Reipublicæ rationibus perpenſis, quæ acta ſint, æqui bonique conſulturum.* Hæc a Joanne Delphino gravi oratione enuntiata, tandem Henricum, ut legatum admitteret, perpulere. Eodem tempore, genio veluti quodam Gallis adverſo excitus Philippus, ſummo ſtudio Venetos ſibi conciliare ſtudebat; quod Hieronymus Lippomanus, qui præcipuam inter chriſtianos Principes apud Cæſarem legationem obiverat, ad ſe orator miſſus eſſet, magnificare; ædes quoque, quas oratores Veneti in poſterum incolerent, Senatui dono dare. Pipperis inſuper, quod ex India Ulyſipponem importabatur, commercia communicaturum ſeſe offert; id Venetis navibus in urbem invectum, magno publicorum vectigalium incremento privatorumque compendio, per omnem Europam diſpergi poſſe. Ingentes ob hæc gratiæ Regi agebantur; verum quo minus pipperis negotium perficeretur, multa obſtitere, atque id in primis, ne cives lucri cupidine illecti, aliquando (ut plerumque degenerant animi) privatas publicis rationibus anteferrent.

Senatus reſponſo Henricus de ſententia decedens Mocenicum admittit.

Philippi Regis propenſi animi erga Venetos ſignificationes.

Henrici Regis & Ugonottarum bellici apparatus.

At majoribus curis tunc Henricus abripiebatur, metu ac ſpe in Gallia cuncta verſante: magnus militum delectus in Germania habebatur: Angliæ Regina, Germanique Principes Navarræ Regi ac Condæo auxilia pollicebantur. Henricus contra a fœderatis impulſus, omne ſtudium in domeſticis atque externis copiis cogendis adhibebat, cum ut Germanis aditum in Galliam intercluderet, tum ut in Aquitania Pictonibuſque ac

ac Delphinatu Catholicos tueretur. Chaumontium tertiodecimo kal. auguſti omnes copias adeſſe jubet: fœderis princeps Carolus Cardinalis Borbonius, vicarius Lotharingiæ Dux, Guiſius exercitus imperator, Humenius cathafracti equitatus, levioris armaturæ Namurſius præfecti, ac Bironius equitum tribunus creantur. Copias in promptu futuras ferebatur; ſeptuaginta equitum turmas, peditum Gallorum decem, Helvetiorum duodecim, Germanorum quatuor millia; ad hæc foſſorum duo millia, ac decem majora tormenta. Lotharingus ac Guiſius, ut Germanos aditu arceant, Nanſæum occupant; circumjectam regionem peditatu atque equitatu firmant; amne Moſella inciſo, arceri hoſtes poſſe arbitrantur. Parmæ Princeps, licet in Belgio occupatus, quadringentos cathafractos, ſeptingentos levioris armaturæ, duo millia Italorum peditum ſubſidio fœderatis mittit. Navarræo contra in Pictonibus proſpere pugnante, Henricus Rex Jojeuſæ Ducem ad coercendos diſtinendoſque hoſtes, ne ſibi Germanos adjungant, Ligerim trajicere jubet. Ei fortuna initio arridere viſa; verum brevi cum pecuniæ inopia, lue in exercitu orta, ad opem ſuis ferendam Lavardino copiis attributis, Lutetiam ſe confert; in tuta loca ſejunctas copias diſtribuere nitente, equitum turmæ aliquot a Navarræ Rege ſternuntur ac delentur. Verum haud multo poſt, novis auctus copiis, prælio ad Cutras cum Navarræo decernit; dumque illum a Germanorum auxiliis intercludere ſperat, ingenti clade eſt affectus; ipſe interfectus, ſex millia peditum cæſa. Victoriam adeptus Navarræus in Vaſconiam, Condæus cum copiarum parte in Xantones, mox Germanos excepturi, proficiſcuntur. Fœderati Lutetiam communiunt, atque totum in peregrinis auxiliis avertendis ſtudium locant. Fama in dies augebatur, eorum ducem Fabianum Bonavium futurum; Navarræ Regis vices Robertum Bullionii Ducem obiturum; quinque equitum, totidem Germanorum peditum millia, Helvetiorum circiter quindecim in promptu fore; quibus ſclopettariorum Gallorum duo millia, quingenti equites addebantur. His copiis Caſtellioneus, a Gallia Narbonenſi atque in Lotharingiam itinere emenſo, cum octingentis circiter peditibus ſe adjunxit.

Parmæ Princeps ſupperias Henrico Regi mittit.

Inter

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1587 *Henricus Rex pecuniam per Meſſium oratorem a Venetis poſtulat.*

Inter hæc per Meſſium oratorem, quo loco res eſſent ſæpius Henricus Senatui ſignificabat: bellum tota Gallia fervere, copias cogi, nihil ſe prætermittere, ut quacumque ratione pacem priſtinumque regno nitorem reſtitueret; peregrinis copiis aditum obſtrueret: ad ea ingenti auri vi opus eſſe; quapropter ab amica Republica petere, ne ſibi difficillimo tempore deeſſe velit; trecenta aureorum millia poſcere; ingentis id beneficii loco habiturum; ſtatuto tempore, debita cautione præſtita, repoſiturum, idque eo facilius, quod nuper ex ſacerdotum proventibus quinquaginta aureorum millia alienandi facultatem a Pontifice obtinuiſſet; prædes magni nominis negotiatores daturum, regni vectigalia obligaturum; ſexaginta millia, quæ ex ducentis Carolo nono fratri tributis ſolvenda ſupererant, redditurum; ea omnia ut a Pariſienſi concilio confirmarentur, curaturum. Senatu conſulto centum millia Patres pollicentur; Rex autem cum Galliæ clero certis legibus pactus, ut mercatoribus regno ipſi obnoxiis contentus Senatus eſſet, petiit, adſenſumque eſt: ingentes ipſe gratias agit, beneficii memoriam nunquam apud ſe intermorituram profeſſus. Verum quæ poſtea ſupervenere beneficii Reipublicæ fructum Henrico intercepere. Interea externarum copiarum rumori, quo e ſedibus fere totam Germaniam exciri percrebuerat, nuſquam eventus reſpondit; vel præfectorum parvo rerum bellicarum uſu, vel itinerum difficultate, nihil tentatum. Nam, Rege Charitæum, valde munitum oppidum, obtinente, Ligerim tranſire non auſi. Helvetiorum tumultus, vel ſtipendii mora, vel prælii facultate a præfectis negata, acceſſere. Legatis ad Henricum miſſis, pars ei ſe adjunxere, pars domum ſe recepere. Exemplum reliquæ copiæ ſubſecutæ; Germani pedites vel itineris moleſtia, vel fœderatorum militum armis magna ex parte diſſipati & conſumpti; reliqui, fide regia interpoſita, Gallicis vexillis accepti, uti ſexto idus decembris inter Epernonium Ducem ac præfectos convenerat. Raitri, ſignis complicatis, extra fines regni abiere; horum quidam in itinere interiere; plerique armis exuti, complures in Sabaudia cæſi, pauci ſuperfuere; Bullionius annos natus vigintiquinque Genevæ obiit, Bonavius incolumis, undique probris ac maledictis oneratus, evaſit.

Senatus decretum de pecunia Galliæ Regi commodanda.

Germanorum auxilia diſſolvuntur.

In

In hac eventuum perplexitate Gallicæ res hoc anno verſabantur, magna omnium ſuſpenſione, quonam diſſidia, quibus potentiſſimum regnum miſcebatur, eſſent evaſura; dum Italia interim externorum turbinum anxia ſpectatrix, diuturnæ pacis fructibus floreret; Xyſtus Pontifex ingentem theſauri vim congereret; urbem egregiis ornamentis, aquæductibus, obeliſcorum erectionibus, ædificiis illuſtraret; ſuique pontificatus memoriam percelebrem ad poſteros tranſmittere curaret; eiſdem quoque Veneti operam darent, qui ære alieno, ſuperiori bello contracto, liberati, ſingulis annis magnam auri argentique vim, quam aliquando in belli ſumptus effunderent, in publicum ærarium cogebant, egregiiſque ſubſtructionibus quotidie civitatis ſplendorem augebant. Negotiatorum quoque incommodo ſubvenire decretum, qui, apud privatos menſarios pecunia depoſita, eorum fraude, avaritia, crebriſque decoctionibus ingentes jacturas damnaque patiebantur; ex quo publicis etiam redditibus haud parva detrimenta accedebant. Itaque lex lata in Senatu, ut publica menſa erigeretur, in qua tuto ſinguli argentum aurumque adſervarent; ei Gubernator præficeretur, qui rite atque ex ordine cuncta adminiſtranda curaret; id munus Franciſco Gradonico primum tributum. Per eos dies cum Carolus Emanuel, Sabaudiæ Dux, ex Catharina Philippi filia Philippum Emanuelem primogenitum ſuſcepiſſet, Principemque, ut ei ſacro fonte abluendo adſiſteret, invitaſſet, Auguſtinus Nanius a Senatu legatus ad Carolum eſt deſignatus. Gulielmo vero Mantuæ Duce vita functo, cum Vincentius filius ſucceſſiſſet, itatimque id Reipublicæ ſignificaſſet; qui & patris obitum doleret, & gratulationis munus obiret, Franciſcus Contarenus a Senatu orator eſt lectus. Franciſcus quoque, magnus Hetruriæ Dux, atque eodem fere momento Blanca Capella uxor, ex humanis exceſſere; Ferdinandus frater, qui tunc in Cardinalium numero erat, ſucceſſit; is Aloyſium Dovarium, qui fratris obitum, ſuamque ſucceſſionem Patribus nuntiaret, Venetiis legavit. Thomas Contarenus ad eum orator miſſus. Stephanus quoque Battoreus, Poloniæ Rex, naturæ conceſſit; competitores Sigiſmundus Suetiæ Princeps, Maximilianus Archidux, Rodulphi Cæſaris frater, pari nixu ad regnum contendere;

1587

Veneti publicam menſam ad mercatorum commodum inſtituunt.

illi

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1587 illi Gnesnæ Archiepiscopus Poloniæ primas ; huic Chioviæ Episcopus favebant ; ambo electorum discordia, armis regnum sibi adsciscere nitebantur : in Suecum Xamosius, magnus regni Cancellarius, nec non Amurathes Turcarum Rex, Austriorum hostes, propendebant. Maximilianum Saxoniæ ac Brandeburgi Electores, ac Sboroscorum familia in iis regionibus clara ac præpotens tuebantur. Sigismundus populi favorem sibi magni Cancellarii ope conciliaverat ; Maximilianus dum ferro aditum ad regnum struit, ab adversa factione pulsus, ad Silesiæ fines cum suorum jactura se se recepit.

M. D. LXXXVIII.

1588 SEquitur annus partæ salutis quingentesimus octogesimus-octavus supra millesimum ; si quis alius fortunæ volubilitate, eventuumque varietate insignis, qui in Gallia veluti amplissimo totius orbis theatro editi, reliquas provincias ac regna alia ex propinquo, alia ex longinquo tetigere ; multos ad arma excivere ; plerosque incerto tantarum rerum exitu turbavere. Inde complura documenta insigni loco posita licuit intueri ; quibus humani ingenii imbecillitas, temere fuscepta consilia, sublata a proceribus infimæ plebis studia, Principum dira regnandi cupido dignosci potuit. In omnium ore Germanorum atque Helvetiorum auxilia superiore anno in Gallia dissipata versabantur ; summis laudibus Guisius Dux efferebatur, quippe qui tantam rem non minus consilio quam viribus confeciſſet ; ex quo fœderatorum existimatione haud parum aucta, januarii exitu Nansæum coacti, a Rege, ut arctius se illis conjungat, petunt ; ab arcibus magistratibusque præcipuis hæreticos summoveat ; Tridentinum concilium vulgari tota Gallia jubeat ; Inquisitionis magistratum in præcipuis regni urbibus instituat ; ecclesiasticis, quæ hucusque bona alienata fuerant, vel in posterum alienarentur, recuperandi jus permittat ; præcipuam atque insignem arcem fœderatis concedat, eamque una cum aliis, quas obtinebant, communire sinat ; militum manipuli expleantur ; copiæ in Lotharingia ad externos impetus propulsandos augeantur ; ad cœptum bellum continuandum, hæreticorum eorumque sociorum

Galli proceres fœderati Nansæi conveniunt, & eorum petitiones.

rum bona sub hasta venumdentur. Hæc, atque alia hujusmodi fœderatorum postulata ægre ab Henrico probabantur ; licet enim a catholica religione dissentientes armis persequi statuisset ; attamen multa animo obversabantur, quibus difficulter adducebatur, ut Tridentinum concilium reciperet, Inquisitionem institueret, arces fœderatis tribueret. Igitur partim cunctando, partim variis edictis hæreticos coercendo, rem extrahere, atque ex tempore firmiora consilia capere nitebatur. Fœderati contra suspicione tacti, felicibusque incrementis in Lutetia totaque Gallia erecti, acrius urgent, Sedanum oppidum, irrito licet successu, adoriuntur. Rosnæus, vices Guisii obtinens, multis e suis ab hoste cæsis, quibusdam captis, ad reliquas copias Giametzium circumsidentes se adjungit. Henricus Borbonius, Condæi Princeps, ocyssimo veneno a quodam e suis familiaribus trium horarum spatio est sublatus. Unus e facinoris reis a quatuor equis in divi Joannis Angeli oppido discerptus, meritas pœnas luit.

Henricus Condæus Princeps veneno interiit.

Guisius vero, Giametzii obsidione relicta, paucis comitantibus, Lutetiam contendit. Rex, nuntio ejus rei ad se allato, haud parum commotus, Belleurium in Suessiones obviam mittit, qui, ne Lutetiæ appropinquet, denuntiet ; si id facere velit, pro majestatis reo, dissensionumque civilium auctore, Henricum habiturum. Ille, cum ambiguo responso Belleurio dimisso, septem aut octo nobilibus stipatus Lutetiam accedit ; ad Reginæ matris ædes se confert ; cum ea statim Regem adit ; qui, cur se invito, Lutetiam venerit, quærit. Ille, ut quæ a se gesta essent, Regi probaret, venisse, inquit ; secorsimque paulisper cum Regina matre collocutus abit. Tum Henricus custodes corporis augeri, præcipua quædam in urbe loca occupari, unum ex singulis domibus arma capere jubet. At sero, Lutetiam in tumultum proclinatam, Guisii adventu populum commotum, animadvertit. Cum nemo pareret, inquiri in nonnullorum domos, in auctoresque animadverti præcipit : ea res ad tumultum maturandum, atque averte plebem concitandam valuit. Momento fere ex ea urbis parte, quam *universitatem* vocant, studentium manus plebi immista confluens, Maubertam plateam occupat. Rumore extemplo per urbem dilapso, Parisienses doliis vineas agunt, via-

Henrici Regis ad Guisium Ducem Lutetiæ appropinquantem obnuntiatio.

Guisius Lutetiam ingreditur.

Parisiensium tumultus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1588 viarum aditus interſepiunt, catenas objiciunt, munitiones tumultuario opere probe lateribus tutas, milite adjecto, excitant : nuſquam, niſi a regionum urbis præfectis edito nomine, aut fide oſtenſa, aditus patet. Briſacius, Boiſdelphinius, Sciamajus, atque alii fœderis anteſignani in Helvetios impetum faciunt, nonnullos obtruncant, reliqui armis prope nudati terga vertunt ; ex Gallicarum cohortium numero idem alii faciunt. Repentino hoc ſucceſſu mirum in modum Henricus perturbatus, irarum faces, quibus incendebatur, premere ac tegere nititur. Mater illico ad Guiſium tendit, ſi qua forte ratione ea tempeſtas ſedari queat. Verum res adeo proceſſerat, ut nullatenus ſiſti procellæ impetus poſſet. Itaque regreditur, ac vix inter viarum ſepta rheda, qua vehebatur, ei aditus fuit. Magis magiſque populo æſtuante, Henrico nuntiatur, telum, ni caveat, in ſe caſurum ; per novam portam ſequenti nocte duodecim circiter millia hominum urbem ingreſſuros ; Luparæ palatium, ut ei exitum intercludant, invaſuros. His nuntiis Henricus territus, pedes palatium egreſſus, inſeſſo equo, cum e ſuis aliquot per eamdem portam Lutetia egreditur, in urbem ſæpius converſus, Pariſienſium ingrati animi crimen exprobrans, qui alias, ſupra quam dici poſſet, a ſe evecti, modo ſe deprimerent ac deſererent. Poſtridie Carnutum pervenit, quo multi confluxere.

Henricus Rex Lutetia abſcedit.

Guiſius ea occupare pergit, quæ, nullo obſiſtente, ad ſe pervenerant, compluribus e ſuis admirantibus, quod aperte in Henricum infenſus, vel nominis regii reverentia impeditus, vel conſcientia territus, opportuna occaſione minime uſus, inani tantum terrore affeciſſet, cum vel in ſuam poteſtatem redigere, vel, nece illata, tollere potuiſſet. Aureliani præfecto, fœderatiſque nobilibus in Beauſſa ac circumjectis regionibus commorantibus, Lutetiæ eventum ſignificat. Ad Henricum vero literas dat : ſumma moleſtia ſe affectum, quod ſibi ac ſuis diffidens Lutetia exceſſerit ; quæ acta fuerant, populi metu Inquiſitionem timentis facta : ſinceræ ipſius in Regem voluntatis Reginam matrem teſtem afferre. Eodem tempore Carnuto Henricus provinciarum gubernatoribus quæ acciderint enuntiat : nobiles civitateſque in fide contineant, præ-

Guiſii Ducis litera ad Regem.

præcipit : eadem ut ad Gallos omnes perveniant, curat Interea Guiſius ſcripto ab Henrico multa petit : *Ut in decreto de exterminandis e Gallia hæreticis inſiſtat ; ab ſe Epernonium ac Vallettam fratrem, uti omnium diſſenſionum cauſas, expellat : ipſemet in Ghiena dimicet : in Delphinatu Umenium copiis præficiat : oppreſſos populos ſublevet.* Ad hæc Rex hunc in modum reſpondet : *Ut regno pravæ inductæ conſuetudines tollantur, remedia populorum querelis adhibeantur, conventu Blæſas decimooctavo kalendas ſeptembris indicto, curaturum. De iis, quæ in Epernonium ac Vallettam jaciebantur, quæ æquum ac juſtum Principem deceant, decreturum ; cunctis ſubjectis ex æquo jus redditurum.* Eodem tempore Pariſienſis Senatus e ſuis quoſdam Carnutum miſerat, qui præterita excuſare, Henrici animum lenire niterentur : qui (ut erat facili admodum ingenio) *nunquam iis ſe, quo minus contenti eſſent, occaſionem præbuiſſe*, inquit ; *eos nunquam opprimere, nunquam privatas injurias ulciſci voluiſſe : hortari, in poſterum ita ſe gerant, ut illius clementiam potius, quam potentiam experiantur : ſæpius læſam patientiam in furorem verti ; ſi ſecus faxint, nihil intentatum relicturum : non ſe quidem in vindictam propenſos ſpiritus gerere ; at animo tantum ſuo vigoris ineſſe, quantum in ſuis majoribus extiterit. Poſtquam*, inquit, *ad regnum, Carolo fratre defuncto, vocatus e Sarmatia reverti, in neminem ſeverus ac rigidus extiti ; id vos optime noſſe ac plane teſtari poteſtis. Ceterum manſuetudine ac clementia mea abuti nolo. Non mihi regnum uſurpavi, majorum ſucceſſione, ea ſtirpe, quæ moderate ſemper ac ſuaviter imperavit, exorta, legitime regnum obtineo ; non religionis nomen inducendo. Alia iter modo dirigendum via ; nemo me magis in corde Catholicus Princeps, quique hæreſum ſtirpitus everſionem exoptet, invenitur ; geſta, anteactæ vitæ ratio ſatis meis id populis teſtantur. Utinam præciſo brachio hæreticorum autorum pectora tantum expreſſum hic habeam. Redirent igitur, nullo metu, ſua munera ſub ejus tutela exercerent ; ſuis hoc concivibus nuntiarent.*

1588 *Guiſii novæ petitiones.*

Fœderati interea, ut aliqua concordiæ ratio adniveniretur, adnitebantur ; Regemque conſulentes matrem cum ad pa-

Henrici Regis reſponſum.

Pariſienſes ad Regem mittunt, & acta excu-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1588 cem propensum cernerent, paucis quibusdam mutatis, quæ ad Nansæum oppidum agitata fuerant, ei rursus proponunt, Rothomagique in hæc conveniunt. *Non aliam religionem in Gallia, præter Catholicam Apostolicam Romanam recipito; neque pacem neque inducias cum hæreticis ullo tempore habeto; neque edictum aliquod in eorumdem favorem promulgato. Subjecti omnes ad hæreticos penitus extirpandos Regi adjunguntor. Nemini post Henrici obitum vel hæresi infecto, vel hæreticis faventi obedientia, ut Regi, præstator. A pacis, bellique muneribus, qui religionis, ut ajunt*, reformatæ *sunt, arcentor. Omnes cujusvis ordinis externis ac domesticis societatibus & fœderibus, huic edicto adversis, quo Henricus sibi atque filiis, si quos habiturus esset, sibi subjectos conjungeret, nuntium remittunto. Si quis huic novæ societati subscribere abnuerit, vel a subsignata discesserit, læsæ majestatis reus habetor. Præterita omnia, cujusvis generis sint, oblivioni traduntor. Edicto Lutetiæ vulgato, duo statim exercitus, alter in Pictonibus, alter in Delphinatu comparantor.* His de rebus per Messium oratorem Henricus Senatum certiorem facit.

Fœderati cum Rege conveniunt.

Inter tot Galliæ turbines Carolo Sabaudiæ Duci, Henrici in Italia Salassiorum ditiones, haud difficile occupasse fuit. Nam, occulto sibi nonnullorum conciliatis animis, improviso Carmaniolam, Gallorum Regum in Italia propugnaculum atque armamentarium, nullo negotio cepit; inde Centalio oppido potitur. Salutium, regionis caput, Episcopo una cum sacerdotibus cum infulis oppidanisque omnibus obviam eunte, Carolum excipit. Ejus rei novitate Italiæ Principes perculsi sunt; cum eodem tempore præter expectationem aditum ab ea parte in Italiam intercluſum, intestinis civilibusque dissidiis Gallias divelli, ingentes in oceano classis Hispanæ apparatus fieri animadverterent, in diesque majora incrementa eas vires sumere, quæ æqua veluti lance Gallorum potentia librarentur. Itaque Sabaudiæ Ducis nomen proscindebatur, quod publici commodi oblitus, dominatus cupidine captus, sese penitus Hispanis tradidisset; ac; modo sui voti compos fieret, nihil

Carolus Sabaudiæ Dux Salassiorum ditiones Gal. adimit.

nihil pensi habuisset. His Carolus Emanuel permotus, quæcumque gesserat, recta se ratione feciſſe contendebat; Dignerium, hæreticorum Protestantium principem, Pinaroli & Cunii arcibus insidias struxisse; re detecta, in noxios a se animadversum; in Salassiis cum Fita Vallettæ Vicario occulto multa cogitasse; Delphini castrum, Pontis arcem occupasse; ad majora in ea provincia ac subalpinis adspirare: ut imminentibus hisce periculis obsisteret, coactum. Hæc atque alia in vulgus dissipabat, atque per suum apud Rempublicam oratorem Senatui significabat: ut Ugonottis aditum in Salassios, atque adeo in viscera Italiæ intercluderet, Carmaniolæ aliisque oppidis præsidia imposuisse; ea se Regis nomine tueri, amotis suspicionibus, redditurum. Hæc ad speciem jactabantur; re vero Henrico verba dabat. Italos Principes excusationibus ac spe detinebat; atque eodem tempore ad Genevam obtinendam, Hispanorum viribus nixus, animum adjiciebat. Quæ in Salassiis acciderant, auditis, vix dici potest, quantum Henricus efferbuerit, quantum Galliæ nobilitas indignabunda exarserit: minari, fremere, injuriam a Sabaudo acceptam nullo modo passuros, cunctos ad Salassios recuperandos conventuros, inustamque Gallico nomini notam hostium sanguine deleturos. Carmaniola capta, statim Carolus suum in Galliam hominem miserat, qui Regi rationes, quibus ad ea peragenda ductus esset, exponeret, seque ejus nomine Salassios tueri, ad nutum redditurum, testaretur. Rex quoque eodem momento Pygnium ad Sabaudum legaverat, qui, ut ab iis ditionibus illico præsidia amoveret, easque sibi restitueret, flagitaret: ni id faceret, bellum indiceret. Verum Xystus in Sabaudum atque in fœderatos mirum in modum proclivem sese ostendebat; eo in primis, quod de catholica religione conservanda agi sibi videretur. Quapropter quæ a Carolo gesta essent, minime improbabat: nihil adversus Henricum facile; opportune ei Salassios redditurum; eos in Sabaudi, quam in hæreticorum potestate satius esse contineri.

1588

Henrici Regis ob Salassiorum res indignatio.

Xystus Pont. in Sabaudum & fœderatos propensus.

At Veneti cum imminentia christianæ reipublicæ damna prospicerent, atque inde Italiæ quietem perturbari posse

E ani-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1588 animadverterent, nullum officii genus, ut hiſce initiis obſiſteretur, prætermittebant. Pontifici, quam vehemens incendium, omnem rempublicam chriſtianam depopulaturum, excitaretur, oſtendebant: brevi ex Gallia in Italiam bellum pervaſurum; omnia ſurſum deorſumque Gallos, ut Salaſſios ſibi ademptos recuperent, permiſturos: pietatis ac prudentiæ illius eſſe, ut quam primum tantorum malorum faces reſtinguantur, curare; ab Italiæ cervicibus arma amovere; neve pati, ut per tot annos alta hujus provinciæ tranquillitas, egregio hoc ſuo pontificatu labefactetur. Carolum quin etiam hortantur, ne Henricum exaſperet; aliquam rationem ineat, qua molliri ejus animus queat; ne externorum vires in Italia adcerſendi auctor eſſe velit. Ad Hiſpaniarum inſuper Regem literas dant: quanta ex iis, quæ in Salaſſiis acciderint, reipublicæ chriſtianæ atque Italiæ præſertim impendeant, exponunt: ad hujuſmodi diſſidia componenda, pacemque, cujus ſemper ſtudioſiſſimus extiterit, retinendam hortantur. Xyſtus, quæ ab Carolo acta ſint, ob graviora damna evitanda geſta fuiſſe, contendit; ne hæreſum peſtis in ſuas ditiones illata, ſenſim ſerpens, univerſam Italiam corriperet: neque ob id publicæ tranquillitati quidquam pertimeſcendum, Sabaudo eas ditiones Regis nomine tutari, eique ſe traditurum affirmante: quod ad ſe ſpectaret, omni ſtudio pro quiete & concordia enixurum. At Carolus, non infenſo in Henricum animo, ſed neceſſitate compulſum, ut imminentia ſuis ditionibus hæreticorum arma propelleret, Carmaniolam aliaque oppida ſuo milite firmaſſe, & pro Rege tueri, eique tradere paratum. Senatus literis Philippus reſpondet, ſe inſcio quæ in Salaſſiis acciderant, ſecuta; ut omnia componantur, operam daturum; eumdem illi animum, idem ſtudium cum Republica in Italicam pacem eſſe; ea ne minimum quidem detrimenti patiatur, ſedulo enixurum. Verum dum hæc Philippus ſcriberet, Terræ novæ Dux, Inſubrum gubernator, copias pecuniamque Sabaudo ſuppeditabat, quinquagintaque aureorum millia dotis Catharinæ uxoris nomine curaverat; licet ea, ſe ignaro, fieri Philippus diceret. Henricus vero ſingillatim quæ a Sabaudo geſta fuerant,

Terræ Novæ Dux ſuppetias Allobrogi mittit.

rant, Senatui ſignificavit; eam injuriam ulciſci ſibi ſtatutum immotumque eſſe; ac ni ſtatim Sabaudus adempta reſtituat, in eum Gallorum omnium impetum effuſurum: qui illius mentem voluntatemque perſpiciat, ad eum legatum miſiſſe; ea cognita, nulla injecta mora, ſtatim acceſſurum. 1588

Hiſpanorum claſſis ſub Medinæ Sidoniæ Ducis imperio ad Angliam invadendam.

Dum hæc geruntur, Philippus præpotentem claſſem inſtrui, cunctiſque ad bellum neceſſariis ſub Aloyſii Pereſii, Medinæ Sidoniæ Ducis, imperio adornari mandaverat. In ea triginta ſupra centum magna navigia adnumerabantur; viginti militum millia, tormentorum circiter duo millia, cum immenſa prope commeatuum, tormentarii pulveris, reliquorumque apparatuum copia. His viribus improviſo Angliam adoriri, exſcenſionem facere, ſi forte eo regno potiri poſſet, conſtituerat. Tertio kalen. iunii Ulyſippone claſſis ſolvit, Luſitaniæque litora legendo ad Ciunium portum pervenit. Inde octavo idus auguſti, divi Jacobi feſto ſolemnique Hiſpanis die, in altum egreſſa, tertio kalen. cum prope Plemutam ſe intuliſſet, ab Anglis conſpecta, ſtatim Carolus HoWardus, ex Norfoltii Ducum ſtirpe, claſſis Britannæ præfectus, una cum Franciſco Draco, maris præfecto, obvii fuere. Per aliquot dies, etſi non juſto prælio, vario tamen certamine dimicatum. Verum ab occaſu ac meridie ingenti vento oborto, ad Belgii litora reflexit, Caletumque portum tenuit; a Parmenſi Principe auxilia, quæ partim maris tempeſtate, partim Batavorum claſſe haud longe a portus oſtio conſiſtente, tardabantur, exceptura. His per exploratores cognitis, Angli ſeptena navigia, pice, ſulphure, arte elaboratis ignibus, ferreis hamis referta, ſecundo vento in Hiſpanicam claſſem impellunt; quibus e longinquo conſpectis, horrifico ululatu exorto, ſtatim ſublatis anchoris, expanſiſque velis, fugam Hiſpani arripiunt. Prætoria navis in Anglorum poteſtatem pervenit; nonnullæ, malis antemniſque amiſſis, magno impetu in ſocias delatæ, ingentem ſtragem edidere; aliæ igne fabrefactis belliciſque inſtrumentis diſciſſæ, perforatis carinis depreſſæ; binæ tormentorum ictibus convulſæ, Fleſſingam pervenere; quædam tempeſtate, qua ſors tulerat, abreptæ: reliqua claſſis horribili

Hiſpana claſſis ab Anglis incenſa & proſligata.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1588 vento procellaque, ad ultimos usque Daniæ & Norvegiæ fines jactata, totum exterius Angliæ latus emensa, multis in Hiberniæ litora impactis navigiis, tandem in Hispaniam rediit.

Galli Blæsis conveniunt.

Galli sexto nonas octobris Blæsas ad comitia totius regni celebranda confluunt. Initio solemnes supplicationes habitæ. Die dominico sequenti Rex cum aliis primoribus, in divi Francisci æde Divino sacramento refecti, decimoseptimo kalendas novembris in arcis aula conveniunt; satis prolixa Henricus oratione suam in omnes benevolentiam testatur: *Nihil antiquius sibi esse, quam commune bonum, regni quietem, religionis catholicæ ac Romanæ conservationem, hæresum extirpationem, edicti, quod nuper promulgaverat, tuitionem, æquam dignitatum distributionem, priscum regni splendorem, societatum, quæ huic adversarentur, repudiationem, onerum ac vectigalium levamentum: ea ut firmiora atque irrevocabilia essent, jurejurando se atque alios ad ea, quæ in comitiis decernerentur, uti sacras leges servandas obstringere statuisse: si qui reluctentur, perduellionis reos habiturum.* Gratiæ Henrico ab omnibus actæ; quæ statuerat, summo plausu probata. Biduo post decretum recitari jubet, quo julii mensis edictum, uti regni fundamentum, legem immortalem, irrevocabilem, in præsens ac in posterum ab omnibus servandum sanxit. Primus ipse, juramento interposito, spondet; idem facere reliquos præcipit. Manu pectori admota, ecclesiastici, reliqui ad cælum sublata, ingentibus cunctorum acclamationibus vitam Regi comprecantibus, pollicentur. Sacramento in scriptis redacto, regioque sigillo subsignato, templum adeunt; hymnus, quo Deo Optimo Maximo gratiæ habentur, concinitur. Jam omnia ad pacem confirmandam, pristino decori Galliæ regnum restituendum conspirare videbantur. At secus omnino contigit, eventuque compertum est, nulla vi, nullo jurisjurandi, aut religionis nexu in hominum animis semel regnandi cupidine exorta odia ac simultates tolli aut labefactari posse.

Adeo metus mutuæque suspiciones sese extulerant, ut ingentem Guisii Ducis suorumque potentiam ac regium imperium Gal-

Gallia capere non posset. Ille in omnia momenta tuendæ non modo, verum etiam amplificandæ supremæ auctoritatis intentus, nunc ad auram colligendam populi petitionibus favere; nunc Regi invisis tutum accessum atque auxilium præbere; nunc seorsim de iis, quæ in comitiis pertractanda erant, ut sibi magis opportuna vinceret sententia, agitare consilia, cunctaque disponere, ut non tantum Blæsarum oppidi, sed Regis quoque ipsius arbiter existeret. Ferunt in Reginæ parentis conclavi, Rege cum Principibus plerisque ac proceribus versante, cum de domesticis externisque fœderibus ac societatibus in comitiis jurejurando dirimendis sermo haberetur, Guisium minime sacramentum se præstaturum enunciasse: si quid deliquisset, in eum pro meritis Rex animadverteret. Hisce eo magis Henricus commovebatur, quod, ut sibi ab eo potissimum caveret, variis ex partibus monebatur; fœderatos de illo a regni administratione amovendo egisse; Lutetiæque consultum, decretumque afferebatur, ut captum Parisios Guisius perduceret. Hæc præteritarum rerum eventu aucta, ad id consilii capiendum, quod a necessitate sibi imponi videbatur, Regem impulere. At Guisio contra, Blæsis indicta comitia, conjunctionis diploma id ejus exitium spectare plerique significabant; Lutetiano tumultu verba a Rege publice privatimque sæpius in fœderis antesignanos prolata animo subjiciebant. Verum ille cuncta parvi pendere, nihili ducere, irridere non desinebat, vel nimia sui potentia, vel Regis animi mollitie, omnes casus supergressum arbitratus. Narrant, pridie quam obiret, cum mensæ prandium sumpturus accubuisset, parva sub mappa schedula inventa, qua ut sibi caveret, infaustumque in ejus caput jactari ludum moneretur; statim calamo atque atramento petito, manu propria hæc verba scripsisse: *Non audebunt*: inde scriptum super mensam projecisse.

Guisio Duci capitis periculum per schedulam nunciatur & ejus responsum.

Henricus, quod animo conceperat, exploraturus, ne forte præverteretur, urbis securitati consulere, ad regni gubernatores literas dare, cuncta disponere studebat. Inter corporis custodes quinque ac quadraginta nobiles erant, plerique minores natu liberi, quibus, Gallorum lege, paterna hereditate interdicta, nummi ad clientes obæratosque sibi adjungendos

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1588 non ſuppetunt. Hi aliquot ante annos, Epernonio ſuadente, ut a regio nunquam latere diſcederent, inſtituti, Guiſio potiſſimum ſuſpecti erant; iique ut aliquando dimitterentur, curaverat. Ex his ſeptem vel octo reliquis audaciores ad ſe Rex vocat: de præſentium rerum ſtatu docet; quæ in ipſum, atque adeo in univerſum regnum fœderati moliantur, exponit; quæ agere velit, imperat. Haud multo poſt Guiſium adcerſit; quem eo ſtatim nuntio perculſum expalluiſſe ferunt; attamen cubiculum Regis conclavi proximum ingreſſus, cuſtodias præter morem diſpoſitas conſpicatus, diffidentia majori oborta, pedem ne referret, hæſitabundus ſubſtitit. At rurſus ſpiritu ac vigore ſumpto, propius acceſſit; ex nobilitate Lognacum nomine, ſibi antea ſuſpectum, intuitus, magis magiſque perculſus eſt. Is cum aliis ad id ſelectis imperata Regis faciunt; irrumpentes momento Ducem proſternunt; gladiis ac pugionibus confodiunt atque obtruncant. Vehementi ſtatim clamore oborto, Cardinalis Guiſius, Ducis frater, cum aliquot e ſuis ex aula, in qua erat, ingenti terrore correptus, ut ſibi conſulat, repente ſeſe proripit; a Scotorum cuſtodia una cum Borbonio Cardinali, Janvilio Principe, Elbeufio Duce, Lugduni Archiepiſcopo, comprehenditur. Ad hæc Pericortius, Guiſii a ſecretis, cum ſupplicibus libellis ſcriptiſque capitur. Improviſo hoc atque inopinato eventu tota civitas commota, quotquot comitiis intererant attoniti; at plerique, Duce extincto, actam tragœdiam arbitrabantur. Verum cum Cardinalis, gravi adeo ruina in præceps labente domo, nimio fratris dolore impotens, multa irarum, multa minarum verba in Regem effudiſſet, fraterni criminis reus habitus, haud multis interjectis horis in carcere, Henrici juſſu, necatur. Eo audito, Joannes Franciſcus Maurocenus, Pontificis legatus, Regem adit; in anathematis ſententiam incidiſſe obnuntiat; Borbonium Lugdunenſemque e carceribus dimitti petit; a Pontifice errati veniam petere admonet. Cui Henricus: *Supremis Principibus licere, cum de graviſſimis criminibus agitur, in omnes ſibi ſubjectos animadvertere; ſeque Pontificum privilegio munitum a fidelium communione amoveri non poſſe*, reſpondit. Blæſis acta, illico miſſis in ſingulas provincias literis, vulgari curat; Carolum Maynium

Guiſius Dux Regis juſſu interficitur, & fœderati proceres comprehenduntur.

Guiſii Cardinalis cædes. Joannes Franciſcus Maurocenus, Pontific. legatus, Regi anathema obnuntiat.

nium Ducem, ne quid in regnum moliatur, capi jubet. Comitia minime ob ea intermiſſurum, immo ſaluberrima eorum decreta executurum affirmat. 1588

Sed in ea rerum omnium permixtione qui propria conſcientia territi aliqua ſe labe aſperſos ſentiebant, alius alio dilapſi, fuga ſibi conſuluere. Umalius Eques Aurelianum ſe recepit. Roſſerius quamcelerrime Lugdunum ad triſte Maynio Duci nuntium perferendum convolat. Inde mandata Regis de eo una cum Claudio Aumalii Mercuriique Ducibus, Carnutique Domino capiendis, aut interficiendis, irrita evaſere. Tum imminenti periculo perterriti, amicos clienteſque ſibi adſciſcere cœperunt, arma comparare, milites colligere; ex quibus poſtea magna moleſtiarum atque turbarum moles Galliæ incubuit. Vix credi poteſt, quanta conſternatione ac mœrore eo nuntio Pariſienſes ſint affecti: in rabiem acti, inſitæ in Reges Gallicæ gentis benevolentiæ obliti, ad Luparam concurſu facto, ædes diripiunt; regia inſignia dejiciunt; Henrici nomen expungunt; quotquot ex iis, qui negotia publica tractabant, ſuſpectos, Regique amicos conjectant, in carceres trudunt; magnis præconiis extinctos Guiſios extollunt; eos populi parentes, Galliæ ſervatores, catholicæ religionis propugnatores, pro qua ſanguinem effuderint, appellant: Maynium Ducem ſummis acclamationibus evehunt, expoſcunt; qui jam in Burgundia copias cogebat, civitates fœderi obnoxias in fide atque officio retinebat. Idem Umalæ Dux in Morinis curabat, cum Ambianum atque Abbevilla civitates a Rege defeciſſent; in Armoricis quoque Mercurii Dux ſociorum partes tuebatur.

Pariſienſium ob Guiſiorum necem conſternatio, & in Regem odium.

Dum hæc gererentur, in Auguſta Taurinorum de Salaſſiorum negotio acriter diſceptabatur, Pygnio Carolum urgente, ni ſtatim ea de re decerneret, diſceſſurum breviquem in ſuis ditionibus Gallorum arma experturum. Ea re Sabaudius in diverſas partes trahebatur; inde metu, ne adjuvantes ita Gallorum animi, ac ſubito impetu furentes, ut mos gentis eſt, ipſius ditiones invaderent; hinc ſpe, in cuncta etur, ſibi adjunctis Hiſpanorum viribus, Salaſſios, quos tantopere concupiverat, retenturum. In ea ambiguitate cum nihil vellet intentatum relinquere, Aloyſium Fuſcarenum, ora-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1588 oratorem Venetum, adcerſit: petit, rogat, ab Henrici legato tridui inducias ei ad deliberandum poſtulet. Is, aliorum Principum oratoribus conſentientibus, quæ Carolus optet, facturum pollicetur. Convento Xyſti Nuntio atque Philippi legato, una quatridui ſpatium obtinent, quo Sabaudus de Henrici reſponſo decernat. Interea de Guiſiana cæde, Borbonii Cardinalis, Lugdunenſis Archiepiſcopi, atque aliorum captivitate nuntii afferuntur; iis omnia turbata ac disjecta. Pygnius re infecta diſcedit; Carolus magno ſolutus metu, in ſpem non tantum Salaſſiis potiundi, verum etiam Gallicorum turbinum opportunitate latius imperii proferendi venit. Hæc eo anno in Gallia contigere, quæ regno non modo funeſta extitere, verum reliquos quoque Principes ſummis curis implicavere.

Sub id fere tempus Stanislaus Reſca, Andreſcovienſis Abbas, a Sigiſmundo Suecorum Principe, nuper ad Sarmatiæ regnum evecto, legatus, Venetias acceſſit; Principe Patribuſque ejus nomine conſalutatis, aditam ab eo dignitatem nuntiavit, quæque Sigiſmundo in regni illius petitione acciderant, ſignificavit: Varſovienſibus comitiis, uti ex Jagellonia gente ortum, Sarmatiæ Regem nuncupatum: e Suetiæ paterno regno digreſſum, per Balthicum mare Giedanum delatum, inde in Cracoviam deductum, ibique ab Gneſnæ Archiepiſcopo, præcipuo Poloniæ regni principe ac primate, regia corona inſignitum fuiſſe: de hoc felici ac proſpero eventu Rempublicam certiorem facere; amicitiam, Sarmatiæ vires, ac quæcumque poſſet, ad eam augendam ornandamque deferre voluiſſe. Sigiſmundo per literas gratiæ actæ, perque Petrum Duodum, oratorem, gratulatio eſt habita. Ferdinandus Medices, Magnus Hetruriæ Dux, qui, cardinalicio galero depoſito, Hetruriæ gubernacula ſuſceperat, cum Chriſtiernam, Caroli Lotharingiæ Ducis filiam, uxorem duxiſſet, atque ad nuptias concelebrandas Rempublicam invitaſset; qui iis intereſſet, oratorem deligi placuit. Franciſco Contareno, qui paulo ante Mantuanam legationem obiverat, munus delatum. Hoc eodem anno Joannes Baptiſta Montius, peditum ſummus præfectus, in Cretam proficiſci juſſus eſt, ut, inſula peragrata, ſitum animadverteret, arces inviſeret, copias luſtre-

Stanislaus Reſca, orator a Sigiſmundo Poloniæ Rege Venetias miſſus.

Petrus Duodus ad Sigiſmundum Regem orator.

Franciſcus Contarenus ad Ferdinandum Medicem orator.

ſtraret, omniaque ad illam tuendam neceſſaria ſedula perquiſitione animadverteret. 1588

M. D. LXXXVIIII.

GUiſii Ducis, fratriſque Cardinalis cæde, fœderis Principum captivitate, Lutetiæ atque aliarum provinciarum a Rege defectione, per Europam vulgata, inſueta inopinataque novitate cunctorum Principum animi perculſi ſunt; eorum præſertim, quorum incolumitas atque amplitudo a Gallorum rationibus ſejungi non poterat. Xyſtus in primis qua dolore qua iracundia ob necem Guiſio Cardinali illatam æſtuabat; cumque ejus rei eventum in purpuratorum collegio exponeret, facinus deteſtatus, in Henricum acerbe invehebatur, *quod Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, Remenſem Archiepiſcopum, ſacro Reges oleo inungere ſolitum, nullo juris, nullo æquitatis ordine, indicta cauſa, crudeliter necari juſſiſſet, non ſecus ac ſi neque Pontifex, neque Romana Sedes, neque juriſdictio aliqua eccleſiaſtica extaret; eoque acrius, quod ipſum neque facto, neque verbis aliquid in Regem vel regni incolumitatem deliquiſſe conſtaret; cumque paucos ante dies a ſe per literas, perque Hieronymum Gondium oratorem, ut Avinionenſem legationem, a qua nuper Borbonius Cardinalis ſe abdicaverat, Guiſio tribueret, Henricus petiiſſet: ſi qua in re offenſum ſe arbitraretur, ab immani facinore abſtinere, ſibi meritas illi pœnas inflicturo, aut judicium permittere, aut in vincula conjecto, perſcribere debuiſſe: in Gallia cum ſumma auctoritate legatum Maurocenum eſſe: cur ab eo tanta in re conſilium non cepiſſet? cur, ne fugam arriperet, veritus, arctiori cuſtodia non adſtrinxiſſet?* Addit: *pridie ejus diei ad ſe Regis extra ordinem legatum una cum Gondio oratore acceſſiſſe; ſummis precibus atque obteſtationibus veniam pro Henrico efflagitaſſe; ac, niſi ea impetrata, de ſuis ſe pedibus non diſceſſuros affirmantibus, petiiſſe, qua ratione Henrico condonari noxam peterent, cum ille in ſuis biduo ante ſe acceptis literis, ne perpetrati quidem delicti mentionem faceret, ne dum veniam deprecaretur? Legatis perſonam Regis ſuſtinere, eaque in re mandata habere, ſubjicientibus, ſubdidiſ-*

1589

Xyſtus Pontifex, ob Guiſii Cardinalis necem, in Henricum Regem invehitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 *didisse : regias quidem vices in iis quæ ad regni statum negotiaque spectant, non in iis quæ ad commissa ab Rege delicta fatenda expiandaque pertinent, obire posse : itaque primum Dei Optimi Maximi auxilium Henricus imploret, inde ad eum ut illius in terris vices obtinentem confugiat, veniam flagitet, ex animo pœniteat, ore proprio ejusmodi officia præstet : si secus faciat, postulatis nunquam assensurum.*

Erant in purpuratorum collegio, pauci licet, in Gallos propensi, variisque ex causis ei regno obnoxii, qui Henrico favebant. Erant qui penitus secum ipsi reputabant, quantum in gravissimo negotio, ex quo in universa christiana republica magnarum rerum mutatio consequi poterat, mature consulendum decernendumque censerent. Ad hos conversus Pontifex, *mirari*, inquit, *tantum apud eos privatos affectus posse, ut sibi non animis subjiciant, si ejusmodi delictum inultum maneat, Ecclesiæ existimationem prosterni, Apostolicæ Sedis auctoritatem labefactari, sacrum Senatum proculcari, non dignitatem, non fortunas, non vitam amplissimi ordinis tutam fore : quocirca cum Divinæ providentiæ permissu insuetum illud atque horrendum facinus sui pontificatus tempore acciderit, nulla re perterritum, quidquid jus, quidquid Dei Optimi Maximi honor & cultus, quidquid Ecclesiæ dignitas atque incolumitas exposcat, intrepide facturum*. Verum cum imminentes nobilissimo regno tempestates mente præsagiret, id cupere se Xystus haud obscure significabat, ut, Borbonio Cardinali, Lugdunensique Archiepiscopo captivis dimissis, errati pœnitentia ductus a se Henricus veniam peteret. Itaque illum literis & officiis ad id sedulo solicitabat. Ad hæc Henricus, Cardinali dimisso, graviores motus ac turbas in Gallia suborituras affirmare, Lugdunensem in sua potestate non esse ; Gastium, cui una cum Amboisiana arce captivorum custodia concredita fuerat, cum Archiepiscopo, Nivellio præside, mercatorumque præposito, ut numerata certa pecuniæ summa, statim dimitterentur, pepigisse. Contra Pontifex, excusationibus non admissis, saltem Borbonium Mauroceno legato custodiendum tradi petebat : eo facto Regis timori opportune provisum iri. Sed neque his Henricus adsentiebatur : alteri traditum fuga sibi consulturum.

In-

Interea in multis Galliæ partibus quotidie novi motus excitabantur ; Principum catholicorum, civitatum, atque universitatum nomine, pro veteri religione populorumque libertate tuenda, Lutetiæ edictum pronuntiatur, quo onerum, tributorum, vectigalium levationem pollicentur ; deinde tertio kalendas februarii denuo Principes, Galliæ (quos *Pares* vocant) Præsides, Antistites, libellorum supplicum Magistri ; Consiliarii, Patroni, Procuratoresque generales cum aliis ad viginti sex supra trecentos, novo se societatis fœdere obstringunt ; ac quacumque ratione ob Blæsensem cædem Henricum persequi statuunt. A Sorbonensi quoque collegio decretum promulgatur ; Galliæ populos a fidelitatis atque obedientiæ regio dicto sacramento solutos esse ; concilia cogere, arma stringere, pecuniam corrogare, collectas imponere, pro Catholicæ Apostolicæ ac Romanæ Sedis defensione absque conscientiæ labe contra nefariam vim impiaque Regis suorumque consilia posse, quod fidem publicam adversus catholicam religionem sanctumque fœderis edictum violasset. Hæc tot tantaque cum Henrico obversarentur, illud primum aggreditur, si, totius regni comitiis denuo vocatis, lapsas aliqua in parte res erigere, labentes civitates ac populos sistere valeret. Missis in omnes provincias literis, cur Guisios interficiendos curaverit, promulgat ; eorum consilia, actiones in se inque regni exitium exponit ; eodem, quo semper fuerit, in catholicam religionem animo esse, testatur ; comitia Turonibus martii mensis initio indicit. Verum, proclinatis semel in præceps rebus, nullis consiliis, nulla humana vi obsisti potest. Excusso regiæ majestatis metu, pro reverentia contemptus, pro obsequio neglectus insurgit. Fœderati acri responso Henricum exagitant ; tamquam in tyrannum invehuntur ; tuto comitiis interesse non posse contendunt.

Itaque cum humanitate & clementia nihil proficeret, subjectosque, veluti freno arrepto, quacumque insanis affectibus ducerentur, transversos agi ; benevolentiam, metum ; pacis studium, ignaviam vocare animadverteret ; acrius agendum & premaque auctoritate utendum ratus, Maynium, Aumalios, Ducem atque Equitem, fœderis principes perduelles pronuntiat ; Lutetiam, Ambianum, Aurelianum, Abbevillam civitates, quæ iis

ad-

1589

Fœderati Principes Lutetiæ edictum promulgant, primores Galliæ sibi adjungunt.

Sorbonensis collegii contra Henricum Regem decretum.

Henricus Rex Regni comitia frustra cogere nititur.

Fœderati Principes & civitates perduellionis rei a Rege pronuntiati.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 adhæserant, læsæ majestatis reas decernit: ni Principes mensis spatio ejus mandatis obtemperent, cunctis honoribus dignitatibusque una cum posteris spoliaturum edicit. At ea re fœderati nequaquam inflexi, majori nixu in Regem incumbunt; undique arma ac milites cogere, externa auxilia solicitare, regni ordinum, vicesgerentis nomine, pecunias colligere; mandata literasque novo sigillo subsignare; omnia Regis munera, nomine excepto, usurpare. His Henricus permotus, quantas maxime possit copias cogere statuit; missis per provincias literis, nobiles equitesque ad se vocat; a Lutetia in Turonensem civitatem juris dicundi facultatem transfert; cunctis dignitatibus, privilegiis, magistratibus Lutetiam rebellesque urbes excidisse pronuntiat: hæc eo consilio agit, si forte, priusquam ad arma descenderet, facti veniam exposcant, atque in fidem regiam se tradant. Nobilitate coacta, de bello administrando pertractat; novos delectus haberi, tormenta expediri, pecunias undique conquiri jubet. Aurelianenses in Henricum primi arma capiunt. Nam cum civitas jam desciviſſet, pauciſque militibus regio nomine arx defenderetur, oppidani eam demoliturі, tormentis verberare incipiunt. Propugnatores per aliquot dies ruinas tutati, numero impares, loco diffisi deseruere. Aureliani exemplo, aliæ civitates fœderi se adjungunt.

Henrici Regis ad bellum apparatus.

Aurelianenses contra Regem arma capiunt.

Maynius Dux a Parisiensibus Prorex pronuntiatur.

Parisienses, Henrici imperio excusso, re variis sententiis agitata, tandem communi consensu Galliæ Proregem ac patronum Maynium pronuntiant, donec, comitiis quamprimum vocatis, ea in re decernatur. Interea, ut cuncta ex ordine atque auctoritate administrentur, singulis edictis sanctionibusque Ducis nomen præfigi jubent. Bina sigilla conficiunt, quorum uno in generalibus comitiis, altero in Parisiensi consilio utantur; verba utrique inscripta: *Regni Galliæ sigillum.* Maynius interim Lutetiam accedit; summis honoribus excipitur; ad priscam religionem, regiam dignitatem atque auctoritatem sartam tectamque tuendam, jus ex æquo reddendum, ecclesiasticorum ac nobilium privilegia immunitatesque servandas, leges regnique constitutiones retinendas, injurias a subjectis repellendas, jurejurando se adstringit.

Henricus, præcisa prorsus pacis & concordiæ spe, cum armis decer-

decernendum intelligeret, coactis in Gallia copiis, ex Ger- 1589
mania, Anglia, Scotia, Helvetiis auxilia petere decrevit. Sed cum ea vel itineris longinquitate, vel temporis mora haud cito in promptu fore cognosceret, nullum præsentibus rebus remedium opportunius arbitrabatur, quam si Henricum Navarræ Regem, regia prognatum stirpe, eamdem fortunæ aleam secum subiturum, sibi adjungeret. Verum ea in re in varias sententias præconsultores scindebantur. Rex ipse anceps animi in magna consiliorum perplexitate versabatur: modo spe sublatus, ea virium accessione fœderatos opprimi posse; modo metu exagitatus, ne præteritis bellorum successibus Principem exulceratum sibi sincere conciliaret. Qui a Navarræi conjunctione abhorrebant, *neque Regis securitati, neque decori atque existimationi convenire* arbitrabantur, *ad illius opem confugere, quem tot annos armis persecutus fuisset; qui regiæ successioni proximus, in spem amplissimo gradu potiundi eveberetur; qui cuncta semper regnandi cupiditate minore habuisset: atque ut hæc secus forent, Regis conscientia inferiora cuncta censeri oportere, quam turpi coinquinatam labe quis non arbitraretur, si cum eo, qui a catholica religione abhorrens, Summi Pontificis sententia a communione fidelium amotus esset, societatem iniret? Quid tandem ipsemet Pontifex, quid Hispaniarum Rex, quid alii Reges, Respublicæ, Principesque catholici dicerent? Quid sibi subjecti, qui hæreticorum odio arma induerant? Minime ambigendum videri, quin eodem, quo Navarræus loco a Pontifice censeatur, atque in Regem, fœderatis suadentibus & incitantibus, anathematis fulmen contorqueatur: Philippum, qui religionis catholicæ studiosissimus sit haberique velit, arma sumpturum: subjectos quoque, quod Henricus ad hæreticorum sese partes traduxisset, in perduellionis crimine permansuros: spem omnem eos ad se aliquando trahendi amissum iri; sed præsertim a Pontifice (quod minime dubium sit) sacramento solvantur: itaque omnia potius tentanda, quam cum Navarræo fœdus ineundum.*

Contra qui secus, censeban[illegible] præsenti eorum necessitati parendum; *eo loco redactas res esse, ut de publica tantum salute cogitandum sit, a qua Regum existimatio, amplitudo,*

for-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 adhæserant, læsæ majestatis reas decernit: ni Principes mensis spatio ejus mandatis obtemperent, cunctis honoribus dignitatibusque una cum posteris spoliaturum edicit. At ea re fœderati nequaquam inflexi, majori nixu in Regem incumbunt; undique arma ac milites cogere, externa auxilia solicitare, regni ordinum, vicesgerentis nomine, pecunias colligere; mandata literasque novo sigillo subsignare; omnia Regis munera, nomine excepto, usurpare. His Henricus permotus, quantas maxime possit copias cogere statuit; missis per provincias literis, nobiles equitesque ad se vocat; a Lutetia in Turonensem civitatem juris dicundi facultatem transfert; cunctis dignitatibus, privilegiis, magistratibus Lutetiam rebellesque urbes excidisse pronuntiat: hæc eo consilio agit, si forte, priusquam ad arma descenderet, facti veniam exposcant, atque in fidem regiam se tradant. Nobilitate coacta, de bello administrando pertractat; novos delectus haberi, tormenta expediri, pecunias undique conquiri jubet. Aurelianenses in Henricum primi arma capiunt. Nam cum civitas jam desciviſſet, pauciſque militibus regio nomine arx defenderetur, oppidani eam demoliturі, tormentis verberare incipiunt. Propugnatores per aliquot dies ruinas tutati, numero impares, loco diffisi deseruere. Aureliani exemplo, aliæ civitates fœderi se adjungunt.

Henrici Regis ad bellum apparatus.

Aurelianenses contra Regem arma capiunt.

Maynius Dux a Parisiensibus Prorex pronuntiatur.

Parisienses, Henrici imperio excusso, re variis sententiis agitata, tandem communi consensu Galliæ Proregem ac patronum Maynium pronuntiant, donec, comitiis quamprimum vocatis, ea in re decernatur. Interea, ut cuncta ex ordine atque auctoritate administrentur, singulis edictis sanctionibusque Ducis nomen præfigi jubent. Bina sigilla conficiunt, quorum uno in generalibus comitiis, altero in Parisiensi consilio utantur; verba utrique inscripta: *Regni Galliæ sigillum.* Maynius interim Lutetiam accedit; summis honoribus excipitur; ad priscam religionem, regiam dignitatem atque auctoritatem sartam tectamque tuendam, jus ex æquo reddendum, ecclesiasticorum ac nobilium privilegia immunitatesque servandas, leges regnique constitutiones retinendas, injurias a subjectis repellendas, jurejurando se adstringit.

Henricus, præcisa prorsus pacis & concordiæ spe, cum armis decer-

decernendum intelligeret, coactis in Gallia copiis, ex Ger- 1589
mania, Anglia, Scotia, Helvetiis auxilia petere decrevit. Sed cum ea vel itineris longinquitate, vel temporis mora haud cito in promptu fore cognosceret, nullum præsentibus rebus remedium opportunius arbitrabatur, quam si Henricum Navarræ Regem, regia prognatum stirpe, eamdem fortunæ aleam secum subiturum, sibi adjungeret. Verum ea in re in varias sententias præconsultores scindebantur. Rex ipse anceps animi in magna consiliorum perplexitate versabatur: modo spe sublatus, ea virium accessione fœderatos opprimi posse; modo metu exagitatus, ne præteritis bellorum successibus Principem exulceratum sibi sincere conciliaret. Qui a Navarræi conjunctione abhorrebant, *neque Regis securitati, neque decori atque existimationi convenire* arbitrabantur, *ad illius opem confugere, quem tot annos armis persecutus fuisset; qui regiæ successioni proximus, in spem amplissimo gradu potiundi eveheretur; qui cuncta semper regnandi cupiditate minore habuisset: atque ut hæc secus forent, Regis conscientia inferiora cuncta censeri oportere, quam turpi coinquinatam labe quis non arbitraretur, si cum eo, qui a catholica religione abhorrens, Summi Pontificis sententia a communione fidelium amotus esset, societatem iniret? Quid tandem ipsemet Pontifex, quid Hispaniarum Rex, quid alii Reges, Respublicæ, Principesque catholici dicerent? Quid sibi subjecti, qui hæreticorum odio arma induerant? Minime ambigendum videri, quin eodem, quo Navarræus loco a Pontifice censeatur, atque in Regem, fœderatis suadentibus & incitantibus, anathematis fulmen contorqueatur: Philippum, qui religionis catholicæ studiosissimus sit haberique velit, arma sumpturum. Subjectos quoque, quod Henricus ad hæreticorum sese partes traduxisset, in perduellionis crimine permansuros: spem omnem eos ad se aliquando trahendi amissum iri; si præsertim a Pontifice (quod minime dubium sit) sacramento solvantur: itaque omnia potius tentanda, quam cum Navarræo fœdus ineundum.*

Contra qui secus, censebant, *præsenti rerum necessitati parendum; eo loco redactas res esse, ut de publica tantum salute cogitandum sit, a qua Regum existimatio, amplitudo,* for-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 *fortunæ pendeant : neque, quod aliquando Navarræus hostis fuisset, ab ejus idcirco societate abstinendum; Regi, ex regia stirpe prognato, Galliæ incolumitatem tueri potissimum conducere : neque novum neque inusitatum indecensve esse, Regem alterius Regis opem atque auxilium implorare : quem enim vel in privata locatum, vel regia fortuna subnixum esse animadvertas, qui non eorum, qui sibi cognatione juncti sint, opera atque auxilio aliquando indiguerit ? quis subjectorum in Regem studium, vires, conatus adimat, qui non eodem momento imperio regiisque titulis exuat ? Neque vero religionis metum incutiendum; cum ethnici imperatores Christiano; Christiani Reges barbaro milite gravissima bella confecerint : Carolum V. Mauritii Saxonum Ducis Albertique Brandeburgensis armis magna felicitate usum. An non iisdem armis, Turcis communibus reipublicæ christianæ hostibus obsistitur ? Imperium lacertis Pannonum ac Germanorum, quorum plerique a Romano Pontifice descivere, defenditur. Nuper Philippum Hispaniarum Regem Germanorum militum virtute ac fortitudine, Protestantiumque præsertim, Lusitaniæ regnum occupasse. An ignorari, Franciscum primum, Henricum Secundum cum imperii Protestantibus Principibus fœdera junxisse, pecunia ac milite ad libertatem tuendam juvisse ? eumdemmet Henricum Germanorum Principum amicitiam coluisse, cum Angliæ Regina fœdera pepigisse, ubereſque modo ex iis fructus expectare ? Si qui minime accersendum Navarræum arbitrentur, eosdem non Germanorum, non Anglorum, non Scotorum, aut Helvetiorum subsidia adhibenda esse fateri necesse sit. Quid porro hoc est, quam Regem hosti prodere, regnum patriamque deserere. At Navarræum hæreticum esse inquiunt : an hac in causa de religione agi ? Regis vitam peti, regnum quæri, ad Valesiam Borboniamque domum excindendam consilia dirigi. At Pontifex Regi sacris interdicet : an non ejusmodi Pontificum sententiæ præteritos Reges adversatos fuisse ? Quid a copiis armisque destituto, in quibus tota dominandi ratio sita est, pertimescendum ? quid ab Hispaniarum Rege, qui jamdiu per cuniculos id agit, quod modo, ne palam efficiat, quidam verentur ? quid a subjectis, quorum insania ac furor ita excrevit, seque extulit, ut jam sensim in eorum caput recasu-*

casurus videatur ? Nihil igitur obstare, quo minus, sibi Navarræ Regem adjungendo, regiæ saluti, totiusque Galliæ incolumitati consulatur. Hæc apud Henricum sententia cum vicisset, Navarræus propius Ligerim se infert; in itinere castella quædam ac civitates recipit; amne trajecto, in Turonibus cum Rege congreditur; inter eos his conditionibus convenit: *Ne vetus religio detrimentum aliquod patiatur; ne sacratis viris damna molestiæve inferantur: Quæ bello urbes, arces, oppida vi vel deditione recipientur, Regi accedant; una tantum in singulis provinciis Navarræo securitatis pignore permittatur.* 1589

Conventiones inter Henricum Regem et Navarræum.

De Galliæ Regis cum Navarræo inita societate Xystus certior factus, jampridem ob Guisiorum necem, Antistitisque Lugdunensis captivitatem, concepta meditataque consilia exequi parat. Non deerant sane, qui multa inde, eaque gravissima detrimenta, si Rex anathemate percuteretur, Galliæ funesta, christianæ reipublicæ acerba ac luctuosa vaticinarentur; Pontificique ipsi ob oculos ponerent. Ac Veneti per Albertum Baduarium, oratorem, Xysto suadebant, ut justam indignationem mitigaret, meritæ iracundiæ temperaret, perturbatum afflictumque regnum patris affectu complecteretur; secumque reputaret, Regem alioqui catholicæ religionis studiosissimum, necessitate compulsum, ad Navarræi auxilia confugisse. Verum ille cum pro Apostolicæ Sedis dignitate, tum pro catholica religione conservanda, quam imminutam atque prope eversam in Gallia cerneret; nihil sibi superesse affirmabat, quam vt e sacrarum legum præscripto Henricum coerceret: nihil adeo grave, insolens adeo accidere posse, quo a debita, ob tot congesta crimina, in Henricum animadversione averteretur: multorum Pontificum præclara atque illustria exempla sibi ad intuendum objici, qui pro dignitate atque incolumitate sanctissimæ Sedis nullos cruciatus, nulla tormenta exhorruissent, lætique animam pro sanctissima religione efflassent. Itaque *literas monitorias*, ut appellant, ad Henricum mittere statuit, quas jurisconsultorum theologorumque judicio prius examinandas expendendasque proponit. Sententiam legatis Principum aperit: eo jubente, literas Bretinori Episcopus Veneto oratori ostendit; qui, si qua ratione posset, aliquantisper Pontificis animum sedare, moraſque injicere, sed

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 fruſtra, adnitebatur. Nam Xyſtus, qui jam ſecum ipſe cuncta conſtituerat, tertio nonas maji purpuratorum collegio advocato, Henrici facinora exaggerat; quanta illum pietate & clementia ad pœnitentiam invitarit, commemorat: *Pervicacem, prædurum, adhuc Borbonium Cardinalem Lugdunenſemque Epiſcopum in vinculis detinere; non ſuaſionibus, non precibus dimoveri, aut flecti poſſe: jure in eum jam tum animadvertere licuiſſe; attamen vel paterno affectui, vel regiæ dignitatis honori tantum tribuiſſe, ut per quinque fere menſes negotium diſtulerit, ſi forte reſipiſcens ad veniam poſcendam confugeret: modo non amplius cunctandum; ita Regis ipſius ſalutem poſcere; ita munus ſibi impoſitum efflagitare, cum Eccleſiam, eccleſiaſticos viros, omneſque chriſtianos populos ſibi Deus Optimus Maximus credidiſſet: ſi tantæ rei defuiſſet, exactam ſeveramque coram eo rationem redditurum: hiſce de cauſis conſultis Cardinalibus decreviſſe, Henricum per omnia Divina rogare humanaque, pro auctoritate ſibi divinitus conceſſa monere, immo jubere, ut decem dierum ab acceptis literis, nulla mora aut excuſatione injecta, Cardinalem atque Archiepiſcopum liberos dimiſſos, priſtinis dignitatibus reſtitueret; eaque ſe, vel propria manu exaratis, regioque ſigillo obſignatis literis, vel alio publico diplomate, triginta inſequentium dierum intervallo confeciſſe, Apoſtolicæ Sedi ſignificaret: ni obtemperaret, a fidelium cœtu ſummovere, anathematis ſpiculo percutere, uti membrum putre ac morbidum ab Eccleſiæ myſtico corpore præcidere, cunctis Chriſti fidelibus ejus conſuetudine, uti ab Eccleſia damnati, interdicere.* Regi inſuper Guiſianæ cædis, Cardinalis atque Archiepiſcopi captivitatis auctori, fautoribusque atque impulſoribus, ut intra dies ſexaginta, Rex quidem per oratorem, ceteri ipſimet Romæ ſe ſiſtant, edicit: cur ob ea, quæ egerint, pœnis per ſacras ſanctiones conſtitutis, non teneantur, rationem reddituri; cur ſubjecti a regio ſacramento ſoluti non ſint, expoſituri: ni accedant, aut accedentes rationes afferre nequiverint, in eos juxta ſacras leges, Pontificumque decreta, vindicetur; Rex ex earum legum præſcripto plectatur; ſubjecti ac beneficiarii jurejurando eximantur; ab injecto excommunicationis majoris nexu a Pontifice tantum, non ab alio, obitu etiam in-

Xyſti Pontif. contra Henricum Regem exaggeratio.

Xyſtus Pontifex monitorias literas ad Henricum et Galliæ proceres mittit.

inſtante, niſi manifeſta veræ pœnitentiæ ſigna ediderint, exol- 1589
vantur; nullaque *indulgentia* vel *jubileo*, ut ajunt, expiari queant. Eas literas (cum difficulter, nec ſine ingenti periculo ad Regem perferri poſſent) in celebrioribus urbis locis affigi placuit; in Galliam exemplaribus aliquot tranſmiſſis, quæ in propinquioribus Regi oppidis publice legenda proponerentur.

Navarræo Ligerim tranſgreſſo, regii exercitus vires famaque augeri cœpta; civitates nonnullæ deditione receptæ; oppida quædam vi expugnata; fœderati metu correpti. Rex proſperis initiis inſtandum ratus, Lutetiam obſidione cingere totiſque viribus agredi ſtatuit; fœderis capite devicto, cetera quoque cito in ejus poteſtatem conceſſura. Propius Lutetiam admotis caſtris, Etampes oppidum capit. Longavillius, Campaniæ copiis ad Caſtilionem prope Sequanam coactis, Helvetiis Germaniſque ſub Sanſæo adjunctis (in univerſum viginti millia circiter erant) ad Poiſcacum oppidum, Sequana trajecto, Regi Pontoiſam quatienti acceſſit; id oppidum ducentorum aureorum millium penſione mulctatum recepit. Exinde exercitu luſtrato, in quo bellatorum quadragintaquinque millia cenſebantur, Clodoaldi pontem occupat. Maynius ceterique fœderati Principes Lutetiæ incluſi, qua ratione imminenti adeo moli obſiſtere, ſeque tueri poſſent, conſultant; ſupremum jam ſibi exitium imminere rati, cum vel prælio decernendum, vel extrema quæque obſidionis incommoda ſubeunda intelligerent. Dum de ſalute ſoliciti, variis inter ſe ſententiis diſceptant, inopinato eventu rerum omnium facies immutata eſt.

Navarræ Rex regio exercitui ſe conjungit.

Regiorum progreſſus.

Haud longe a Lutetia Dominicanæ familiæ ſodalis erat, Jacobus Clemens nomine, in Sorbonenſi ſuburbio, quatuor a Cenomanis paſſuum millibus natus. Hujus animum vel falſa religionis ſpecie, vel capitis infirmitate, fucatas pietate ſuaſiones facile admittentem, effera atque ab humanis ingeniis prorſus aliena cogitatio ſubiit, propriis manibus Regi necem inferendi. Id facinus initio meditatus, cum aſſidua agitatione immotum fixumque menti hæſiſſet, gladium præacutum atque anceps parat; tertioque kalendas Augusti, ſacrificio peracto, Aurelianum pergere ſimulans, cœnobio digreſſus, ſuiſque vale dicens, ut fauſtum felixque illi id iter a Deo poſtularent, precatus, recta ad Clodoaldi pontem, ubi Rex morabatur,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 contendit. In caſtra cum veniſſet, ad regium procuratorem deductus, habere ſe inquit nonnullas Harlei, Senatus Pariſienſis præſidis, ad Regem literas atque arcana, quæ tuto ſcriptis committi nequeant, ad eumque potiſſimum attinerent. Henricus procuratori hominem hoſpitio excipere, perhumaniterque tractare uſque in ſequentem diem, jubet. Poſtridie ejus diei in regium cubiculum, in quo Bellagardius ac generalis procurator tantum aderant, deducitur. Rex, ut, quæ ſibi communicare Clemens vellet, ſingillatim ſummotis arbitris percipiat, ſecedere eos pauliſper præcipit. Tum monachus, patrandi facinoris opportunitatem adeſſe ratus, literas e ſinu eductas Regi læva porrigit, dextera eodem momento gladio arrepto, epiſtolam attente perlegenti ventrem magna vi ictuque ſuffodit. Henricus ſaucium ſe ſentiens, illico e vulnere gladio avulſo, in monachi oculum impingit. Clamore ſublato, domeſtici accurrunt, qui indignitate execrandi facinoris perculſi, ac fere exanimes, extemplo parricidam gladiis contiſque minutatim concidunt atque obtruncant. Regi lectulo impoſito, a medicis atque chirurgis vulnus minime lethale eſſe opinantibus, prima remedia adhibentur. De iis, quæ acciderant, deque regiæ ſalutis ſpe eodem tempore ad provinciarum præſides literæ perſcribuntur. Externis Principibus, fœdere atque neceſſitudine cum Henrico junctis, acerbi caſus nuntii mittuntur. At vulnere ingraveſcente, tertia inſequentis diei hora Henricus exceſſit.

Henricus Rex a Jacobo Clemente gladio perſuffus.

Vix animo percipi poteſt, in atroci adeo facinore, exulceratis partium animis, quantum in diverſa eventus traheretur. Perpetratum parricidium alii extollere, alii deteſtari. Qui fœderi favebant, religionis ardorem, jejunia, aſſiduas ad Deum monachi preces efferebant, ut in vulgus quoque effunderent; dum totus divinitate perfunderetur, Angelum ſibi viſum, dicentem, ſurgeret, ad martyrii coronam properaret: eum ſe fore, qui, in Gallia catholica religione excitata, Regem illam quatere, atque excindere nitentem interficeret. Narrabant alii, quorumdam ea in theologorum conſilium quæſiſſe; qui, non omni ſpiritui credendum, ſed mature tantam rem expendendam, dixiſſent: lege quidem homicidium prohiberi; in divinis tamen literis Phineem, Matathiam, & Judithem impios confodientes, quod pro Dei Optimi Maximi cultu ea egiſſent, com-

commendari. Ita inſana mortalium mens, cæca veluti caligine obducta, ad Divos evehere Regis interfectorem nitebatur. At qui Regis partes tuebantur, ita ſe rem habere & ſermonibus & ſcriptis vulgavere: fœderatos ingentibus copiis Lutetiam obſeſſam, populi in dies obſtinatos rebelleſque animos frangi conſpicatos, cum nulla alia ratione imminentibus periculis ſe civitatemque eximere poſſe, niſi atroci aliquo facto, animadveterent; monachi ingenium, ad facinus patrandum valde accommodatum, variis artibus confirmaſſe, ingentibus promiſſis oneraſſe; ſi forte in tyranno (uti ajebant) tollendo vitam amiſiſſet, cæleſtem beatitudinem perpetuaque martyrii præmia inculcaſſe. Suaſionibus permotum, pollicitis illectum, proprio furore percitum, facinus aggreſſum eo potiſſimum tempore, quo Pariſienſes harum rerum ignari, reſtincto priori animi impetu, de deditione cogitabant. Qua ex re fœderati in inſignioribus Lutetiæ baſilicis ac templis e collegio Sorbonico, atque Jeſuitarum ſodalitio nonnullos induxerant, qui plebem ad conſtantiam hortarentur; ſeptem vel octo dies adhuc ſuſtinerent; ingens aliquid eventurum, quo priſtinum vigorem ſpiritumque fœdus reſumeret. Idem concionatores Rothomagi, Aureliani, Ambiani populis ſuaſiſſe ferunt. Ita pro cujuſque voluntate atque ſtudio hinc laudes ac præconia, inde maledicta execrationeſque exaudiebantur. Verumtamen, qui recto, neque in ullam partem proclinato judicio rem intuebantur, vulgatam in Gallia, perque populos diffipatam ſententiam doctrinamque deteſtabantur, qua in proprium Regem armis inſurgere, eique vitam adimere tuto licere docebatur; utpote, quæ ſeditionum tumultuumque altrix, ad irreconciliabiles diſcordias ſerendas, regna provinciaſque perturbandas & in præceps agendas inventa eſſet; nullis neque humanis, neque divinis legibus, ſubjectis jugum ſibi a Deo impoſitum excutere, Principes vita exuere permiſſum.

1589

At ſalute deſperata, cum jam e vita ſibi migrandum Henricus intelligeret, regio ſtemmate agnatos ſelectoſque proceres adcerſit; ad conſtantiam concordiamque cohortatus, ne arma niſi a ſceleratis praviſque hominibus purgato regno, deponerent, ſuaſit: tantum facinus inultum ne finant; ſperare, omnes Reges ac Principes, quorum ſalus ac incolumitas in primis agatur, ne

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 peſſimi exempli labes ad alios pertingat, impunitum tantum ſcelus non relicturos. Tandem legitimum regni ſucceſſorem Henricum Cantabrorum Regem pronuntiat; cunctos ei uti domino ac Regi parere, illum diligere, obſervare, & colere jubet. Regiæ ſtirpis Principibus, atque aliis, qui præſentes aderant, catholicam religionem enixe commendat; ut ejus patrocinium ſuſcipiant, Navarræum rogat. Hic Henrici Valeſii, ſexageſimi-ſecundi Regis, exitus; hic Valeſiæ ſtirpis Regum finis fuit, qui per centum ac ſeptuaginta novem annos in Gallia imperitavere. Eadem die Henricus, ejus nominis quartus, ex Borbonia gente, in caſtris ingenti plauſu atque acclamationibus Rex conſalutatur; qui ſtatim ſacramento ſeſe adigit, *veterem religionem, ubicumque in Gallia exerceatur, nihil in ea immutato, retenturum; legitimis concilii œcumenici decretis pariturum; magiſtratuum, procerum, omniumque ordinum privilegia ſervaturum*. Eodem tempore regiæ agnationis Principes, Pares, ac nobiles, qui aderant, Regi ſe fideles atque obtemperantes futuros, jurejurando pollicentur; vires, fortunas, vitam denique ipſam ad perpetratum in Henricum ſcelus ulciſcendum, perduelles ac ſeditioſos regno ejiciendos devovent.

Henricus Rex ſucceſſorem Regni Navarræ Regem pronuntiat.

Henrici III. Galliæ Regis obitus.

Henricus IV. Rex ab exercitu conſalutatur & ejus juſjurandum.

Harum rerum nuntii in omnes chriſtiani orbis partes delati, cunctos, vel rei novitate, vel facinoris atrocitate, ingenti horrore implevere; eoque in primis ſolicitæ omnium mentes detinebantur, quod, Navarræ Rege novis ſacris addicto, in Henrici III. locum ſuffecto, quæ in tanta rerum mutatione catholicorum Principum, ac Pontificis præſertim, ſententia futura eſſet, in incerto erat. Nam licet Xyſtus ex Henrici tertii obitu haud exiguam lætitiam præſetuliſſet, atque in purpuratorum collegio ejus interitum in admirandam Dei providentiam retuliſſet, ea Prophetæ verba pronuntians: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris*; attamen, cum Navarræum in exercitu acclamatum Regem cognoviſſet, ingenti ſolicitudine variis, ac quandoque repugnantibus cogitationibus torquebatur; quem exitum Gallicæ tempeſtates ac procellæ, quæ procul dubio ad omnes chriſtiani orbis Principes attinebant, eſſent habituræ. Hiſpani, perpetui Gallorum æmuli, opportunam occaſionem adveniſſe rati, qua regnandi cupiditati, velo religionis obducto, conſuetis artibus uterentur, vires, theſauros, regna

gna pro veteri, uti ajebant, religione tuenda atque catholico in 1589
Gallia Rege creando Pontifici deferebant. Veneti, ad quos, præter ceteros, Galliæ ſucceſſus attinebant, quod ea veluti libramento nimis ſeſe Hiſpanorum potentia efferens coerceretur, multa ſecum de præſenti rerum ſtatu volutabant: nullo magis immenſam illam ac prope labentem imperii molem ſuſtentari poſſe, quam ſi ab eo, qui animi magnitudine, militari virtute, rerum geſtarum uſu gloriaque excelleret, regnum adminiſtraretur; quæ cuncta in Henricum confluxiſſe videbantur. Licet enim adhuc nova eſſet religione imbutus, tamen, cum ad præſentem ejus ſtatum retinendum ſeſe jurejurando devinxiſſet, Concilii decretis ſubjeciſſet, undique a regiæ ſtirpis Principibus circumſideretur, ſperandum videbatur, ut, tandem recenti ſuperſtitione relicta, ad vetera ſacra rediret; totque ac tantis virtutibus ornato Principe, albicantibus ac frondentibus liliis, Galliæ regnum in priſtinum decorem & amplitudinem aſſurgeret.

Rex ſtatim declaratus, per Vindocinenſem Cardinalem, Sueſſionumque Comitem Joanni Mocenico, Reipublicæ apud Henricum III. legato, Turonibus tunc agenti, Regis obitum, ſuam in regno ſucceſſionem ſignificat; propenſam voluntatem atque amicitiam, quæ per tot ætates Galliæ Regibus cum Venetis interceſſerat, defert. De iis omnibus Senatus a Mocenico certior factus, uti moris eſt, per literas eidem oratori miſſas, Henrici III. miſerandum caſum dolet, partum amplifſimum regnum Henrico quarto gratulatur. Interea Meſſius, Henrici III. legatus, nondum ob itinerum difficultatem a Navarræ Rege acceptis literis, cum domi ſe continuiſſet, tandem quarto nonas ſeptembris Principis Patrumque Collegium adiit; atque, ut erat ſagaci admodum ingenio, licet de iis quæ in Gallia acciderant, qui ambigeret, nemo eſſet, hæſitabundus, fluctuare animo, magnoque curarum æſtu ſolicitari ſe inquit, hinc horrendum Henrici caſum deplorare, deteſtari; inde nondum id ſibi compertum eſſe dicere, quod e Gallia ad eum nuntii adhuc non perveniſſent; in ea perplexitate, an domo poſthac egrediatur, haud ſibi conſtitutum. Itaque Patribus Galliæ Regni res negotiaque enixe commendare. Ceterum Pontifex de Senatus ad Navarræum literis, deque officiis edoctus, cum

Senatus literæ ad Henricum IV. Galliæ Regem.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 cum Baduario legato acriter conqueritur, hominem diris devotum, hæresi inquinatum, Galliæ Regem renunciatum fuisse. Orator, ab assueto inter Principes instituto abstinere Senatum minime potuisse, respondet: jure gentium receptum, ut mutuis officiis Regum amicitiæ alantur, cum præsertim non ad religionem, sed ad politicum regimen, regnorumque statum spectantia pertractentur: id vero minus vitio verti hoc tempore Reipublicæ debere, quod Rex ad catholicam religionem tuendam publico se jurejurando obstrinxisset: an illum parvi facere, an spernere, an stirpis regiæ Principes, quibus Galliæ incolumitas niteretur, negligere, atque ad desperationem redigere Senatum oportuisse? Baduarii rationibus haud parum commotus Pontifex, Patres, ut tempus officiis ac verbis extraherent, atque in neutram partem propenderent, hortabatur; veterem majorum prudentiam imitarentur, qui Principum amicitias colendo, neque magis uni quam alteri favendo, Reipublicæ libertatem atque amplitudinem summa cum gloria retinuerant atque auxerant: id ipsum quoque se facturum affirmabat; quid Navarræ Rex moliretur observaturum; ex eventuum temporumque conditione firmiora consilia capturum.

Xystus Pont. de officio Senatus ad Henricum conqueritur.

Baduarii oratoris responsum.

Ab Henrici porro obitu, Navarræique successione omnes catholicos Principes in illum conspiraturos, undique auxilia confluxura, Romæ consilia emanatura, seque principem ac moderatorem expeditionis futurum, sibi Xystus persuaserat. Verum quot difficultatibus implicitum negotium, quot quantaque secum traheret, cito patuit; divulsæ Principum voluntates, diversæ factiones, prout quisque sibi ex Galliæ regni mutatione consuleret, sejuncta consilia. Id unum inter has ambiguitates Xysti animo fixum atque immotum sedere videbatur, ut veteri imbutus religione Rex in Gallia esset; neque se aliud poscere, nihil in votis habere, ajebat, quam ut in pernobili Christianissimoque regno inviolata atque illibata religio catholica servaretur. Interea fœderati Diensem commendatorem Romam miserant, qui de præsenti Galliæ statu Pontificem doceret; copiarum, pecuniæ subsidia peteret. Carolus quoque Lotharingius, in spem regni prisco gentis suæ jure evectus, auxilia flagitabat. Gallos, Germaniæ Principum plerosque, Bajoariæ, Menapiorum Duces, alios que fautores atque adjutores habiturum

Galli fœderati Commendatorem Diensem ad Pont. mittunt.

turum prædicabat. At Pontifex, licet mirum in modum a fœderatis Hispanisque solicitatus, hærere animo, in re summi momenti nihil certi statuere, cunctatione suspensas omnium mentes detinere; cum, utramvis in partem proclinaret, gravissimi motus, magnæ perturbationes essent suborituræ. 1589

Inde cuncti Venetorum decretum, quo Navarræo Galliæ regnum gratulati fuerant, varia animorum agitatione expendebant. Plerique Senatus in tanta re sententiam magnifaciebant, quod satis constaret, Patres nullum consiliorum sibi scopum, præterquam totius reipublicæ christianæ incolumitatem ac decus, Italiæque libertatem proponere. Aliis secus videbatur, in ingenti totius christianæ reipublicæ expectatione præpropere nimium ac præmaturæ statuisse. Verum qui solerter & curiose consilia Principum exquirere solent, sedulo observabant, quanam ratione cum Messio Veneti essent acturi, qui non modo Patrum Collegium, uti legatus, adire, sed etiam publicis Ecclesiæ cæremoniis interesse efflagitaverat. At cum nondum Regis literas detulisset, Patres, uti oratorem minime excipiendum censebant; neque sacris cum Senatu adesse consentaneum arbitrabantur, tum eo ne Pontifex magis se offensum existimaret, tum quod, Ecclesiæ adhuc Rege non conciliato, ejus oratorem ad Divina admittere minime æquum videretur. Messius autem secum quacumque in re, veluti cum legato, agi æquum esse ajebat: *A Rege fiduciarias literas non accepisse; at neque etiam per literas de Henrici* III. *obitu cognovisse: Henrico* II. *Carolo* VIIII. *Regibus vita functis, eorum oratores, qui Venetiis tunc aderant, in legatione perseveravisse, in publicum prodiisse, statis cæremoniis interfuisse: cur quidquam ei de legati dignitate aut munere adimeretur? neque Regis religionem officere, cum magna spes esset, eum ad Catholicam brevi traductum iri. Angliæ quoque Reginæ legatum in Gallia a regio sacello non excludi; pontificiam auctoritatem, si sacris præsente, non imminui, mirifice potius confirmari; denique eo de loco, quem Regum Galliæ legati semper obtinerant, in dubium vocando agi, quem Franciscus Verrius, qui nuper a Philippo Venetias legatus accesserat, provehendo illius dignitati ac decori in primis intentus, illi præripere omni studio niteretur.* Patres

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 tres per Bonifacium Antelmium, ſcribam, quæ obſtarent, quominus uti legatus admitteretur, domi exponi Meſſio jubent: qui poſtea cum per literas, perque Mocenicum legatum Senatu conſulto Regi gratulatum cognoviſſet, ad Collegium adiens, ingentes Patribus in hanc ſententiam gratias egit.

Meſſii Galliæ oratoris ad Venetos oratio.

Cum primum ſapientiſſimi iſtius Senatus decretum, quo & datæ ad Regem literæ, & legato Mocenico, ut ei in ampliſſimum ac nobiliſſimum regnum ſucceſſionem gratularetur, ad me pervenit, cohibere me non potui, quin ſtatim ad immenſas & immortales gratias vobis agendas accederem. Eæ autem tantæ, atque ejuſmodi ſunt, quantas ob eximium in Henricum IIII. *beneficium vix animus meus capere poteſt. Inter præclara certe atque eximia, quæ a vobis decreta emanare ſolent, iſtud merito, ac præcipue poſteritas ipſa adnumerabit, æternitatique conſecrabit, quod inter chriſtianos Principes primi Veneti extiterint, qui Henricum* IIII. *Cantabrorum Regem, in Gallia legitime imperitantem agnoverint; regni illius decus, amplitudinem, incolumitatem, Patres ampliſſimi, ab uno veluti fonte, ſupremoque capite manare ſapientiſſime proſpexerint; a quo regiæ ſtirpe geniti Principes, nobilitas plebſque arctiſſimo nexu conglutinaretur; cui divulſa atque diſperſa ampliſſimi illius ac vaſti corporis membra connecterentur; in quo ſolida ac præſtans virtus, vividus animi impetus, ſingularis prudentia ac potentia jungerentur; quæ omnia abunde in Henricum confluxiſſe videri poſſunt. Licet enim veterem religionem nondum amplexus ſit, tamen regnum capeſſenti nil antiquius fuit, quam ut illius patrocinium ſuſciperet; in pleriſque provinciis labefactatam inſtauraret; immunitates libertatemque eccleſiaſticorum tutaretur; ſacerdotiorum confirmationem Pontifici permitteret; ex quibus tantum in Gallia ſeſe Apoſtolica Sedes extulit, tantum Romanorum Pontificum crevit auctoritas, quantum continentibus tot annorum bellis ne ſpe quidem aſſequi, ne dum conſequi potuere; cum præſertim Henricus Concilii decretis ſe obtemperaturum, neque ab iis ulla in parte diſceſſurum ampliſſimis verbis profiteatur: quæ omnia haud dubie Galliæ veterem exiſtimationem ac ſplendorem brevi pollicentur. Enim vero ſi per tot ætatum curricula in arduis ac difficillimis rebus, graviſſimis turbulentiſque temporibus Senatus*

tus veſtri divinum quoddam in humanis rebus vel providendis vel decernendis eluxit ingenium; in hoc potiſſimum miriſice effulſit, cum egregia prudentia, quam Henrici III. *in ſucceſſore pronuntiando conſilium, quam ſanguinis regii procerum conſenſus neceſſaria ad Galliæ turbines diſcutiendos forent, animadvertit; omneſque ſibi in utramque partem eventus ſubjecit, quando regni illius conſervationem ſua intereſſe cognovit; quod ab ortus ſui initio, vel præteritis ſucceſſibus, vel mutuis rationibus, indiſſolubili vinculo cum Republica Veneta coaluit; neque quidquam ei adverſi contingere unquam potuit, quin ad Venetos quoque ipſos redundaret. Ac licet ab externis Principibus nobiliſſimo regno innumeris pene modis ſtruantur inſidiæ; ſanctiſſimo religionis velo, iniquis conſiliis atque conatibus prætexto, ſocietates parent; quatere ac proſternere Regem nitantur: attamen, Deo juvante, propria virtute innixus, conſtans immotuſque manebit. Non illi ad ſe tuendum vires cum domeſticæ tum externæ deerunt: auxilia Anglorum, Germanorum ſubſidia aderunt: ab adverſariis opprimi ſe non patietur: minime ſe deſeret; nihil intentatum prætermittet; quamvis ingenti animi moleſtia jam tum præſagire ſibi videatur, quot inde damna, quot clades chriſtianæ reipublicæ impendeant. Verum in Deum Optimum Maximum juſti atque æqui parentem ac protectorem cuncta conſilia ſpemque rejiciet, opem illius ſumma fiducia expectans, ut tandem poſt tot procellas ac tempeſtates quaſſatam agitatamque ratem incolumem portus excipiat. Ad hæc perficienda haud parum ſapientiſſimi iſtius Senatus auctoritas juvabit, qua procul dubio frena aliorum Principum conſiliis quodammodo injecta ſunt, qui prudentiſſimæ ejuſdemque catholicæ Reipublicæ exemplum conſpicientes, hærebunt animis, neque adeo præcipites ad ea ſe demittent, quæ per pietatis ſpeciem ambitioni immodicæque aliorum cupiditati gradum faciant: quod ſane accidiſſet, niſi veſtra prudentia reliquis faces prætuliſſet. Ac demum quis novit, an non opportune hujuſmodi decreto Reipublicæ quieti egregie conſultum ſit: aliquin multis propoſitis conditionibus illiciendæ, ut tenuium nonnullorum conſiliis irretita, inexplicabilibus ſeſe nodis abſtringeret, gravique Galliæ, Italiæ, reipublicæque chriſtianæ ruina, aliorum magnitudi-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 *tudini ac potentiæ aditum ſterneret. His tot incommodis veſtra prudentia, veſtris conſultis, Patres, obſtitiſtis, imminentia pericula proſpexiſtis, quantum in vobis erat, opportuna tot malis remedia adhibuiſtis, æternum vobis Galliæ regnum, atque Henricum* IIII. *devinxiſtis; qui nullo unquam tempore, nullis caſibus eximium hoc Reipublicæ veſtræ beneficium oblivioni mandabit; quandocumque ſe dabit occaſio omnes vires, conatus in ea ornanda atque amplificanda collaturus.* Haud multos poſt dies Joannis Mocenici e Turonibus literæ ſupervenere: Henrico eam urbem ingreſſo literas Senatus exhibuiſſe, gratulationiſque munus obiviſſe: Regem perhumaniter illum complexum: quod inter Italos Principes prima Reſpublica ſe Regem conſalutaſſet, ingentes Senatui habere gratias; perpetuo ob tam inſigne beneficium Reipublicæ devinctum fore; mutuam illi gratiam repenſurum affirmaſſe: decimo quoque octavo kal. ſeptembris a Noilio Regis literæ allatæ, quibus Henrici III. caſum, regni ſucceſſionem, egregium in Rempublicam ſtudium ſignificabat.

Henrici IV. literæ ad Venetos.

Cajetanus Cardinalis loco Mauroceni legatus in Galliam mittitur.

Pontifex cum diu de præſenti reipublicæ chriſtianæ ſtatu, deque Galliæ rebus conſuluiſſet, tandem, Joanne Franciſco Mauroceno, legato, in Italiam evocato, Cajetanum Cardinalem ſuffecit. Ubique locorum præcipue Romæ apud Pontificem ab iis, qui fœderi ſtudebant, rebuſque inde novis, legati nomen inique lacerabatur, quod tot tantiſque honoribus una in illum congeſtis, ex Epiſcopo Brixiano prius in Gallia Nuntius, inde ſimul Cardinalis creatus, atque etiam Legatus, quod nulli memorabatur antea contigiſſe, non ſatis æquam & dignam gratiam rependiſſet; ſegniterque admodum, ut jactabant, & ſincere parum in obeundo ſuo munere verſatus, eccleſiaſticæ auctoritatis aciem permiſiſſet hebeſcere. Quare, calumniis obtrectatorum in dies gliſcentibus, nonnulli auctores legato ex amicis erant, ne temere ſe irati Pontificis poteſtati committeret. Ad quos ejuſdem hæc vox ſæpe fuit audita: *Malle ſe glorioſe perire, quam turpiter vivere.* Nam vir excelſi fortiſque animi, & acerrimi ingenii, rerum præterea gerendarum uſu magno præditus, quippe diu ſenatoriis muneribus perfunctus in patria, & obitis legationibus maximis inſignis, præclara tandem conſcientia ac innocentia tutus, futu-

futurum id confidebat, quod mox evenit, ut quæ boni publici cauſa prudenter egiſſet, ea ſapientiſſimo Pontifici cuncta facile probaret, priſtinumque honoris & gratiæ locum ipſum reciperet. Cajetano legato in Galliam proficiſcenti trecenta aureorum millia tributa; decem Epiſcopi itineris ac negotiorum comites dati; e Jeſu ſodalitio quidam adjecti. Quam celerrime in Galliam contendere, Lutetiam ſe conferre, ibique commorari juſſus; quo loco res Galliæ eſſent in primis diligenter obſervare, non Catholicos modo, verum eos quoque, qui Navarræi partes ſequerentur, atque adeo Regem ipſum, ſi ita ſibi expedire videretur, audire; omni cum hominum genere atque ordine verſari; eaque dexteritate atque ſuavitate agere, quæ ardua hujuſcemodi negotia expoſcerent: cuncta cogitata, conſilia, actiones in id dirigeret, ut in Gallia catholicæ religioni addictus Rex eſſet. Iis omnibus a Xyſto Reipublicæ oratori communicatis, addit, Cajetano legato Hiſpaniæ Regis, Sabaudiæ Ducis, atque aliorum Principum oratores ſeſe adjuncturos; ad eum Lutetiam cuncta relatum iri: Senatum hortari, ut Mocenicum eodem proficiſci jubeat. Ea legatio Gallis, qui a Rege ſtabant, admodum moleſta fuit, quod Philippo magnopere Cajetanum obnoxium eſſe conſtaret, cum ob familiæ perpetuam in eum obſervantiam; tum quod alter Cajetani frater Regi in Belgio militaret, alter annua penſione cohoneſtaretur: ut non ad Galliam pacandam, ſed ad bellum importandum inductus fuiſſe videretur. Hæc licet iis valde repugnarent, quæ Xyſtus de Galliæ quiete ac tranquillitate jactaverat; tamen Senatus, qui optime ejus ingenium noverat, illudque paulatim tractandum ac deducendum, non impellendum cognoverat, maximas pro iis, quæ legato ſignificaverat, gratias agit; egregiam in commune bonum voluntatem extulit; pro certo habere cuncta ejus conſilia ad reipublicæ chriſtianæ decus ſpectare.

Interea Meſſius, acceptis a Rege literis, quibus legationis munus apud Rempublicam perſequi jubebatur, ſe, uti Henrici IIII. Navarræ ac Galliæ Regis legatum excipi atque agnoſci petiit. Decretum ſummo Patrum conſenſu fit: *Senatui placere, Meſsium, uti Henrici legatum, recipi.* De eo Senatus conſulto cum Hieronymus Matthæutius, Xyſti Nun-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 Nuntius, cognoviſſet, poſtridie ejus diei, qui fuit quinto idus octobris, ad Collegium accedens, gravi oratione præfatus, *Se quidem*, inquit, *aliis in rebus cunctanter agere; diſſimulatione quandoque uti ſibi licere arbitrari; in hac cauſa, in qua de Dei Optimi Maximi religione & cultu agatur, nihil diſſimulanter agendum, ex animo libere loquendum: mirari, Senatum palam Navarræo favere; unum inter reliquos catholicos Principes ejus patrocinium ſuſcepiſſe, quem hæreſi infectum, priſcæ religionis deſertorem eſſe conſtaret; qui alias in id crimen lapſus, ejerata fœda ſuperſtitione, veniam a Gregorio* XIII. *per literas perque oratores precatus ſit, atque ad priſtina ſacra reverſus; iis denuo relictis, ſeſe in eamdem voraginem præcipitem dederit: ſcire cupere, an Navarræi nuntium miniſtrumque recipere Senatus velit; ejus mentem ſciſcitari; cognita, quod ſibi Pontifex juſſiſſet, enunciaturum.* Ad hæc Princeps, *Senatum de more reſponſurum*, inquit: *interea ſi quid in mandatis habeat, enuntiet; neque enim inſuetum quidpiam Rempublicam aggredi, dum jure apud omnes gentes recepto ageret, atque, uti recta regiminis ratio poſcat, amicitias cum omnibus Principibus coleret: ſummo Apoſtolicam Sedem obſequio ſe quidem venerari; at eos, qui ad ſe Principum nomine ventitarent, quin audiret, prætermittere non poſſe; nil cauſæ eſſe, cur vel Pontifex, vel alii merito de Republica conqueri, ac jure facta carpere queant.* His Principis verbis excitus & commotus Matthæutius, *Si*, inquit, *Navarræ legatum Senatus exceperit, monere, eique obnuntiare ſe a Xyſto juſſum.* Tum Princeps, *mirari*, ſubjicit, *ita cum libera Republica agi, quæ optimis conſiliis nixa, quid e re ſua eſſet, ſtatueret; quæ, religione ſimul cum libertate hauſta, majorum exemplo, nemini in Divinarum rerum cultu, atque erga Romanos Pontifices obſervantia concederet.*

Meſſius uti Henrici III. *orator a Venetis receptus.*

Hieronymus Matthæutius Nuntius de Meſſio a Senatu recepto conqueritur.

Principis reſponſum.

Matthæutius Nuntius Venetis obnuntiat.

Hæc cum nova atque inexpectata Patribus accidiſſent, Senatu conſulto Romam extra ordinem legatum, qui & Pontificis mentem leniret, & Senatus decretum tueretur, mittere ſtatuunt. Leonardus Donatus, rerum uſu ac prudentia præſtans, qui antea ordinariam legationem obiverat, eſt lectus. Eodem tempore ad Baduarium datæ literæ; Xyſti animum flectere nitatur; quæ ad hoc decretum faciendum Patres impulerint, exponat; quot

Leonardus Donatus extra ordinem ad Pontificem orator.

quot ex ſanctiſſimæ illius Sedis cum Republica conjunctione mutua extent beneficia recenſeat, Donati extraordinariam legationem ſignificet. Matthæutius cum ſtatim, ſe digreſſo, Meſſium oratorem in Patrum Collegium inductum cognoviſſet, illico per diſpoſitos equos Romam contendit; indignabunda civitate, quod, neque vale Principi ac Patribus dicto, nulla publicæ exiſtimationis ratione habita, diſceſſiſſet. At Baduarius, acceptis Senatus literis, licet valetudine affectus, ac febri correptus, ſtatim Tarracinam, quo Xyſtus ob eas ſiccandas paludes, portumque excavandum ſe contulerat, lectica deferri curavit. Id cum, præmiſſo ſcriba, ſignificaſſet, ad Sermonetam propinquum oppidum divertit. Juſſus, ibi Pontificem convenit; qui pallentis legati adſpectu, in quo gravitas quædam ſenatoria elucebat, vehementer commotus, quæ illum morbo gravatum ad iter conficiendum impulerint, ſciſcitatur. Tum Baduarius breviter atque ex ordine cuncta exequitur; *Matthæutium in Navarræi cauſam coram Principe Patribuſque acriter invectum; an ejus legatum Senatus admiſſurus eſſet percunctatum; ſi admiſiſſet, pontificio nomine monuiſſe, atque obnuntiaſſe: ob id Leonardum Donatum, præcipuum Senatorem, legatum, qui Reipublicæ in ſanctiſſimam iſtam Sedem obſequium teſtetur, quæque acta ſint, ea ſumma ratione facta exponat: Xyſtum rogare, ne quidquam de ſua in Rempublicam benevolentia detractum velit, neve malevolis hominibus ei infenſis aures præbeat: re perſpecta, Senatus conſilia, geſtaque probaturum, certo ſibi perſuadere.* Ad hæc Pontifex, quo ſemper in Rempublicam animo extiterit; diſertis verbis narrat: *omnia ſua cogitata atque acta Senatui communicaſſe; ut in neutram partem proclinaret, horratum: cur modo Navarræi legatum admitteret? cur a cœtu fidelium amoto faveret? ſe quidem Donatum legatum benigne auditurum, neque a Reipublicæ amicitia, niſi coactum invitumque diſceſſurum.*

Matthæutius Nuntius Romam contendit.

Baduarius orator de nuntii obnuntiatione cum Pont. expoſtulat.

Pont. reſponſum.

His peractis, vix Romam Baduarius redierat, cum aliæ Senatus literæ ſuperveniunt, quibus de repentino Matthæutii diſceſſu docetur. Statim ad Xyſtum Tarracina jam regreſſum adit, Matthæutii factum acerbe conqueritur: *ne verbo quidem facto, non reſponſo Senatus expectato, nulla publicæ dignitatis habita*

Baduarius orator de nuntii, profectione cum Pontif. conqueritur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 *habita ratione, Venetiis discessisse, citatissimo itinere Romam venisse: pro certo habere, ea mente Xystum non esse, qui toties crebris iisdemque præclaris argumentis suam in Rempublicam benevolentiam patefecerit. Itane immerentem in Rempublicam, sanctissimæ illius sedis suique observantissimam actum? Itane majorum præclara in religionem Apostolicamque Sedem merita rependi? Hæc ne præsentium gesta exposcere? huic malo ab eximia tantum illius prudentia ac magnanimitate remedium peti posse.* Hæc admirabili facundia ab eo viro, qui dicendo versare animos, atque in quamcumque partem rapere assueverat, enuntiata, Xystum ita exagitavere, ut diceret, *ejus mandata perperam Matthæutium interpretatum, quæ ejusmodi fuerant, ut si cum Messio, uti Regis Galliæ legato agere Senatus vellet, suis verbis moneret atque obnuntiaret.* Inde Baduarius occasione arrepta, quantum Matthæutii discessus christianæ reipublicæ universæ officeret, diserte ostendit. *Quam id communibus hostibus pergratum? quam optandum? ut is necessitudinis nexus, quo uterque principatus staret, solveretur? quantum id egregiis ejus cogitationibus consiliisque adversum? nullo magis Italiæ libertatem ac pacem, quam Pontificum cum Venetis fœdere ac societate niti; eadem hac re haud parum labefactari & concuti. Itaque si ejus mentem minime assecutus, si mandata Matthæutius executus non sit, publico id argumento patefaciat.* Tum Xystus, *quo pacto id effici posset*, postulat. *Si*, inquit Baduarius, *qua celeritate Romam venit, eadem Venetias revertatur.* Tunc præcipi Matthæutio Xystus jubet, ut per dispositos equos ad legationis munus apud Rempublicam obeundum contendat: qui statim, ne viso quidem, ne dum sermone cum Pontifice habito, in viam se dedit, ac quadraginta vel paulo amplius horarum itinere ad urbem pervenit, cum adhuc plerisque ejus discessus nondum compertus esset. Ingens inde apud Patres Baduario laus, magna apud omnes Reipublicæ existimatio accessit. Donato extra ordinem legato injunctum, ut maximas, quas posset, Pontifici gratias ageret, duplicique in primis argumento Senatus acta tueretur; altero inconcussa Patrum omniumque civitatis ordinum catholica religione, pro qua, si opus esset, vires, imperium, vitamque libentes effunderent; altero veteri instituto, quo nemini

Matthæutius Nuntius a Pontif. Venetias regredi jubetur.

mini addicti in neutram partem inclinassent, æque cum Regibus amicitias coluissent; his artibus alitam, servatamque Rempublicam: iisdem impulsam Navarræ Regis legatum recepisse; ad neminem inde noxam pervenire, neque de Regum titulis velle decernere; qui a Diensi quoque Commendatore fœderatorum literas accepissent. Hæc Donato mandantur. 1589

At Pontifex, licet Matthæutio Venetias regredi jusso, haud parum de pristino animi ardore remisisse videretur, attamen Messium, uti Henrici IIII. Galliæ ac Navarræ Regis oratorem, a Venetis admitti ferre non poterat, quod is ob religionem a Galliæ regno arceretur; quod anathemate perculsum Veneti primi Regem, nulla Apostolicæ Sedis ratione habita, consalutassent; quod id eo tempore fecissent, quo reliqui Principes, Hispanus nempe, Sabaudus, Lotharingus, plerique Galliæ proceres præcipuæque civitates ab eo abhorrerent, quo in ingenti adeo omnium rerum fluctuatione cuncti catholicum Regem exposcerent. His addebat: *Dum gratiam ab uno inire Veneti cuperent, in aliorum inimicitias incidere; dum Navarræ Regi faverent, majores reipublicæ christianæ Principes lædere. Negotiorum & commercii causa cum Principibus a religione aversis tractare permissum: si cum Regina Angliæ agat, sacris legibus permittentibus, Rempublicam minime reprehensurum: neque quod alii cum Germaniæ Principibus negotia obirent, trahi ad exemplum posse. Non eos nuper provincias ac civitates arripuisse, sed antiquitus obtinere. Aliam Navarræi causam, qui neque Rex esset, neque pro Rege haberetur. At vel saltem ejusdem oratorem, non uti Galliæ Regis, Respublica admisisset; minus ægre laturum; id pati non posse quod primi, ac soli Veneti Ecclesiæ hostem Galliæ Regem appellarint.* Veneti contra: *Si prudenter Reipublicæ consulendum sit, efficere non posse, quin oratores quoslibet ad se venientes admittant; id & Regum omnium ac rerumpublicarum usu institutisque receptum, & gentium jure concessum: legati nomen sanctissimum ac venerandum apud cunctas nationes haberi: nullam gentem adeo barbaram aut præferocem esse, quæ (modo in aliquam regiminis formam coaluerit) legationes ad finitimos Reges ac Principes, vel in remotas regiones non mittat, missas ad se non recipiat. An vero de iis, quæ ad religionem spectant, cum Messio,*

Venetorum de Henrico IV. Rege nuncupato decretum a Pontif. improbatur.

Veneti suum decretum tuentur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 *Meſſio, Regis legato, agi? Quid? nonne Cæſarem ejus legatos audiſſe? An non Turcarum quoque infideliumque acerrimorum religionis hoſtium legatos admitti? Quidquamne Senatum in Gallica cauſa ſtatuiſſe? An cum iis, quos ſibi aſsumeret, titulis oratorem non reciperet? An Chriſtianiſſimi cognomine Galliæ regni peculiari literis non inſcripto, Regis offenſam incurreret, magnumque ei vulnus infligeret? Spectatam ſatis Reipublicæ religionem ac pietatem; ſatis illius in Apoſtolicam Sedem eximium obſequium cunctis conſtare; majorum exempla pro illa tuenda atque amplificanda, exantlatos labores, pericula ſuſcepta.*

Hiſpani oratoris contra Venetos apud Pont. officia.

Verum Pontifex nulla ratione a ſententia dimoveri poterat, Philippi Regis legato ſtimulos addente, qui ob Matthæutii reditum vehementer commotus, multa effuderat, pleraque in Xyſtum jecerat: *Perperam feciſse, parum ſuæ exiſtimationi, atque Apoſtolicæ Sedis dignitati eo facto conſuluiſſe: Navarræi legato Venetiis in publicum prodeunte, aliorum Principum oratores ſtatim diſceſſuros; pontificium tantum cum eo manſurum. Quantam inde pontificiæ dignitatis jacturam fieri, quantum apud omnes deſpectum conſequuturum? Si Apoſtolicæ Sedis dignitatem ſuſtinere Xyſtus nolit, Hiſpaniarum Regem defenſurum, ſartam tectamque conſervaturum.* Hujuſmodi Hiſpani voces atque officia cum ad Pontificem perferrentur, mirum in modum angebatur: inſuetumque mœrorem ore & vultu præſeferebat; atque in purpuratorum concilio, in quo Gallicæ res tractabantur, enunciaverat; *ſe Venetias, quod mandata non feciſſet, Nuntium regredi juſſiſſe; ceterum, ut Veneti Navarræi legatos admittant, minime laturum: ſecum itaque, quid in hac cauſa agendum eſſet, Cardinales cogitarent.* Interea cum Donatus Romam perveniſſet, una cum Baduario perbenigne a Xyſto exceptus, legationis cauſam exponit, Reipublicæ jura defendit, nihil, quo ejus animum demulceat, prætermittit: qui licet initio durior videretur, tamen vel rationibus victus, vel ſervandæ cum Venetis amicitiæ ac benevolentiæ, quæ haud parum chriſtianæ reipublicæ atque Italiæ conduceret, percupidus, aliqua ex parte ſibi a Senatu ſatisfieri, quo ſuam retinere dignitatem queat, efflagitat.

Negotium multis implexum difficultatibus erat; at ſi ulla iniri ratio poſſet, qua Pontifici gratificarentur, Patres ſedulo exco-

excogitabant; id vero, ſi cum Senatu in publicum orator non prodiret, ſatis ſe conſequi poſſe arbitrabantur. Aegre id decretum Meſſius tulit, deque eo Regem certiorem fecit; qui per literas cum Mocenico legato, modeſte tamen, eſt conqueſtus. At is, non ex minus propenſo in Regem animo, ſed temporum conditione, rerum præſentium ſtatu profectum affirmabat; neque ultra Henricus contendit. Verumtamen adhuc Xyſtus majora petere, invitum coactumque ſuo decori ac dignitati, prout ſibi melius videatur, conſulturum, dicere. Donatus contra nihil, quo in Sanctiſſimam Sedem atque ipſummet Xyſtum obſequium obſervantiamque Venetorum ſignifica ret, relinquere. *Quid enim amplius expectet? Gentium jure uſu inter Principes recepto, actum, nihil de pontificia auctoritate detractum aut imminutum: Navarræ Regis oratorem ſtatis cum Principe ac Senatu cæremoniis intereſſe interdictum; legatum extra ordinem, qui publicam in eum reverentiam in totius orbis chriſtiani veluti theatro teſtaretur, miſſum: quid quod a Senatu vel optet vel petat, ſupereſſe?* Ad ea Pontifex, ne ſaltem, uti aliorum Principum legatos, qui in aulæ Principis veſtibulo perhonorifice, ſtragulis inſtratis, excipi ſolent, Navarræi legatum admittant, poſtulat; Meſſio holoſerico amictum, inſigni cum pompa, ea tumidum atque inflatum legatione, Collegium ingreſſum. At Donatus, nihil præter morem factum: atrata indutum veſte prima die prodiiſſe: quo minus legati, qua ſibi placeret, veſte incederent, prohiberi non poſſe. Eo igitur cum negotium redactum eſſet, omneſque legationis numeros Donatus expleviſſet, in patriam reditum a Xyſto petere jubetur: quem tametſi aliquanto duriorem initio expertus; nihilominus, decembris menſis exitu cum ad eum ambo oratores acceſſiſſent, ſe quidem, quæ Senatus ſtatuerat, probare minime poſſe, inquit, quod nempe Navarræum pro Galliæ Rege habuiſſet: attamen nihil aliud ea in re acturum pollicitus, Donato abitum in patriam petenti, fauſta cuncta feliciaque precatus, ultro permiſit.

Senatus decretum, ne Gallus orator cum Principe in publicum prodeat.

Leonardi Donati cum Pont. officia.

Dum hæc geruntur, Maynius ſeſe ad bellum comparabat; copias colligebat; Principes literis ac nunciis fatigabat; Romam miſſis procuratoribus, aſſidue Pontificem urgebat: hominem quoque ad Senatum miſerat, qui de regni ſtatu doceret,

Maynus Dux nuncios Romam & Venetias mittit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 ceret, consilium opemque exposceret; cui perbenigne est respon-
sum. Interea Lucemburgius Pineti Dux, a Rege regiæque stirpis
Principibus legatus, in Italiam venit, ut de Galliæ negotiis
cum Pontifice ageret. Is antequam se Romam conferret, Ve-
netias accedere jussus fuerat, ut, Principe Patribusque consa-
lutatis, quæ præsens rerum ratio posceret, officia exequeretur.
Ad eum invisendum duo continentis Sapientes, ex Senatus
consulto, missi, ab iis in aulam introductus, Henrici IIII.
Navarræ Galliæque Regis literas exhibuit, quibus denuo Hen-
rici III. obitum, ejus in regnum successionem significabat;
gratias de literis deque officiis Senatui agebat; se suaque o-
mnia Reipublicæ commendabat. Tum regii stemmatis Principum
aliæ in eamdem ferme sententiam adjectæ. Literis perlectis,
ab iis, quæ ab anno M.D.LXXXV. in Gallia acciderant, Lu-
cemburgius exorsus; quibus artibus illius hostes ad publicam
tranquillitatem turbandam, atque a Rege subjectos alienandos
usi fuerint, persequitur; quo loco Henrici III. obitu res fue-
rint, quæve regia prognatos stirpe ad Navarreum Regem de-
clarandum impulerint, exponit: *Ut nempe ejus auspiciis in-
niterentur, qui pristinæ amplitudini ac splendori regnum resti-
tuere posset, ne divulsum & distractum collaberetur ac rue-
ret. Id unum catholicæ religionis fulcimentum esse, quæ procul
dubio ingentem jacturam pateretur, si, inter se Regis agnatis de
imperio ac religione dimicantibus, Rex alicui parti accessisset:
optimos ex eorum consiliis fructus jam matures cere, quod Hen-
ricus præsentem religionis statum tueri, seque Concilii decretis
subjicere decrevisset, atque haud obscuris argumentis brevi ve-
tera sacra amplexurus videretur. Enimvero id præsertim Pon-
tificis munus esse, magna prudentia, singulari ingenii dexte-
ritate in gravissimo negotio uti; difficillimum ac ne sperandum
quidem, contentione & severitate religionem erigi atque instau-
rari posse, quæ suadendo, adhortando potius, quam decertan-
do assurgeret: quocirca Senatum rogare, ut eorum patrocinium
apud Pontificem susciperet, atque ea officia adhiberet, quæ
præsens rerum status, Galliæ regno & reipublicæ christianæ
impendentium malorum conditio exspostceret.* Senatu consulto
Lucemburgio responsum: *Ingentes Regi Principibusque de in-
signi adeo legatione, qua præsentem Galliæ statum Reipublicæ
signi-*

Lucemburgius Henrici legatus, in Italiam venit; & ejus cum Venetis officia.

Senatus responsum.

ficasset, haberi gratias; omni officii genere cum Pontifi- 1589
*ce, quo causam eorum juvare posset, usurum: nihil magis cu-
pere, quam post tot turbas ac dissensiones tandem amplissimo
atque nobilissimo regno pax tranquillitasque affulgeat; ut, pri-
stino vigore recepto, hostibus terrori, amicis ac fœderatis se-
curitati esse possit.*

Quatriduum Lucemburgius Venetiis commoratus, quinto idus decembris Romam iter intendit, torque aureo decem pondo a Senatu donatus. Per Mantuanos in Hetruriam cum perveniisset, Ferdinandum Magnum Ducem convenit, qui Prin-
cipum literas tantum accepit, Navarræi vero renuit. Idem a Mantuano factum, eo consilio, ut ambo a Pontifice gratiam inirent, quem per suos oratores, quo pacto cum Lucembur-
gio egissent, docuere. Romam cum accessissent, quæ causæ Principes, ut Navarræ Regi accederent, impulerint, Pontifici exponit. Prudenter, nulla primo congressu Regis Navarræ mentione habita, de religione pertractat, de qua postea op-
portune transegit; quam facile ad prisca sacra perduci Rex posset, ostendit: prompte illum Concilii decretis obtempera-
turum testari; moneri docerique petere: momento fere ab in-
genti periculorum mole, armis, cædibus, internecione Apo-
stolicæ Sedi deditissimum Christianissimumque regnum, quod sæpius pro ejus amplitudine & dignitate arma induerat, eripi posse. Hæc cum Pontifice Lucemburgius. Ac, ne quid inte-
tatum relinquat, Camillæ, Xysti sorori, quæ plurimum apud fratrem auctoritatis pondus habebat, significari curat: si quis ad Navarræum erudiendum in Galliam mitteretur, absque du-
bio catholicam religionem susceperum. Ceterum Pontifex in gravissimo negotio, in quo magna christianæ reipublicæ mo-
menta vertebantur, varias in partes trahebatur: hinc fœderati una cum Hispanis solicitabant; inde Galli Regi addicti urge-
bant. In ea rerum perplexitate cunctatione moraque utebā-
tur, tractu temporis accidere aliquid posse sperans, quo ne-
gotium discuteretur, faciliorque via ad consilia capienda ex-
pediretur.

Ferdinandus Hetruriæ & Mantuanus Duces Henrici literas recipere renuunt.

Lucemburgii ad Pontificem expositio.

Inter hæc Maynius Cardinalem Borbonium carcere inclu-
sum, Carolum decimum vocatum, Galliæ Regem renuntiari curat; auri argentique monetam, inscripto ejus nomine, cudi jubet;

Card. Borbonius a Maynio Rex vocatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 jubet; ejus auctoritate Catholicorum fœdus Lutetiæ pronuntiat, quo comitia totius regni habenda decernebatur; quotquot inter Gallos vere christianæ religionis cultores essent, ad eam, regiumque statum tuendum incitabantur, donec Carolus decimus, nuper Rex nuncupatus, libertati restitutus regnum administrare posset. Præcipuæ Galliæ civitates ad defectionem a fœderatis solicitabantur. Burdegalæ in eos, qui adversus fœdus feciſſent, severis propositis pœnis, edictum vulgatum. Tholosates singulis annis kal. augusti publicas supplicationes, quibus Deo ac cælitibus pro Henrici III. terribili obitu, ex quo Lutetia liberata fuerat, gratiæ agerentur, haberi statuunt; ac ne quis Henrico (uti ajebant) Borbonio, regni minime capaci, accedat, edicto cavent. At Henricus, ea repentina omnium rerum mutatione, diutius circa Lutetiam morari, per exercitum præsertim grassantibus morbis, minime tutum ratus, in Neustriam ad Anglorum auxilia suscipienda, oppida firmanda proficiscitur. Arcus pontem prope Diepam deditione recipit; Cademum ac Neocastrum ad suas partes traducit; per speciem Rothomagi adoriundi, hostes a Lutetia deducere conatur. A Brisatio atque Aumalio Maynius evocatus, cum peditum quindecim, equitum circiter trium millium numero eo pergit. Ad Diepam acriter dimicatur, modo hinc modo illinc alternante fortuna, quæ nonnunquam adeo inclinare in fœderatos visa, ut, cohorte regia circumsessa, Henricus in summo vitæ discrimine versaretur. At militari illius virtute, Bironii fortitudine, Helvetiorum robore restituta acie, tandem victor evasit, desiderato ex fœderatis haud exiguo peditum, majore cataphractorum equitum numero, præfectis ac nobilibus aliquot cæsis, compluribus captis, paucis ex regio exercitu amissis.

Henricus in Neustriam proficiscitur.

Prælium inter Henricum & fœderatos, & Henrici victoria.

Octavo vero kalen. octobris, nocte concubia fœderati, amotis castris, Arcus oppido frustra tentato, discedunt, Sequanamque trajiciunt. Rex, Anglorum auxiliis receptis, duodecimo kal. novembris Lutetiam contendit. Kal. suburbia adortus, horæ momento, octingentis circiter propugnatorum cæsis, quatuordecim vexillis, tredecim machinis in potestatem redactis, divi Jacobi suburbium ingreditur; Mayniumque cum suis copiis e Morinis Lutetiam ingressum intelligens, fru-

Henricus Lutetiam contendit; divi Jacobi suburbium ingreditur.

fruſtra ad prælium fœderatos elicere conatus, cum fere per quatuor horas provocasset hostem, septem circiter leucas Lutetia digressus, per diem se continuit, si forte lacessiti fortunæ aleam fœderati experiri vellent. Id cum fruſtra cessisset, Stampas urbem atque arcem cepit. Inde in Beaussiam pergens, Jamvillium recipit; mox Castellodunum delatus, Vindocinensem civitatem vi obtinet ac diripit. Vindocinensium exemplum pleræque ejus regionis urbes atque oppida sequuntur. In Turonibus deinde magno plausu ac lætitia excipitur, qua die Joannes Mocenicus, Venetorum legatus, ut antea diximus, Senatus literis Henrico redditis, amplissimam Galliæ successionem est gratulatus. Turonibus digressus, Mansiam civitatem circumsedit, tormentis quassatam deditione obtinuit; civibus pepercit, direptionem inhibuit. Eodem fortunæ cursu e Vindocinensi, Turonensi, Ambianensi, atque Maynensi provincia fœderati ejecti. Anni vero exitu Maynius Pontoisa per insidias potitur. Rex, Falloisa ad deditionem compulsa, Brisatium ea inclusum captivum effecit.

1589

Henrici progressus.

Joannes Mocenicus in Turonibus Senatus gratulationis Regi literas reddit.

Finis Libri Decimitertii.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

EPITOME.

INter Auſtriacos Venetoſque controverſiae obortae, quae ſtatim ſedatae ſunt. Magna annonae caritate laboratum: frumentum ad eam levandam undique importandum Senatus curavit. Hiſpaniae Rex Philippus palam foederatis adjunctus, ab Henrico Venetorum, & Pontificis praecipue animum abalienare conatus eſt. Foederatorum copiis in ſancti Andreae vico clade ingenti deletis, Lutetiam Henricus obſidione cinxit. Dum Galliae res componere, nec ſe Hiſpanico foedere implicare Xyſtus pontifex ſtudebat, e vivis ſublatus eſt. Urbanus VII. illi ſuffectus, duodecimo ab inito pontificatu die & ipſe deceſſit. Huic Gregorius XIIII. ſucceſſor eſt datus. Gravis a Turcis metus, poſt factam cum Perſis pacem, civitati injectus eſt. Hieronymus Lippomanus, cum Byzantio Venetias, III-virum Quaeſitorum juſſu, deveheretur, poenae metu ſe in mare praecipitem dedit. Componendis Galliae rebus intentus Pontifex, deſiit vivere; cujus in locum Innocentius VIIII. creatus eſt, haud amplius duorum menſium Pontifex. Rivoaltini pontis ex lapide ſubſtructio ad finem perducta eſt. Poſt magnas inter Cardinales diſceptationes ſummus pontificatus Clementi VIII. non ſine manifeſta numinis voluntate delatus eſt. Ad avertendum turcici belli metum cum Patres delendos Uſcochos cenſuiſſent, graviter apud Pontificem offendere, Marco Sciarra, extorrum principe, ad Reipublicae ſtipendia vocato. Egregiam contra Uſcochos operam Hermolaus Theupolus praeſtitit: idem contra Sciarram ejuſque aſſeclas de Arbenſi direptione cogitantes impetum fecit. Tota ea extorrum colluvies deleta. In Gallia iterum foederatos Henricus fudit fugavitque. Ad reprimendas Turcarum in Forumjulium excurſiones de novae arcis, cui Palmae nomen fieret, ſubſtructione conſilium eſt captum. Bis in Pannonia proſpere contra Turcas a Chriſtianis pugnatum. Henricus Galliae Rex catholicam religionem amplexus, Pontificis animum, datis ad eum literis, ac Nivernenſium Duce Romam legato, fruſtra conatus eſt delinire.

HI-

HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER QUARTUSDECIMUS.

INter Galliæ turbines variaſque Europæ Principum agitationes & conſilia annus elabebatur, quo ad Galliæ firmamentum, totiuſque reipublicæ chriſtianæ incolumitatem, non abſque ingenti fructu, Senatus prudentia atque induſtria (ut poſtea eventus docuit) plurimum profecit; ocyſſimo cursu, vel potius impetu inhibito, quo Itali Principes inconſulto adverſus ampliſſimum illud regnum rapiebantur, cujus amplitudine ac robore libertas eorum atque opes nitebantur. Eodem tempore in Carnorum finibus nonnihil turbatum, cum enim Carolo Archiduci ſubjecti Sontii amnis aquas, foſſa producta, derivare in Gradenſia Venetæ ditionis ſalinaria, non ſine magna incolarum jactura, admixi fuiſſent, minime id ferendum Senatus cenſuit; Aloyſioque Georgio illius humo ingeſta opplenda cunctaque in priſtinum ſtatum redi- 1589

Auſtriaci ſontii aquas in Gradenſes derivare niruntur.

Aloyſius Georgius & Jacobus Malateſta Auſtriacorum opera diruunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1589 redigendi, munus injunxit. Qui cum jussa perfeciſſet, Cæſaris legatus conqueſtus, rem per arbitros definiri flagitabat. Interim pedites ſexcenti cum ſex tormentis, quos *falcònes* vocant, a Carolo miſſi, quæ a noſtris confecta fuerant, demoliuntur. Ea re commoti Patres, Jacobum Malateſtam præfectum cum peditibus ære publico merentibus ducentis, agreſtiumque manu, celocibus quatuor, ac Decemvirum biremi adjunctis, ad Sontium proficiſci, complanare excavatum alveum jubent. Id cum celerrime, nullo obſiſtente, Malateſta perfeciſſet, ab arbitris poſtea Patres non abhorruere; ſed, ut plerumque fit, gravioribus curis minora hæc negotia intercepta ſunt. In Cadubrii quoque finibus, cum finitimis Auſtriacis variæ controverſiæ obortæ: ad eas definiendas Paulus Paruta a Senatu miſſus; qui, cum Ferdinandi ſequeſtribus re agitata & compoſita, intra paucos dies incolas ad priſtinam quietem ac tranquillitatem reduxit. Hoc ipſo anno ut publici carceres, in ima palatii parte conſtituti, ultra rivum ædificarentur, in Decemvirum collegio latum; coemptiſque privatorum aliquot ædibus, opus haud ignobili artificio cœptum, quo reorum cuſtodiæ non modo conſultum, ſed interiore in parte, Sexvirum nocturnorum magiſtratui locus eſt attributus; curatores dati Marinus Grimanus, equeſtris ac procuratoriæ dignitatis, Daniel Priolus. Ad Bergomum inſuper, civitatem Inſubribus finitimam, ſeveriori cuſtodia tuendam animum Patres adjecere; recenſque excitatæ munitioni (*Capellam* vocant) præfectum dedere; primuſque eo munere Auguſtinus Michaelius functus eſt.

Paulus Paruta ad controverſias componendas in Cadubrios miſſus.

Auguſtinus Michaelius primus Bergomi arcis præfectus.

M. D. LXXXX.

1590 INſequentem annum Galliæ regni eventus, commiſſa prælia, Lutetiæ obſidio, Hiſpanorum ab Alexandro Farneſio in Galliæ viſcera arma invecta, Italia fame preſſa atque ab extorribus vexata, duorum Summorum Pontificum obitus memorandum fecere. Inter tot graviſſimarum rerum caſus anni initio ad hominum curioſitatem alliciendam, riſu digna res accidit, ex qua quam levi aura non vulgarium modo mentes, ſed eorum, qui prudentiæ ac ſapientiæ opinione excellunt,

lunt, capiantur, conſtitit. Marco etenim cuidam, ex Bragadena familia minime patricia, in Cypro inſula orto, qui prima juventa Capuccinorum fratrum religioni ſe addixerat, atque arcana quædam *ſublimatoriæ*, ut vocant, artis edoctus, monachi habitum exuerat, haud difficile fuit, non infimæ plebi tantum, ſed præcipuis viris ac Principibus imponere, atque perſuadere, puriore auri parte, quæ a Chymicis *anima* dicitur, vi artis eruta, ejus ope auri formam in argentumvivum, quod *mercurium* vocant, inducere, *fermentatumque* in immenſum augere ſe poſſe. Is, eo invento auri vi a viris inſignibus emuncta, in Bergomatis agri valles, ſervorum ſtipatus haud exiguo numero, ſe contulit; effuſiſſimeque pecuniam profundendo, viliſſima quæque nonnunquam ingenti pretio coemendo, brevi apud rudes homines eam ſibi famam comparaverat, ut pro certo haberent, quantum auri cuperet, tantum ſibi in promptu eſſe, idque in penitiſſimis quibuſdam montium latebris conficere. Ejus rei rumore ad Brixiæ magiſtratus delato, Decemviros certiores faciunt; fideque publica impetrata, Bragadenus, Danduleis ædibus ad Judaicam conductis, longo ſervorum ſeptus ordine, atque omnibus artibus, quibus mortales decipi ſolent, inſtructus, Venetias acceſſit. Lauta & prædives ſupellex, opipara convivia, tripudia, muſici concentus, aſſidua ac ingens impenſarum moles ad ſe cunctorum oculos atque animos attraxere. Alii novitate rei, alii curioſitate, alii demum (eorum præſertim, qui ſibi familiaritate juncti erant) ſpe ducti, domum frequentare, quacumque per urbem incederet, ad eum viſendum omnes certatim confluere. Tantam expectationem cum ſuſtinere amplius non poſſet, artis, quam profitebatur, periculum facere ab amicis coactus, id callide adeo atque egregie in privatorum aliquot patriciorum ædibus præſtitit, ut vere aurum conficere multi opinarentur; licet poſtea fiſtulas quaſdam auri ramentis infertas ita manicis adinbuiſſe compertum fuerit, ut ex iis, quantum ſibi videretur, in vaſculum conjecto, mercurio evaneſcente, exigua auri vigula emergeret. Nec privatorum oculos tantum perſtrinxiſſe contentus, in publicum quoque irrepſit, coram Principe & Conſiliariis iiſdem præſtigiis uſus. Quin etiam grana quædam materiæ cujuſdam exhi-

1590

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1590 exhibuit, quæ in ærarium illata, pleroſque eodem errore involvit, ut metalla cuncta in aurum vertendi artem obtinere eum arbitrarentur; reique fama per Italiam non modo, ſed extra quoque vagaretur. Atque cum per eos dies a Turcarum Rege negotiorum cauſa Zauſius Venetias acceſſiſſet, ac prope Danduleas, ædes ei tributæ fuiſſent, non illepide nec barbare dixerit: *Si is auri conficiendi artem calluiſſet, ſuo Rege majorem potentioremque futurum*. Verum quamprimum ea de re in Senatu relatum; ſtatim viri audacia ac fraus detecta perſpectaque eſt; momentoque opinio fere in immenſum aucta corruit: aurum deficere, impenſæ imminui, ſervi dimitti, multi creditam pecuniam repetere, alii domeſticæ ſupellectilis impenſas exigere, ædes frequentari deſitæ, ut Patavium ſeſe recipere, ac demum e Venetorum finibus impoſtor egredi ſit coactus; in Bajoriamque profectus, iiſdem artibus fallere, pecuniam corrogare aggreſſus, Ducis juſſu in carcerem truſus, aurea, ut fertur, veſte indutus, reſteque ſuſpenſus, pœnas ſcelerum, anteactæque vitæ dedit.

Italia inopia vexata.

Italia omnis eo anno frumenti inopia vehementer laboravit; ac non modo in Flaminia & Piceno, ex quibus affatim annona Venetiis ſuppeditatur, ſed etiam in Neapolis ac Siciliæ regnis ingens penuria fuit. Eodem malo Venetorum ditiones correptæ. In urbe millio leguminibuſque panis confectus; frumenti ſextarium, præter hominum memoriam, octo aureorum pretio veniit. Plerique ex propinquis locis agreſtes homines, ne fame perire cogerentur, in urbem confluxere; ac quadam die, Senatu coacto, palatii area momento infima ac miſeranda ruſticorum lurida turba referta, triſte ſpectaculum præbuit; eique e publico cibariis ſubventum; ad proprias domos redire juſſa. In ea temporum conditione nihil non egit Senatus, ut ex omnibus provinciis ac regionibus, quanta fieri poſſet, maxima frumenti copia, nulla pretii ratione habita, in urbem inveheretur. Hieronymo Lippomano, apud Amurathem legato, in mandatis datum, ut ex turcicis ditionibus, quantum ſibi permitteretur frumenti, aſportandum curaret; neque ea in re irritus ejus labor, cum a purpuratis aſportandi haud exiguam ejus vim impetraſſet. In Bajoariam, ubi eo anno uberes proventus extare ferebantur, Hieronymus

Senatus ſedulitas in annona procuranda.

Rha-

Rhamnuſius, Senatus ſcriba, miſſus, ad amicum Ducem datis 1590
literis, quibus, ut eo in negotio Reipublicæ faveret, petebatur. Marcus quoque Octobonus, a Senatus ſecretis, Gedanum proficiſci juſſus, ut ex ea regione frumenti ac ſiliginis feraciſſima, quantam maxime poſſet copiam importari navibus Venetias curaret, a Daniæ Rege per ſuos fines tranſitu petito. Sarmatiæ inſuper Regi ſcriptum, ut e ſuis ditionibus frumentariam annonam coemendi Venetis negotiatoribus copiam faceret. Nihil denique prætermiſſum eſt, quo inſtanti non modo neceſſitati ſubveniretur, ſed in ſequentem quoque annum proſpiceretur. Navigia complura ex orientis occidentiſque regionibus ingenti publico impendio Venetias delata, moleſtia ac periculo civitatem levavere.

Famis incommodo afflicta Italia, extorrum graviſſima damna acceſſere, qui facinoroſos homines duces nacti, in Neapolitano regno, atque in pontificiis ditionibus, in agro præſertim Romano, atrociſſima ſcelera ac facinora perpetravere, omniſque avaritiæ & crudelitatis genere in habentes iter ſæviere. Nam licet Xyſtus peſſimum genus hominum peroſus ab eccleſiaſtico imperio exterminaſſet, ex Neapolitano regno penitus evelli non potuerat. Inde Marcus Sciarra, ejus colluvionis dux, una cum Baptiſtella ab Aratro, modo in Neapolitano regno efferatam rabiem effundebant, modo in Romanum agrum irrumpentes, ingentibus ærumnis mortales afficiebant. Ab Alphonſo Piccolomineo, Montis Martiani Comite, eorum audacia mirum in modum aucta, qui Gregorii XIII. pontificatu multis moleſtiis damniſque Eccleſiæ ſubjectos attriverat: cujus, uti maxime optabat, cum inſolentiam frangere Gregorius, & coercere nequiviſſet, in Franciſci Medicei, Hetruriæ Ducis, gratiam præterita ei delicta condonaverat. Is tunc aſſuetum vivendi genus repetens, ingenti terrore eccleſiaſticos fines repleverat; cumque anno ſuperiore in ditiones Venetas ſe contuliſſet, ita ibi urbe atque extra ſe geſſerat, ut Decemvirum decreto Reipublicæ finibus ſtatim exire, neque abſque eorum permiſſu regredi graviſſimis propoſitis pœnis, juberetur. Attamen, magiſtratus imperio neglecto, denuo cum armatis facinoroſiſque hominibus in ditiones Venetas illatus, vi, rapinis agere coepit, homicidia per-

Marcus Sciarra & Baptiſtella extorrum duces.

Alphonſi Piccolomini audacia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1590 perpetrare, tranquillitatem ſubjectorum interturbare, itineraque infeſta reddere. Quapropter a Decemvirum collegio perpetuo exilio, capitali pœna adjecta, eſt mulctatus: præmia iis, qui vel vivum traderent, vel intra fines interficerent, decem aureorum millia decreta: qui eum reciperent, comitarentur, negotia tractarent, pœna capitis ac perduellionis plecterentur; ædes eorum complanarentur; columna infamiæ teſtis, inſculptis literis, in area ſtatueretur; neque in eo ſolo amplius exædificaretur. Alphonſus in Picenum delatus, ſeptingentis equitibus coactis, aliiſque ſibi extorribus adjunctis, dum ob Xyſti V. obitum, de quo poſtea dicemus, comitia haberentur, magnas clades ei regioni intulit.

Decemvirum in Piccolomineum decretum.

Xyſti Pont. de rebus Gallicis hæſitatio.

Ceterum nullo magis Europæ Principum animi, quam Galliæ ſucceſſibus, diſtinebantur; cuncti in Pontificem verſi; qui adhuc cunctando, a rerum eventis pendebat, nullum conſilium ſatis tutum aut expeditum ratus, ſi fœderi accederet, atque palam vires ac theſauros ad Navarræ Regem opprimendum effunderet, verebatur; ne exulceratus illius aliorumque Principum animus præcipiti deſperatione collaberetur; ſi ſecus faceret, ne aliqua in parte religioni defuiſſe videretur. Sæpiuſque, ut erat admirabili & ſagaci ingenio, ſecum ipſe volutabat, proſperis fœderatorum ſucceſſibus, qui Philippi præſidio præſertim niterentur, tumidæ ac regnandi avidæ gentis potentiam adeo excreturam, ut inde timendum eſſet, ne, novis diſſidiorum cauſis exortis, communi chriſtiana reſpublica flagraret incendio. Interea Hiſpaniæ Rex non occulto, ut antea, ſed palam ſe fœderatis adjunxerat; viribus, pecunia, officiis Navarræ Regem oppugnabat; Pontificem, Olivarii legati opera uſus, incendebat. Literas quoque ad Venetos dederat, quibus egregia diſſimulatione in Bearnii Principis negotio (ita enim Regem Galliæ vocabant) Senatus prudentiam efferebat: hortabatur, Dei Optimi Maximi cultui, quieti ac tranquillitati Italiæ proſpiceret, quæ, hæreſi coinquinato in Gallia regnante, ingens periculum eſſet ſubitura: ſe in ea cauſa propugnanda, in qua de religione ageretur, omne ſtudium, vires, potentiam adhibiturum. Literas Franciſcus Verrius legatus oratione ſubſequutus, cum Senatus ſapientiam, conſiliorum gravitatem ampliſſimis verbis extuliſſet, tandem Meſſium Navarræi oratorem, quamprimum opportunum Patres cenſuerint, dimitti petit: id ſibi ab eorum pietate, religione, prudentia Philippum polliceri. Senatu conſulto de communicatis conſiliis gratiæ actæ; egregia pietas, eximiaque prudentia præclaris ſemper actionibus probata, magnis ornata laudibus.

Philippus Rex palam fœderatis ſe adjungit.

1590 *Franciſcus Verrius, Hiſpanus orator, a Venetis, ut Gallum oratorem dimittant, petit.*

Senatus reſponſum.

Meſſius orator in Hiſpanos invehitur.

Haud multos poſt dies Meſſius legatus, quæ in Gallia gererentur, expoſitis, in Hiſpanos acriter invehitur; quam juſte in Philippum atque in Sabaudum Rex exarſerit, exaggerat. *Carolum Salaſſios occupaſſe; armis Provinciam laceſſere; hoſtilia cuncta moliri: tot tantaſque injurias Regem diutius ferre non poſſe; arma in Sabaudum illaturum; nihilque eorum, quæ a ſe proficiſci poſſent, ad eum obterendum profligandumque omiſſurum. Eadem adverſus Philippum, qui fœderis patrocinium ſuſceperat, facere ſibi in animo eſſe: copiis Belgas adjuvare, Luſitanos atque* Tertias, *quas vocant, inſulas cum Anglorum claſſe adoriri; ſi, ſe occaſio tulerit, in Inſubres impetum facturum; ad ea amicorum fœderatorumque auxilia adhibiturum; ut tantam audaciam ac temeritatem obtunderet & reprimeret, adnixurum. An non ingens* (inquit) *atque intolerandum eſſe, tantum ſibi Hiſpanos arrogare, ut Regem, qui cum Eccleſia in gratiam redire cuperet, minime recipiendum contenderent? non religionem, non pietatem, ambitionem, faſtum, dominandi cupidinem, tot moliminum metas eſſe, quibus ſpecioſo ac plauſibili religionis nomine adumbratis, plerique penitius res humanas non perſpicientes deciperentur: Rege afflicto ac proſtrato, certo veluti gradu monarchiam peti: quocirca Senatum hortari, attentiſſime cuncta diſpiceret; Reipublicæ rationes a Rege ſejunctas eſſe non poſſe animadverteret: nunc opportunum tempus objici, quo tumidis adeo, in cunctorumque exitium vertentibus conſiliis & conatibus obviam iretur: parvo impendio fieri poſſe, quæ alias ingentibus viribus, immenſo fere auri acervo indiguiſſent: Reipublicæ decretum reliquos Italos Principes ſubſecuturos, qui taciti Senatus conſulta actionesque ſtudio exacteque obſervarent, utpote qui auctoritate atque imperio reliquos Italiæ Principes longo intervallo anteiret.*

Eodem tempore Philippi legatus Xyſtum qua ſuaſionibus,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1590 bus, qua arte, minis nonnunquam intermixtis, urgebat, eo consilio, ut, pacis atque concordiæ spe in Gallia præcisa, ita fœderi adhæreret, seque regiæ voluntati totum traderet, ut in posterum ei neque res integra, neque libera voluntas esset. Id ut assequeretur, Philippi nomine tria petebat: Lucemburgium Roma dimitteret; in Cardinales aliosque sacratos viros, qui Navarræi partes tuebantur, anathematis spiculum intorqueret; nullo unquam tempore ad regni successionem Navarræum admissurum sese obstringeret. Hæc privatim flagitabat; ni admitteret, publice Philippi Hispaniarum Regis nomine obnunciaturum, Christi causæ non deesse, immotum illi infixumque manere; quantum posset, copiis, quas in Italia habeat, ostensurum. His auditis excandescere Pontifex; exæstuare; vix sui compos esse. Attamen pro tempore impetu compresso, hunc in modum respondit: *Suum, non Regis esse, in causa religionis statuere; cui si immiscere se Rex velit, in hæresim lapsurum: non ejusmodi Philippi mentem esse, neque hæc ab eo proficisci, cujus pietatem perspectam & cognitam habeat, arbitrari; si a se legatus loqueretur, atque ita cum Pontifice ageret, id ingentis atque intolerandæ temeritatis esse.* Extemplo per urbem, ac mox per Italiam, quæ ab Olivario cum Pontifice acta sint, evulgantur, plerique Hispanos carpere, insuetum tractandi genus detestari, insolentiam gentis maledictis proscindere.

Hispanorum a Pont. petitiones, & obnuntiationes.

Xysti Pontif. responsum.

Messii oratoris cum Venetis officium.

Messius orator de legati obnuntiatione apud Principem ac Patres verba faciens, vim Hispanorum, qua Pontificem in ordinem redigere & cogere velint, edisserit. *Hæc* (inquit) *non ad Galliam sublevandam, sed deprimendam atque penitus exscindendam spectare: jam non amplius quo tendant, quidve moliantur, in dubium verti; cuncta jam patere: inusitatum, novum, inauditum, pessimo atque execrando in omnem posteritatem exemplo, in religionis causa Pontificem Maximum cogere, sacrosanctæ auctoritati privatas rationes anteferre: Senatum rogare, ne Pontificem gravi oppressum pondere collabi sinat; exagitatum illius animum fortiter erigat, eumque iis imbuere consiliis nitatur, quæ ad incolumitatem, non ad perniciem Galliæ & christianæ reipublice dirigantur.* Igitur & a Messio incitati, & præsentium rerum statu permoti Pa-

1590 Patres, Baduarium adire Xystum jubent; sapientiam, constantiam collaudare, quippe qui excelso animo, pontificiæ sedis auctoritate ac majestate dignissimo, reliquis posthabitis, ad commune bonum, veluti ad certam destinatamque metam, sua consilia actionesque collimaret; atque ex tot fluctibus, quibus prope obrueretur, christianam rempublicam in tutissimam stationem redigere conaretur; præsentibus malis non ferro, non cæde, sed tranquillitatis ac pacis artibus tantum obsisti posse, quæ in egregia illius prudentia, atque inconcussa constantia sitæ sint; jam in nobilissimo illo regno Apostolicæ Sedis auctoritatem ad occasum vergere: Britanniæ Germaniscque funesta exempla intueretur; rebusque nondum desperatis ac penitus prolapsis, remedia opportuna, non violenta adhiberet; neve sineret, ut præclaro illius pontificatu potentissimum regnum ab Ecclesiæ corpore abscinderetur: hæc propria Xysti esse; qui merito Dei Optimi Maximi vices obtineret; qui hucusque præclarissima orbi, prudentiæ ac justitiæ documenta dederit. Hisce officiis afflictum Xysti animum attollere Veneti adnitebantur.

Senatus mandata ad Baduarium oratorem.

At Hispanus orator nihil commotus, denuo Pontificem aggreditur; genu ante ejus pedes advolvitur; neque, quantumvis Xysto adnitente, assurgit: humi abjectum mandata Regis exponere velle se, inquit; quæ ad summam alia non erant, a superius narratis, uno tantum addito, ut Navarræi sectatores fautoresque fidelium cœtu summoveat; id ni faciat, Philippi nomine obnuntiare se velle confirmat. Tum Pontifex vix loco consistere; pressam jamdiu iracundiam amplius non cohibere, ac veluti rabie agi; obvertere humeros; aculeatis uti verbis: *Quid ad se spectaret, quidve deceret, optime nosse: Ecclesiæ auctoritatem sibi usurpare, Pontificem proculcare Philippum velle, dum religionis causam Apostolicæ Sedis propriam ad se traheret. An inde hanc sui tempore pontificatui notam pateretur? an ut memoriæ monumenti hæc traderentur, permitteret? non, si imperium, si opes, vitam denique ipsam effunderet.* Hæc, atque alia a Xysto irato enuntiabantur. Quoniam vero Olivarius palam se Pontifici in divi Pauli basilica obnuntiaturum jactabat, in ingenti totius urbis

Hispanus orator Pontif. obnuntiationem tentat.

Xysti Pontif. in Hispanos indignatio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1590 motu atque expectatione, Joannes Antonius Sorbellonus, Mediolanenſis, divi Georgii titulo Cardinalis, collegii, in quo de Galliæ rebus agebatur, princeps, Pontifici, ut in eo collegio quid præſenti rerum ſtatu opus facto eſſet, decerneretur, ſuaſit. Duo ac viginti Cardinales coram Xyſto vocantur; diverſæ ibi ſententiæ, non minus ob parium rationum momenta, quam ob varios præconſultorum affectus extitere. Petrus Dezza, gente Hiſpanus, Ptolemæus Gallius, Novocomenſis, ac Ludovicus Madrutius, qui Hiſpano favebant, ſecumque majorem collegii partem trahebant, ejus ſententiæ fuere: quo minus, uti ſibi libuiſſet, obnuntiaret, Hiſpanum oratorem impediri non poſſe, cum præſertim ea obnuntiatio ad Dei cultum, Eccleſiæ ſtatum, catholicæque religionis tuitionem ſpectaret. *Qua enim lege id prohiberetur? quid damni aut incommodi inde obventurum? an non, Hiſpano audito, matura conſultatione adhibita, quid e re eſſet, poſtea reſponderi poſſe?* Omnes fere aſſenſere; ſolus Dominicus Avalus Arragonius libere effatus, *nullo pacto, ut Hiſpanus publice obnuntiaret, permittendum*, inquit; *ea in re de Apoſtolicæ ſedis auctoritate ac dignitate agi; Philippo, qui inter ſacros Principes minime cenſeretur, in religionis cauſa nullum jus eſſe: id porro ſi admittatur, in exitium Galliæ regni caſurum; dum Navarræo Eccleſiæ hoſtibus penitus accedente, Galliæ ad priſtinum ſtatum amplitudinemque redigendæ ſpes omnis præcidetur? an non in poſterum perniciоſum fore, Pontifices, dum de religione tractaretur, aliorum Principum libidini inſervire? ab iis leges accipere? an non eccleſiaſticam auctoritatem penitus deprimi, ſi ea Reges ad ambitionem atque dominandi cupiditatem abutantur? itaque arbitrari, rem cunctatione extrahi: a Cajetano literas expectari oportere.*

Cardinalium conſultatio de Hiſpanorum obnuntiatione.

Purpuratorum auditis ſententiis, uti priori Xyſtus minime adſentiebatur, ita poſteriori accedebat, ut nullo pacto Philippum exaſperandum exiſtimaret: ſe quidem Galliæ legato ſcripſiſſe, ut tam cum fœderatis, quam cum iis, qui Navarræi partes ſequerentur, ex æquo ageret; ſumma dexteritate, lenitateque divulſas regni partes catholicæ religionis nexu copulare adniteretur; Lutetiaque ad tantam rem perficiendam ſuſpecta, alio concederet: nihil igitur certi, niſi primum quo loco

Xyſti ad Hiſpanos de rebus Gallicis reſponſum.

loco res eſſent, perſpecto, ſtatuendum; ſi ſecus faceret, regiæ ſtirpis Principes, atque alios, qui plurimum in Gallia auctoritate & opibus poſſent, a Navarræoque ſtarent, injuriam ſibi illatam ægre laturos; deſperatione adactos ad opprimendam catholicam religionem conventuros. Quod vero Hiſpano legato pollicitus ſit, in eos, qui Navarræo faveant, animadverſurum, eumdemque regni jure, ſi opus eſſet, ſpoliaturum; modo præproperum eſſe, neque abſque ſummo periculo confici poſſe: his itaque de cauſis diebus quindecim ſuperſedendum cenſere, quo, literis a legato acceptis, certius decerneretur. Duo interea a collegii Gallici Purpuratis exquirebat; alterum, an, obnuntiante Hiſpano, contra obnuntiari oporteret; alterum, cum in Eccleſiæ limitibus bis mille ac quingenti regii milites adeſſent, an delectus habendus, an obarmandæ pontificiæ ditiones forent. Re perpenſa, diſſuadentibus licet Cardinalibus, & obnuntiatione in Hiſpanum uti, & conſcribendos milites Xyſtus cenſuit. 1590

Xyſti de obnuntiatione, & de militibus conſcribendis decretum.

Dum hæc Romæ agitantur, Henricus in Neuſtria, qua armis qua obſidione, præcipua quædam oppida atque urbes capit; in iis Honflorium, civitatem portu inſignem; Meulantum a Maynio obſeſſum liberat, Druidum urbem circumſedit. Ibi, e Belgio ab Agamontio Duce ſubſidiis acceptis, Maynium, ut prælio decerneret, Sequanam trajecturum, nuntiatur. Eo audito, ab obſidione Rex digreſſus, Nonancurtium progreditur: poſtridie in Sancti Andreæ vico, quatuor a Nonancurtio leucis, qua via Jurium itur, milites in promptu eſſe jubet. Ibi hoſtes habere caſtra edoctus, in ampla planitie, quæ ultra vicum pertinet, exercitum explicat atque inſtruit, qui duobus ac quingentis equitum millibus, quatuor Gallicis, quinque Helvetiis peditum vexillis, nonnullis adjectis Rhætorum cohortibus, conſtabat: duodecim vero peditum, quatuor equitum millium fœderatorum copias erant. Ea die, Dura amne ab hoſtibus, Jurium prope, trajecto, minutis aliquot certaminibus non abſque eorum damno dimicatum. Nocte ſuperveniente, Regii in caſtra revertuntur; ſummo inſequentis diei mane, pari ratione inſtructa atque ordinata acie, copiam hoſti pugnandi faciunt: fœderati eodem ferme ordine ſeſe in conſpectum dedere. Pugnæ ſignum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1590 editur; regii primi in hoſtes tormenta haud exiguo detrimento contorquent; ingentium pilarum ejaculatione fœderati reſpondent : conſerta pugna, acerrime dimicatur. Rex ingenti victoria potitur : totus fere fœderatorum peditatus deletus, equites partim cæſi, partim in Dura amne demerſi; quadringenti in hoſtium poteſtatem vivi pervenere. Agamontius, Belgicorum auxiliorum ductor, interfectus; vexilla pleraque, quatuor ac viginti ſigna Helvetiorum capta, qui, inclinata victoria, Regi ſe dedidere.

Fractis eo prælio fœderatorum viribus, Rex Lutetiam contendit. Corbolium oppidum ad Sequanam, Lanium ad Matronam, ac Melodunum capit; Carantonum pontem urbi propinquum occupat. Namurſius, Maynio fratre abſente, Lutetiæ præerat. Vel Principum negligentia, vel privatorum ſocordia, in civitatem annona commeatuve minime invecto, obſidionem cum ferre Pariſienſes diu non poſſent, vehementi concionatorum dicendi vi ac ſuaſionibus ſuſtentabantur, qui frequentibus ad populum orationibus omnes prius quam hæretico (ut ajebant) ſeſe Principi ſubmitterent, extrema quæque pati hortabantur. Iiſque ita incenſa in Regem plebs efferebatur, ut ſupremas quaſque clades atque ærumnas obſeſſæ urbis potius ſubire, quam ejus imperio parere ſtatueret. Concionatorum eloquentiæ Sorbonici collegii auctoritatem adjungunt; duo exquirunt : alterum, *an Cardinali (quem Carolum decimum vocabant) extincto, Eccleſiæ reconciliatum Henricum Borbonium pro Rege Galli agnoſcere debeant*; alterum, *an qui pacem ſuadeat, vel pro facultate non impediat, ut hæreſis ſuſpectus, vel fautor ſit habendus : an Divina hæc lege præſcripta ſint; an abſque mortiferæ noxæ culpa, æternæque damnationis pœna permitti poſſint; an quacumque ratione Navarræo obſiſtere, merito adſcribendum ſit; an qui necem eam ob cauſam ſubierit, martyrii palmam aſſequatur*. His petitionibus jurejurando Sorbonici reſpondent : *Hæreſi infectum hominem, ac quicumque ei faverit, Eccleſiæve hoſtis fuerit, Divina lege a regno arceri; quanto magis denuo lapſum, atque ab Apoſtolica Sede anathemate damnatum, licet is delicti veniam in exteriori (ut ajunt) foro obtinuiſſet, cum præſertim ex ipſius ſimulatione, ac perfidia catholicæ religionis evertendæ periculum im-*

Prælium inter regios & fœderatos.

Henrici Regis de fœderatis victoria.

immineat : qui permiſerit auxilium, opem præſtiterit, in ſacras leges delinquere, hæreſis ſuſpectum, religioni infenſum haberi; in eum cujuſvis dignitatis, gradus ſit, animadverti poſſe : qui impediverint, obſtiterint, oppugnaverint, præclaros ſibi apud Deum hominesque meritorum cumulos comparare; ac jure illis æternas pœnas, hiſce perpetua gaudia, cæleſteſque ſedes deberi : qui ad ſanguinem uſque necemque pro religione, nullo perterriti metu, decertaverint, martyrii illos coronam manere. Pariſienſium confirmatis animis, crebræ eruptiones fiebant. Regii milites pugnam depoſcere; Rex magna ſpe fame urbis perdomandæ, eorum impetum cohibere : populus infracto animo eſſe; fœderis Principes in ſuſpectos ſedulo inquirere; ſi quis de pace & concordia verba haberet, ſtatim interfici, vel in Sequanam projici. Interea Maynius Alexandrum Parmenſem urgere, auxiliorumque ſpe Lutetiam alere. Erant in obſeſſa urbe Henricus Cajetanus, Cardinlis, Xyſti legatus; Bernardinus Mendozza, Philippi orator; Lutetiæ Lugdunique Archiepiſcopi; Sega Placentiæ, Franciſcus Panigarola Auguſtæ in Salaſſiis, & multi Galli Antiſtites; Rubertus inſuper Ballarminius, atque plerique ex Jeſu ſodalitate, qui ſupplicationibus, jejuniis, templa adeundo, in pauperes pecuniam erogando, Divinum Numen placare, propitiumque votis reddere nitebantur : plerique doctores, ſacerdotes, monachi arma induere aggreſſi, excubias agere, mœnia, foſſas, propugnacula tutari; nullos labores vigiliaſque exhorrere.

Fames interea cœpit aſſurgere; abſumpta frumenta ex commeatus; horrea viginti dierum ſpatio vacua fere [illegible]; qui in privatis ædibus annonam congeſſerant, parce victitare; reliqui omnium rerum neceſſitate premi, cuncti circa aditibus obſeptis, fluminibuſque Sequana, Matrona, Loyra interſis. Plebs ipſa præcipue ingenti malo afflictabatur, ut plerique aſſuetis cibariis deſtituti, immundis quibuſque [illegible]lium, canum, equorum, murium, omnique herbarum ac radicum genere veſcerentur : eoque in arctis rebus ægeſtas mortales adduxerat, ut contritis oſſibus, atque in pulverem redactis, veluti ex farina, panem conficerent, quo cibo complures pro vita mortem ſunt aſſecuti. Verumtamen adeo obdurueraut ani-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1590 animi, ut decimo octavo kal. julii Parisiensis Senatus jussu (quem a Guisiorum atque Hispanorum nutu agi constabat) edictum, necis pœna in eos, qui de concordia verba haberent, pronuntiaretur. Ceterum plebs natura insolens, momentoque, pelagi instar, modo tolli, modo deprimi assueta, ærumnarum jam pertæsa, magno concursu ac tumultu ad ædes publicas accedit, pacem petit. De eo plebis motu duces antea certiores facti, cum spe, tum leniſſimis verbis furentes sistunt. Per decem circiter dies tempestas compressa est: iis exactis, majori numero armati conveniunt, aut pacem aut panem efflagitant. Palatii fores magistratus jussu clauduntur; armati in carcerem truduntur; ex quibus, ad metum plebi incutiendum, bini statim laqueo appensi.

Parisiensis Senatus edictum contra eos, qui de concordia verba facerent.

Parisiensis plebis tumultus ad pacem petendam.

Eo eventu moniti fœderis principes, ac, ne populari procella cuncta perveterentur, præveniendum rati, cum primoribus civitatis de rerum præsentium statu consilia ineunt. Post varias sententias, nulla Sorbonici collegii, nulla nuper edicti habita ratione, ut Lutetiæ Lugdunique Archiepiscopi, pontificio legato permittente, ad Regem proficiscantur, deque concordia agitent, decernunt. Id antequam fiat, Panigarolæ, Bellarminii, Jesuitarumque collegii rectoris sententias legatus exquirit: *an si fame coacti Parisienses hæretico sese Principi dederint, anathematis sententiam subeant; an qui, ut ad priscam religionem convertant, Ecclesiæ catholicæ rationes tueantur, augeant, eum adierint, Xysti* V. *diplomate comprehendantur. Fieri hæc omnia tuto posse, nulla ex parte conscientia læsa*, decernunt. Tum Antistites Regem adeunt; quæ in mandatis habent, exponunt: *pacem totius regni, si Maynius adsentiatur, petunt; sin abnuat, cum Parisiensibus tantum concordiam efflagitant.* Tum Rex, *pugnantia secum dicere*, inquit, *dum pacem ab eo postulant, quem Navarræ tantum Regem agnoscere velint: cupere se quidem, ut qui maxime, pacem, qua afflictis populis succurrat; non tamen iis conditionibus placere: Lutetiam diligere; majora, modo ne Maynio, aut Hispano, sed sibi ipsi accepta ferant, concessurum: inique eos agere, qui, dum publicam pacem postulantes ad Maynium mittunt, Parisienses*

Parisiensium decretum de concordia cum Rege agitanda.

Henrici Regis responsum.

ses fame enecari sinant. Inde Hispanorum artes, fœderis principum execrandam perfidiam detestatur; quam inania eorum consilia sint, ostendit. Hispanici subsidii fama minime se moveri; irrito conatu Parmensem in Galliam venturum; majorem eam molem esse, quam ut Philippi nixu corruere possit. Tandem dierum octo inducias, ut interea de deditione, deque communi pace consultent, concedit. Delecti ad Maynium profecti, statim ad Regem remittuntur, ut nihil sibi pace optabilius esse renuntient; simul literas ad suos Lutetiam mittit: tueri urbem, neque ullas concordiæ leges accipere sibi constitutum esse. Nihil itaque ea congressione confectum: cum interea Henricus inutilem turbam Lutetia emitti, annonæ nonnihil importari sineret, clementia præduros animos flectere posse ratus. 1590

Inducia inter Regem & Parisienses.

Hæc circa Lutetiam gerebantur; Suessanus autem Dux, extra ordinem a Philippo legatus ad Pontificem missus, Romam pervenit: qui una cum Olivario, ordinario oratore, ad Xystum adit; exponit, *Hispaniarum Regem, cui nil antiquius christianæ reipublicæ bono sit, in hisce Galliæ tumultibus nihil aliud vel spectasse vel concupivisse, quam ut in amplissimo ac nobilissimo regno catholicus Rex constituatur; idque non minus Italiæ, quam totius reipublicæ christianæ utilitate: eadem quoque esse Pontifici consilia, minime sibi ambigendum videri, quippe qui religionis princeps, in ejus incrementum ac decus intendere debeat, neque pati, ut sue tempore deflendo exemplo florentissimum regnum, cum catholicæ religionis interitu, in hæreticum principem concedat: innumeras prope causas esse, quibus magno animi ardore & constantia ad partes Catholicorum in Gallia tuendas obstringatur; attamen suo muneri parum satisfecisse Philippum arbitrari, nisi hortetur, roget, auctoritatem a Deo Optimo Maximo sibi tributam ad commune bonum exerat, seque palam auctorem defensoremque fœderis profiteatur: quantum potentiæ, quantum virium in tot provinciis ac regnis possideat, collaturum.* Pontifex Regis egregiam voluntatem, præclara ad Dei cultum & communem fructum consilia extollit; pro religione una cum illo omni studio & conatu se enixurum. *Enim vero secum obnuntiationibus agi, vel quemquam tantos*

Suessanus Dux a Philippo ad Pontif. mittitur, & ejus officium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1590 *ſibi ſpiritus ſumere, ut quem abſolvat, quem damnet, edoceat, non paſsurum. Non hæc ad profanos Principes, ſed ad Apoſtolicam tantum Sedem ſpectare.*

Hæc primo alloquio. Mox ut ad catholicum in Gallia Regem ſtatuendum, cum Philippo in Navarræum fœdus percutiat, petunt. Xyſtus Julio Antonio Sanctorio, Sanctæ Severinæ Cardinali, atque Arragonio negotium committit. Cum iis legati agunt; leges fœderis proponunt: ut vigintiquinque peditum millia a Pontifice conſcribantur; earum copiarum Franciſcus Maria, Urbini Dux, imperator declaretur; auguſto menſe Rex peditum viginti, equitum tria millia in promptu habeat: Urbinas cum omnibus copiis in Galliam proficiſcatur. His ſcripto exaratis, Xyſtum ſubſcribere enixe legati flagitant; per eos dies valetudine licet affectum, quo cito res conficiatur, ſolicitant, urgent. Pontifex, licet eo uſque progreſſus, tamen adhuc hæſitare, in ancipiti verſari: quanti momenti cum Hiſpanis fœdus inire; quantum onus Eccleſiæ ditionibus impendeat; quam cito aurum in ærario ſummo labore ac ſtudio magnis Eccleſiæ neceſſitatibus, præſertim vero adverſus infideles, collectum, in auras abiturum, ſecum volutare; pleraque Hiſpanos magnificare, multa polliceri, verbiſque extollere, non re ipſa præſtare.

Xyſti pontificis hæſitatio.

Hiſpani fœdus contra Henricum Pontif. proponunt.

His Baduarii, Reipublicæ oratoris, quo cum omnia communicaverat, officia accedebant. *Cogitandum Pontifici vehementer*, ajebat, *ante quam ſeſe Hiſpano conjungeret, cui ſi ſemel adhæreat, non amplius pedem referendi, gradumque revocandi facultatem habiturum: ab aliis pendere, aliorumque ad nutum ſuas actiones dirigere, acerbum ac prædurum eſſe; provincias milite, ærarium pecunia exhauriendum: contra vero in neutram partem inclinando, ſalutem Galliæ afferri, priſtinoque decori, ingenti reipublicæ chriſtianæ atque Italiæ beneficio, regnum reſtitui tantum poſſe. Quis porro* (inquit) *ambigat, tutius eſſe fluctus modo ſublatos, modo ſubſidentes ſpectando, ex temporum conditionibus de graviſſimis rebus ſtatuere? Difficillima negotia, innumeris difficultatibus ac periculis implicita, ſæpius fortunam explicare: a Navarræ Rege ſtemmatis regii Principes, alioſque inſignes proceres Gallorum catholicos ſtare, quos*

quos veterum religionem deſerturos quis credat? Qui ſi alienatum ab iis Pontificem; Hiſpanis, cum quibus continentes inimicitias gerunt, conjunctum perſenſerint, verendum ſit, ne, exulceratis animis, deſperatione ducti, eidem religioni magno detrimento eſſe poſſint. Hæc in Xyſto non modo ambiguitatem alebant, ſed duriorem illum nonnunquam in legatos reddebant. Cur fœderi non ſubſcriberet, multa cauſatus, quæ a Rege de ſingulis conditionibus mandata habeant, inſpicere primum ſe velle, inquit. Legati Regis literas oſtendunt, quibus maximam in fœderatorum cauſa ſuſtinenda conſtantiam præſeferebat. Rationes ſuaſioneſque addunt; adjiciunt, Regem, Armoricam provinciam agnationis jure ad filiam ſpectantem, prævalida in id claſſe inſtructa, adoriri ſtatuiſſe: Catholico Rege in Gallia creato, dotis nomine nata deſponſa, tributurum: Navarræos vero Borbonioſque regni ob religionem minime capaces, quantum vi atque armis poſſet, inſequuturum. Verum ut fœderi ſubſcriberet, non ſuaſionibus, non prece, non rationibus Xyſtus adducebatur; atque ut cunctationi cauſas prætexeret, vel quod ita exiſtimaret, examinandum Purpuratis proponit: an, nemine regii ſanguinis exiſtente, jure regis electio ad Romanum Pontificem pertineat. Sacratis viris, Principibus, nobilitati, civitatibus ſcribere ſtatuit: Regem catholica religione imbutum eligant; ni id efficiant, ſe electurum: haud exigua ſpe ſublatus, voti compotem fieri, abſque Hiſpanico fœdere, ſe poſſe. Eodem tempore Meſſius orator proſperos Regis ſucceſſus Senatui nuntiat, propenſum in religionem Pontificemque illius animum ſignificat: vel ex Pontificis dexteritate & clementia Galliæ tranquillitatem pacemque oborituram, vel, ſi armis agendum ſit, cuncta humana Divinaque permixtum iri: Senatum rogare, quo ſtatu res Galliæ ſint, Pontificem edoceat; ſuadeat, parentis affectu Chriſtianiſſimum regnum complectatur.

Xyſti Pontificis ad Galliæ proceres literæ de Catholico Rege eligendo.

Inter hæc Xyſtus ab Hiſpanis impetitus, ingentique curarum æſtu fluctuans, levi correptus morbo, cum ſenſim animio ætatis ervore invaluit, graviſſimo pontificatus onere preſſus, ſexto kal. ſeptembris exceſſit; quo tempore Rex Lutetiam circumſidebat, Parmenſiſque e Belgio in Galliam ſeſe intulerat. Magno plerique mœrore ejus obitu affecti, quod eo potiſſimum tempore

Xyſti Pontif. obitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1590 pore ereptus fuiſſet, quo illius prudentia ac virtute maxime opus erat, ut pote qui ad res magnas natus, annorum quinque ſpatio, quo pontificatum geſſerat, multa præclara confeciſſet; ditiones eccleſiaſticas ab extorrum colluvione liberaſſet; ingentem auri vim coegiſſet; urbem egregiis ſubſtructionibus exornaſſet; Apoſtolicæ Sedis decus dignitatemque retinuiſſet. Summo ejus obitu dolore Veneti correpti, quod eum Pontificem amiſiſſent, cujus propenſam voluntatem, ac mirificam benevolentiam graviſſimis in rebus experti fuerant; qui omnia conſilia actioneſque Senatui communicaverat, ejuſque ſententiam arduis in negotiis exquiſiverat. Ei viventi cum populi Romani decreto, ad egregiam geſtorum ſuorum memoriam poſteris tranſmittendam, ſtatua in Capitolio erecta eſſet, eam Romani nobiles aliquot, cum popularium manu, quos fortaſſe Xyſti ſeveritas attigerat, magno tumultu dejicere ac proſternere ſunt conati. Re ad Purpuratorum collegium delata, ſtatim Columna Coneſtablius, Marius Sfortia miſſi, qui furentem multitudinem ſiſterent, neque optime merito Pontifici inuri eam notam permitterent: quod egregie præſtitere. Eo caſu populus Romanus permotus ſanxit, ne in poſterum viventi Pontifici ſtatuas excitare liceret; qui ſecus tentaſſent, variis pœnis propoſitis, plecterentur. Patres e Senatus conſulto literas ad Cardinalium collegium dedere, quibus & Xyſti obitum dolebant, & Purpuratos hortabantur, ut conſueta animi generoſitate & conſtantia turbulentis ac difficillimis temporibus in ſummo Pontifice creando uterentur: quæcumque ad ſacroſancti illius collegii ſecuritatem ac dignitatem ſpectarent, deferebant.

Populi Romani decretum de ſtatuis Pontifici viventi non erigendis.

Urbani VII. Pontif. electio.

Novendialibus exequiis habitis, Purpuratiſque quatuor ac quinquaginta coactis, omnium conſenſu, Joannes Baptiſta Caſtaneus decimoſeptimo kal. octobris Pontifex renuntiatus, Urbani ſeptimi nomen aſſumpſit: ſumma omnium approbatione ac lætitia ad eam dignitatem evectus, quod vitæ integritate, rerum uſu, ingenii dexteritate excelleret, atque nulli parti addictus, commune bonum, aliis poſthabitis, amplexurus cenſeretur. Senatus lætitiam auxit, quod, pro Gregorio XIII. legatione apud Rempublicam functus, omnium ordinum gratiam benevolentiamque ſibi conciliaverat. Quatuor ſtatim ad eum, qui gratulationis munus obirent, præcipui Senatores lecti, Jacobus Fu-

Fuſcarenus, Marinus Grimanus, Zacharias Contarenus, Leonardus Donatus. At poſtridie ejus diei, quo ſupremæ dignitatis limen Urbanus attigerat, lethali morbo correptus, inaugurationis ſtatim cæremoniis prætermiſſis, duodecimo ab inito pontificatu die, ſummo omnium mœrore eſt ſublatus. Inde nova comitia habita, quæ competitorum vel nixu vel gratia perplexa adeo extitere, ut duorum menſium lapſu nondum Patres conſentirent. 1590 *Legati Veneti ad Urbanum Pontificem. Urbani Pontificis obitus.*

Inter hæc Alexander, Parmæ Dux, e Belgio Lutetiam movet. Maynium Bruxellis digreſſum, cum cohortibuſque aliquot urbi appropinquantem, Rex cum equitum manu, ab exercitu divulſus, citato ac nunquam intermiſſo ſeptemdecim leucarum itinere, adoriturus contendit. Horæ momento præclaram gerendæ rei occaſionem Maynio Laudunum ingreſſo, intercepit; qui, ibi refecto milite, ad oppidum Meldenſe ſe contulit, prælioque decreturum ſe pronuntiavit. Rex, inſtructis copiis, eo uſque ſe intulit; verum ſitu inter duos amnes tuto atque opportuno Parmenſem Maynius præſtolabatur; quo adventante, denuo certamine indicto, ad Freneſium, ſex a Lutetia leucis, caſtra exitu auguſti menſis locat. Rex haud dubie ſe dimicaturum exiſtimans, quarto kal. ſeptembris Lutetia digreſſus, poſtridie milites in planitie, qua recta ad hoſtes tendebatur, adeſſe jubet. Kal. ſeptembris ſummo mane ordinata atque inſtructa acies, quæ peditibus decem atque octo millibus, partim Gallis partim peregrinis, ſex citer equitum millibus, in quibus nobiles quatuor mille cenſebantur, conſtabat. Parmenſis, exploratis regiis copiis, prælio abſtinendum ratus, perductis aggeribus, exercitum communit; minutis præliis laceſſitus, militem intra caſtra continet. Inde Lagnii oppidum, novem majoribus tormentis quaſſatum, vi capit, captum dirui juſſit. Cum Henricus nulla ratione ad pugnam elicere poſſet hoſtem, oppidis circa Lutetiam communitis, copiarum partem in Turones, Neuſtrios, Campanios, ac Burgundiones mittit; partem apud ſe retinet. Id conſilium a pleriſque improbabatur, quod Parmenſi campum, in quo excurrere poſſet, reliquiſſe videretur, cum intra paucos dies vel prælio decernere vel ſe ſe recipere commeatuum neceſſitate cogere potuiſſet. Verum quæ Regem in

Alexander Parmæ Dux exercitum Lutetiam verſus ducit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1590 in eam ſententiam impulerint, haud ſatis compertum eſt: illud conſtat, Parmenſem triumphi ſpecie Lutetiam ingreſſum, inſuetis lætitiæ ſignis exceptum. Obſidione ſoluta, Corbolium ad Sequanam circumſedit, & capit; in Lutetiam affatim commeatus atque annona omnis generis invecta. Sed Hiſpanorum ac Vallonum præſidium civitati imponere fruſtra conatus, cum fœderatorum Principum non modo, verum Pariſienſium quoque animos ab ea re averſos cognoviſſet, Parmenſis cum copiis Bruxellas revertitur. Henricus nullo negotio Corbolium aliaque parvi momenti oppida a Parmenſi occupata recipit. Eodem tempore Armorici, Tectoſages, ac Provinciæ populi, fœderatorum armis, vario eventu oppugnabantur. Carolus Sabaudiæ Dux, Hiſpanicis auxiliis fultus, in Provincia oppidis nonnullis captis, ad Aquas Sextias perhonorifice exceptus fuerat, totiuſque regionis gubernacula ſuſceperat, Arelatenſibus tantum ac Maſſilienſibus repugnantibus.

Alexander, Parmenſis Dux, Lutetium ingreditur.

Parmenſis Dux in Belgium revertitur.

Carolus Sabaudiæ Dux Provinciam invadit.

Magna interea omnes futuri Pontificis expectatione detinebantur, reſque qua privatis qua Principum rationibus extrahebatur; neque quidquam, Alexandro Peretto Montalto Cardinali diſſentiente, confici poterat; quod ex quatuor ac quinquaginta Purpuratis quatuor ac viginti ſibi obnoxios haberet; ad Pontificem vero creandum binæ ex tribus ſuffragiorum partes requiruntur; neque Gabrieli Paleotto, Bononienſi, in quem reliqui ob integritatem ac doctrinam conſenſurviderentur, quia parum amicus Xyſto patruo fuerat, adſentiiretur. At Hiſpani ſumma contentione nitebantur, ut ei ſuprema dignitas deferretur, qui Philippo gratus, fœderique adhæſurus videretur. Itaque ex toto Cardinalium collegio ſeptem pronuntiant, quos ad pontificatum, reliquis exceptis, Rex evehi cuperet: Ptolemæum Gallium Novocomenſem, Marcum Antonium Columnam, Gabrielem Paleottum, Ludovicum Madrucium, Joannem Antonium Facchinettum, Nicolaum Sfondratum, Antonium Sanctorium, ſanctæ Severinæ Cardinalem. Verum quod ſuis rationibus conducere Hiſpani opinabantur, id mirum in modum obfuit; eorum, qui prætermiſſi fuerant, accenſis vehementer animis, indignumque eſſe inclamantibus, Pontificis electionem, quæ Divi-

Divino impulſu fieret, profanos Principes ad ſe trahere. 1590
In ea comitiorum cunctatione Lucemburgius in Galliam reverti ſtatuit; literis antea ad Collegium miſſis, *ſe complura de Galliæ rebus cum Xyſto egiſſe; ab eo, ſi diutius vivere contigiſſet, aliquid ad regni ſtatum firmandum conficiendum fuiſſe. Urbani ſeptimi pedes exoſculatum; eo defuncto, cum ſucceſſoris electionem extrahi animadverteret, regredi in Galliam ſtatuiſſe: expenderent ipſi, quanti momenti res agatur, in qua commune reipublicæ chriſtianæ bonum, catholicæque religionis conſervatio verteretur.* Addebat, *in Pontifice creando, quod ad eccleſiaſticos pertineret, licet aliis adnitentibus, ſe immiſcere noluiſſe; quamvis, ſi id feciſſet, culpari merito non poſſe videretur, cum Galliæ Reges aliquando ſummos Pontifices eligere aſſueti, acceptum ab Eccleſia jus ei liberaliter reddidiſſent: Pontificem itaque nemini addictum crearent: ſi ſecus facerent, ne ab Apoſtolica Sede Gallicana Eccleſia ſejungeretur, periculum imminere: meminiſſent, ne Regem egregiis dotibus præcellentem, religione excepta, admirandum contemnerent, quem erroribus imbutum, in ſectaque ei adverſa innutritum veniam mereri, veritatemque edoceri æquum eſſet: Euangelicum paſtorem, ac mulierem illam quæ drachmam amiſerat, imitarentur; ad gregis dominici caulam errantem ovem ac deviam reducerent: id ſi negligant, ita Regem ipſum, & Gallos irritatum iri, ut in ingentes calamitates chriſtianam rempublicam atque Italiam ipſam caſuram merito pertimeſcendum ſit.* Hæc literarum ſumma. In itinere Lucemburgius Venetias acceſſit, quæque Romæ egerat, Senatui communicavit.

Pineti Ducis, Galliæ oratoris, Roma diſcedentis ad Cardinalium collegium literæ.

Verumtamen de ſumma dignitate adeo diverſis officiis & conatibus certabatur, ut, jam duobus elapſis menſibus, nondum quem exitum comitia habitura eſſent, facile divinari poſſet; tametſi crebris Principum efflagitationibus, ut tandem finem cunctationi imponerent, Cardinales monerentur; qua in re Senatus per literas perque oratorem nihil prætermittebat. Extorrum quoque damna acceſſerant; qui, dum, reliquis omiſſis, Romæ in eligendo Pontifice incumbitur, fœde in pontificiis ditionibus debacchabantur, in homines agroſque, Alphonſo Piccolomineo duce, ſæviebant; quibus malis

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1590 malis edicto tantum a Cardinalium collegio in exules, Piccolomineum ipsum ac sectatores prospiciebatur. Tandem Montaltus Cardinalis, ne Paleottus sibi invisus, cui duo tantum suffragia defuerant, Pontifex crearetur, veritus, in Sfondratum consensit; qui nonis decembris pontificatum adeptus, Gregorius decimusquartus nuncupari voluit. Quinquagesimumtertium tunc annum agebat; haud satis firmo corpore, ingenio suavi, at parum in magnis rebus agendis versato; in Philippum valde propensus, quippe qui Cremona ortus, fratrem inter intimos Philippi servitio addictos haberet. Prima juventa Cremonensem Episcopatum, ante Tridentinam Synodum, Caroli Cardinalis Borromei opera, cui perfamiliaris erat, a Pio Quarto Pontifice consequutus, summa pietate ac religione administraverat.

Gregorii XIIII. Pontificis electio.

Qua die inaugurabatur, Romanus Senator, antiquata quædam ac vetustate abolita jura exsuscitare est adnixus; ac reliquos otatores, Cæsareo excepto, præire velle significavit, quæ sub Urbano septimo Pontifice nuper defuncto inducta, ejus valetudine intermissa fuerant. Ejus rei cum *cæremoniarum* (ut ajunt) *Magister* Venetum oratorem monuisset, *displicere*, respondit, *commune reliquis oratoribus munus sibi impositum, ut omnium jura solus ac primus tueri cogeretur; quod, Galliæ legato, ob illius regni turbas, Hispano ob veterem cum Gallo controversiam, in publicum non prodeuntibus, proximus Cæsaris oratori incederet; at pro Reipublicæ dignitate, ac suo munere, ne quidquam novaretur curaturum: si secus fiat, minime inaugurationi adfuturum*. Sed, ut diximus, Urbani obitu, re intermissa, in Gregorii ad divi Laterani basilicam, in qua solemni ritu Pontifices accipere insignia solent, itinere, eminus Senatore, biniisque populi Romani consiliariis, ac vexilliferis conspectis, Baduarius subsistens, cæremoniarum Magistro inquit, si ei præponere Senatorem velint, abiturum. Cui ille, ita Pontificem statuisse, ait. Tum Baduarius, abeundi veniam se ab eo petiturum, respondet. Extemplo circumacto equo, ad se venientem Gregorius intuitus, ultro Senatorem dimitti jussit. Orator dignitatis atque existimationis publicæ retentæ haud vulgarem laudem tulit. Iidem, qui ad Urbanum,

num; ad Gregorium quoque a Senatu oratores designati. 1590

Veneti legati ad Gregorium Pontificem.

Vacuus hic annus maritimis excursionibus, & Uscochorum molestiis non fuit. Melitenses ac Hetrusci in orientis maria illati, prope Zacynthum, Cephalenem, & Cretam multas prædas egere. Ea cum Xysto V. Reipublicæ mutuique commercii causa valde displicerent, paucis ante obitum diebus, Religionis oratori præceperat, Magno Magistro scriberet, ne vicina Venetis ditionibus maria percurrere, neve in Veneta navigia inquirere sineret. Senatus de iis quæ acciderant, vehementer cum Ferdinando, Hetruriæ Duce, est conquestus; qui, ut in posterum divi Stephani Equites, quorum ipse princeps erat, a Venetis ditionibus abstinerent; neque molestiæ quidquam Reipublicæ rebus inferrent, curaturum pollicitus est. Anni exitu Uscochi circiter quadringenti mari delati, Miranum, vicum turcicæ ditionis, diripuere; Licæ præfecti fratrem captivum fecere. Ob id arctius Senniam, totiusque illius regionis oram ab Illyrici legato circumsideri decretum; navigia intercipi, incendi; iis, quæ in ea regione erant, triremibus coactis, prædones persequi, meritisque pœnis coerceri. Quæ eo diligentius curabantur, quod Byzantio asferebatur, de pace inter Persarum Regem atque Amurathem agi; hominem inter Persas principem Byzantium pervenisse, perhonorifice exceptum fuisse; mutuis obsidibus datis, inducias in decennium pactas. Eo bello ab Amurathe confecto, christiani Principes, atque ii præsertim, qui magno terræ marisque tractu Turcis finitimi erant, ut suis rebus prospicerent, monebantur. Itaque Veneti in Cretæ regno communiendo summum studium ponere, commeatus comparare, milites augere, Græcorum militiæ disciplinam prolapsam erigere, non cessabant; ad Cretæ, ac Cydoniæ militiæ ordines præfecti bini; in Rythimna alter, alter in Cythea adjecti; duo peditum millia conscribi latum; lustrata classis; militaria instituta, temporis cursu laxata, novis firmata legibus ac decretis fuere.

Miranum ab Uscochis direptum.

Ab

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

M. D. LXXXXI.

1591 AB his belli turcici ſuſpicionibus annus humani generis reparati M. D. LXXXXI. exordium ſumpſit. Jam Amurathes, Sinane Viſiro adnitente, pacem cum Perſarum Rege ſanxerat, qui nepotem, puerum ſeptimum vix annum agentem, concordiæ ſervandæ prædem Byzantium miſerat; verendumque videbatur, ſtipendio jam multis in Perſidem deſtinatis copiis perſoluto, ne duratam laboribus militiam diu torpeſcere ſineret. Huc Sinanis ſtimuli accedebant, qui non in longinquis remotiſque regionibus per deſerta atque invia ductandum exercitum, militiæque florem conſumendum; ſed in propinquas opportuniores ditioreſque provincias convertenda arma ſuadebat: nihil difficile copiis, quæ numero & viribus præſtarent, quæ victrices e Perſide reverterentur, futurum, His Amurathes permotus, barbaro faſtu ac ſuperbia literas ad Sarmatiæ Regem mittit, palamque petit, vel Ottomanis Regibus omnino adhæreat, eoſdem amicos hoſteſque habeat, vel annuum ei vectigal pendat; ni alterutrum deligat, bellum minatur. Statimque Græciæ Beglerbegum cum equitum haud exigua manu Danubium trajicere, atque in Siliſtriam progredi jubet. Sigiſmundus Rex ad hoſtium impetum excipiendum ſe comparat, copias colligit, ſubſidia undique conquirit, nuntios ad Pontificem alioſque Italiæ Principes, qui auxilia flagitent, mittit, Venetorum quoque opem implorat. Eique Senatus conſulto humaniſſimis verbis reſponſum; cum belli haud abſimili ſuſpicione Reſpublica vires omnes ad ſuas maritimas ditiones tuendas conferre cogatur, egregiam illius voluntatem ac propenſum in præſens ſtudium complectatur. Verum Sarmatiæ periculum Petrus Bogdaniæ Princeps diſcuſſit, qui ditiones ſuas inter Polonorum ac Turcarum fines poſſidens, belli incommodis utrimque patens, cum per Bartholomæum Brutum, Olchinienſem, olim apud Venetos turcicæ linguæ interpretem, concordiæ ineundæ ratione propoſita, junio menſe ſuperioris anni, pacis legibus adjici curaſſet, ut centum ſebellinarum pellium (ut ajunt) *tympanos* ſingulis annis Sarmatæ Amurathi pen-

Pax inter Turcas et Perſas.

Amurathes vectigalia a Polonis petit, Græciæ Beglerbegum in Siliſtriam mittit.

Polonorum, & Turcarum res Bogdaniæ Principis opera compoſitæ.

penderent. Oborta mox difficultate, annuo vectigali obſtrictos Polonos eſſe Turcis dicentibus; contra Polonis, annuæ tantum penſioni ſe obnoxios, contendentibus; protractum negotium eſt, non abſque ſuſpicione, ni majoribus curis implicatus Turca fuiſſet, ne tandem belli turbo in Sarmatiam ſeſe effunderet. 1591

Gallus & Anglus legati Turcas contra Hiſpanos concitant.

At Henrici Galliæ Regis, Anglæque Reginæ legati in Hiſpanos Amurathem incendebant; illorum nimium ſeſe efferentis potentiæ deprimendæ occaſionem adeſſe; Hiſpaniæ litora, Bæticæ præſertim & Luſitaniæ præſidiis nudata; Luſitanos nondum Antonii Regis oblitos, in omnem occaſionem ad Caſtullonenſium jugum excutiendum intentos; Hiſpanos vires omnes in Belgium & Galliam contuliſſe. Neque vero minori ſolicitudine Cæſar detinebatur: licet enim Cracovicium oratorem cum muneribus ad inducias renovandas, concordiæque leges pro Pannoniæ regno firmandas Byzantium miſiſſet; Sinanes tamen Hungariæ Baſſa ingentem incolarum manum in Croatiam immiſerat, quæ ferro, igne, direptione vicos aliquot depopulata, Caniſiam uſque, tutiſſimum ejus provinciæ propugnaculum, ſe intulerat; quibus Nadaſtius ac Sumaſchius, peditatu atque equitatu, quanto maxime poterant, coacto, obſtiterant. Harum rerum cauſas cum Turcæ in miniſtros rejicerent, querelas in Uſcochos addebant; terra marique innumera ab ea gente ſibi damna inferri; mercimonia diripi; Ottomano imperio ſubjectos, Adriaticum mare negotiorom cauſa percurrentes necari. Quapropter haec pius a ſuis Amurathes excitabatur; ut, in Perſide jam firmatis rebus, armis Cæſarem aggrederetur: cui ſententiæ inſitum in Ottomanis Regibus Viennæ potiundi deſiderium adſtipulabatur, quod ea civitas aditum ad Germaniam præberet. Hæ ſuſpicionum cauſæ Cæſari erant.

Croatia a Sinane Hungariæ Baſſa invaditur.

Venetias vero crebris Byzantio literis nuntiſque afferebatur, præpotentem claſſem Turcas emiſſuros; in navalibus ſedulo exædificandis vel ſarciendis navigiis tempus impendi; pecuniam colligi; nauticum panem aliaque ad claſſem inſtruendam, hippagines ad equos trajiciendos, tormenta ad muros dejiciendos comparari: ex quibus, ne Amurathes chriſtianorum Principum diſſidiis incitatus, tot apparatus in Reipublicæ maritimas ditiones effun-

Venetorum ſuſpiciones Turca-rum armit.

deret,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1591 deret, ambigendum videbatur; cum præsertim multa vigerent, quæ prætexi imperii cupidini perquam commode possent: Uscochorum injuriæ, Melitensium atque Hetruscorum maritimæ excursiones, qui nonnunquam, prædis abactis, prætoribus quamvis reluctantibus ac præfectis, in insulas Venetosque portus se conderent. His obviam ire Patres partim officiis partim vi adnixi, nuper, ut diximus, Illyrici legatum, classem, quæ in sinu Adriatico erat, omnesque provinciæ vires ad eam gentem obterendam adhibere præceperant. Quæ cum ad Hispanum ac Cesareum legatum perveniissent, ambo Principem Patresque adeunt. Cæsareus, *ob aucta Uscochorum facinora, summa molestia affici Rodulphum; nullo pacto hujuscemodi scelera inulta passurum, opportuna remedia adhibiturum*, constanti adseveratione testatur. Hispanus, *in mandatis a Rege se habere*, inquit, *ut Archiducum negotia, atque in primis quæ ad Caroli, superiore anno vita functi, uxorem viduam pertineant, sedulo curet; Austriacæ domus rationes ab ea sejunctas esse non posse; nihil adversus Græcii Archiduces agi, quin id ad Philippum attineat. Itaque hortari, rogare, ut ex Reipublicæ instituto, nil præpropere, sed salubri temperamento fiat; neque enim quæ maxime vellent, aut cuperent, Principes semper conficere posse.* Utrique legato respondetur. *Non ab alio, quam ab ipso Cæsare tot incommodis prospici Senatum expetivisse; in omnibus consultis, quæ complura ad eam hominum colluvionem vel reprimendam vel delendam facta fuerant, nihil de Reipublicæ in Cæsarem observantia imminutum: sed adeo tractu temporis mala excrevisse, ut intoleranda jam sint: superiore anno mari terraque in subjectos ac finitimos grassatum; Turcarum arma in Venetas ditiones provocata: mirandum non esse, si majora ad eam pestem avertendam remedia admovere Respublica cogeretur.* Eodem tempore quæ ante decreta fuerant, duo peditum millia quinque præfectorum ductu, quorum singuli quadringentos conscripserant, in Cretam missa: fuere ii Federicus Fulgosius, Alexander Pompejus Gazii Comes, Malatesta Martinengius, Mutius Portus, Marcus Antonius Sacramosius; qui medio aprili mense conscendentes vela dedere.

Cæsaris & Hispani Regis oratorum de Uscochorum rebus cum Venetis officia.

Senatus responsum.

Sed

1591 Sed novorum in Persíde motuum initia a maritimis rebus Amurathem avertere. Nam cum Mehemetes Persarum Rex, pace icta, Emirenzæ, Merizi minori nato filio, militari virtute conspicuo, primogeniti nato, ob ætatem nondum idoneo, regni gubernacula tradidisset; is injurias a Scythis, qui bello turcico Corazani provinciam Persis ademerant, ulturus, in Usbegum Regem arma moverat, Corazanumque recuperaverat. Quamobrem cum Amurathis auxilia a Scytharum Rege, quod ejus causa Persarum impetum sustineret, frustra efflagitarentur, parere necessitati coactus, Persarum Regis sorore connubio juncta, quæ bello turcico occupaverat, Persis restituerat. Inde Persa Scythæ junctus, cum Ferrathem Bassam, legato pecunia corrupto, paci, non uti in Casbino civitate convenerat, subscripsisse comperisset, ut nempe Taurisium, Genge, Servanum, & Carsium oppida Turcis cederent; civitates vero agri Taurisii præcipuæ Servanique Persis relinquerentur, rursus bellum ciere in Turcas statuit; coactisque equitum octoginta millium copiis, Persíde emensa, Casbino relicto, Ardovilum civitatem contendit. Ibi Amiranzane legato capite mulctato, fratre novas res moliente exusto, suspectisque aliquot interfectis, ad Jaferum Taurisii Bassam nuntium mittit: quæ ex pacis legibus teneretur, reddi sibi quam primum curet; reluctanti vim minatur. Jaferus cunctatione usus, rem in sua potestate non esse, Amurathem se de his omnibus certiorem facturum affirmat. Hæc majo mense Byzantium delata, mirum in modum Amurathem commovere, inopinatoque eventu interturbatis, quæ jamdiu de christianis Principibus invadendis meditabatur, consiliis, a maritimis apparatibus ad Persicas res denuo est traductus.

Persarum Rex regnum filio permittit.

Persæ Corazanum a Scytis recuperant.

Persæ contra Turcas arma movent.

Ita hoc anno belli turcici suspicio depulsa. Milites in Cretam missi variis ærumnis jactati sunt. Nam vix e Venetiarum portu solverant, cum exitiali dysenteriæ pustularumque morbo correpti plerique interiere. Præfectus Mutius Portus Corcyræ obiit: qui supererant, itineris longinquitate, ægritudine confecti, tandem in Cretam evasere, atque ad cohortes farciendas in supplementum conscripti sunt. Verum luctuosissimus hic annus ob pestilentiam Cretensibus fuit, quæ in Candida civitate e nautæ cujusdam domo erumpens,

Creta Pestilentia vexata.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1591 correptis Græcorum nonnullorum ædibus, inde in multas urbis regiones vel ignota vel neglecta promanavit. Nihil a magiſtratibus ad ingens ac lethale malum profligandum prætermiſſum; Hieronymo Capellio Duce, ac Philippo Paſchalico præfecto, nullo mortis metu perterritis, die noctuque pro publica ſalute excubantibus; decem e colonia patriciis procurandæ ſanitati præfectis, ut ſani ab ægris ſecernerentur, egentiumque neceſſitati ſubveniretur. Nam ejus mali exortu pleriſque nobilibus, atque laxioris fortunæ viris metu in pagos confugientibus, infima plebs, atque ii qui manuum opera victum quærunt, in urbe peſtilentiæ periculo fame vexabantur. Ea tabes ab oppidanis in milites transfuſa; qui licet ſtipendia publica mererent, omnium rerum in immenſum pretio aucto, inopiæ ac famis telis impetebantur. His calamitatibus ut ſubvenirent, quam maximam annonæ omnis generis copiam in urbem importari magiſtratus curabant; & quamquam Joannes Mocenicus, Marcius Procurator, Cretæque regni cum ſummo imperio legatus, ut præſto omnibus locis adeſſet, extra civitatem morabatur; tamen auctoritate, conſilio, imperio aderat. Neque inter illius coloniæ patricios, exiguam Benedictus Quirinus indefeſſi laboris liberalitatiſque laudem tulit. Laurentii quoque Viturii Archiepiſcopi religio ac pietas enituit, qui, & pecunia in egenos rogata, & crebris indictis ſupplicationibus, Divinum mortalibus conciliare numen adnitebatur. Ab exitu menſis aprilis uſque ad julii exordium peſtifera lues ſæviit, cum in ſingulos dies ducenti abſumerentur: inde miteſcere, remedia admittere, donec ſeptembris exitu, ſenſim impetu deferveſcente, tandem extingueretur. Sexdecim hominum millia partim in urbe, partim in agris feruntur extincta eſſe.

Peſtilentiæ moleſtiis, claſſis turcicæ ſuſpicio aliqua acceſſit, ob Perſici quidem belli metu exiguo numero Helleſponto egreſſæ, ſed quæ, vel exinanita urbe atque agris, vel Aſſani Cicalæ, qui tunc claſſi imperitabat, infenſo in Venetos animo, nequaquam contemnenda videbatur. Itaque Mocenicus legatus maritima loca portuſque communiit, Italo milite deficiente, Græcorum opera uſus, in Spinæ leonis arcem Horatium Longum, Neapolitanum, Cythei ac Hierapetriæ militiæ præfectum

Joannis Mocenici legati ſedulitas in Creta munienda.

fectum miſit. Ad Candidæ urbis cuſtodiam Cretenſes atque 1591
Epirotas equites propinqua litora obequitare juſſit. Ipſe julii menſis exitu cum paucis urbem ingreſſus (adhuc enim peſtis vigebat) ad eam tuendam neceſſaria imperavit. Haud paucos poſt dies cum Cicalam Byzantium iter habere nuntiaretur, dimiſſo equitatu, magiſtratibus in depellenda lue intentis, urbe egreditur; ſed rumore iterum de turcica claſſe ad Chariſtum inſulam Eubœæ propinquam coacta, diſſipato, quamvis anni ratio ſævis tunc tempeſtatibus mari agitari aſſueto, nihil Cicalam moturum ſuaderet: attamen, ut inſidiis obviam iretur, ſeverius in arcium cuſtodiam legatus incubuit, quarumdam commutatis, aliarum auctis præſidiis. Dominicum Cartularium, Florentinum, munitioni in Graboſiarum portu præteritis annis excitatæ præeſſe imperat. Sammartinum, Rithymnæ gubernatorem, in Amphimaleum portum ad Sudam munitiſſimam arcem defendendam mittit. Horatium Longum cum Hierapetrenſium militum manu Spinam leonis reverti jubet. Verum Cicala, autumno ſeneſcente, Byzantium regreſſo, ſuſpicio omnis diſcuſſa eſt.

His quæ in Creta contigere, frumenti inopia toti Italiæ communis acceſſit, quæ ſuperiori anno ob arctos proventus excitata, adeo hyeme atque vere inſequente invaluit, ut nulla exſors illius mali civitas extiterit. Romæ, quæ agri ubertate, Siciliæ propinquitate, ad annonæ ſubſidia excipienda perquam opportuna eſt, *rubium*, menſuræ genus, quod tribus e noſtris ſextariis conſtat, quinque ac triginta aureorum pretio veniit. Ac Pontifex quidem, ex remotis quoque regionibus ut frumenta inveherentur, curaverat; verum tandem induſtria deluſa, irritaque humana ope, ad preces ſupplicationeſque Dei ac Cælitum ſe convertit; cum tandem menſe majo a ſuis triremibus frumenti vi importata, aliqua in parte penuria, ex qua infimæ plebis multi perierant, deſævit. Venetiis quoque, eadem cæli malignitate recrudeſcente, egeni publica civitatis loca, vias, & compita lipem petendo obſederant. Sed tamen præterita ad tantam levandam Senatus decreta, homines in varias orbis terræ regiones miſſi, præmia inſtitoribus propoſita, a quibus nihil induſtriæ hoc anno prætermiſſum, urbi ſalute fuere; compluribus tum ab oriente,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1591 tum ab occidente frumento onuſtis navigiis confluentibus; inter quæ nonnulla ex Cedano ac Britannia perpetuo navigationis curſu, nulla regionis locorumque notitia, præter eam, quæ ex nauticis tabulis atque aſtrolabiis peti poterat, immenſo fere maris ſpatio peragrato, nunquam portu capto, in Adriaticum ſinum pervenere; in intimumque ejus receſſum delata, ignota illis æſtuaria invenere. Neque Turcarum ſubſidia deſiderata ſunt, qui ex ampliſſimis eorum regionibus frumenti vim in noſtra loca convehi non vetuere; Hieronymo Lippomano, Reipublicæ legato, procurante, ut ex inſulis, litoribuſque propinquis locis frumenta noſtris avehi liceret: quibus urbi non modo, ſed cunctis Reipublicæ ditionibus conſultum. Ea omnia in egenos publica ac privata liberalitas cumulavit, cum patricii, cives, ac negotiatores, quiſque in ſuis vicis infimæ plebis inopes alerent. His permoti Patres annonæ frumentariæ præfectos quantam maximam poſſent frumenti vim in publica horrea congerere Senatus conſulto juſſere; atque ut in poſterum publicæ affluentiæ conſuleretur, ſexaginta ſextarium millia ſeponi ad extremos inopiæ caſus decretum; octoginta millia in promptu eſſe, quæ in civitatis claſſiſque alendæ uſum ſuppeditata, continuatis temporibus renovarentur. Tantumque obnixum Senatus ſtudium, tantum magiſtratuum obſtinata induſtria potuit, ut civitas adeo populo referta a peregrinis, qui ex omnibus orbis partibus in eam confluunt, frequentata, abſque agris, arido ſolo, nihil proferre apto, annona omniumque rerum, quæ victui humano neceſſaria ſunt, non modo abundet, ſed ad delitias ipſas ac ſatietatem uſque ſuperfluat.

Navigia frumentis onuſta Venetiarum inopiam levant.

Hieronymi Lippomani, oratoris, opera Turcæ frumenta in ditiones Venetas advehi permittunt.

Senatus decretum de frumentis ad inopiam in poſterum levandam ſeponendis.

In hujus anni eventuum varietate merito quis Hieronymi Lippomani equitis caſum adnumeraverit, qui ex altiſſimo dignitatis gradu, urbanis magiſtratibus, atque apud cunctos fere Europæ Principes legationibus conſpicuus, momento dejectus, exemplum præbuit, quam fluxa atque ambigua ſine vitæ integritate animique puritate civibus patriæ decora ſint. Id uti acciderit, brevi complectar. Ex priſco Venetorum inſtituto ac legibus, terni ſingulis annis cives in Decemvirum collegio Quæſitores, ex Decemviris ipſis eliguntur, quorum munus eſt, ſedulo curare, ut Senatus decreta & conſilia ſilen-

Hieronymi Lippomani perduellionis crimen patefactum

lentio tegantur, atque in eos, qui aliquid, quod ad Rempublicam ſpectet, enunciaverint, communicaverintve, vel publico bono adverſum egerint, meditative fuerint, inquirere. Hi, primum inter ſe re agitata, ac veritate ipſa, quantum fieri poteſt, nudata, mox ad Decemviros referunt, qui ea, quæ juri, æquitati, rationibuſque publicis conveniunt, decernunt. Ad eos igitur cum perveniſſet, Lippomanum Senatus arcana, præmiis illectum, Principibus communicare, atque cum iis variis de rebus, quæ Reipublicæ officerent, agitare; re comperta, atque ad collegium relata, ut comprehenderetur, tulit; idque occulte adeo, ut ne minima quidem ejus decreti ſuſpicio emanarit. Quod ſane decretum Senatui patefactum, novum, inexpectatum, atque horrendum extitit. Id Princeps graviſſimis verbis Patribus ſignificavit, infandum crimen Lippomani deteſtatus, *qui per omnes Reipublicæ gradus, Senatus liberalitate & gratia ſublatus, tot beneficiorum oblitus, in patriam ingratus, illiuſque hoſtis effectus, multa in Rempublicam inique egiſſet, quæ vix animo concipi, nedum credi poſſint, Franciſcique Carmaniolæ perfidiam æquarent, vel potius ſuperarent. Quapropter, ne peſſimi facinoris exemplum inultum eſſet, jure actum, atque ut in vincula conjiceretur, Decemviros decreviſſe: Senatus proprium eſſe, qua ratione, qui tunc legatus Byzantii apud Amurathem erat, detineretur, cogitare, ac decernere.*

1591

Decemvirum decretum de Lippomani comprehenſione.

Hæc Principe effato, cum extemplo Præconſultores ſuccеſſiſſent, re pro tempore diſcuſſa, mittendum omnes Byzantium cenſebant, qui, ut Lippomanus Venetias perduceretur, curaret. At quo pacto id conficeretur, non una erat ſententia. Oratorem nonnullis mittere placebat, qui ſontem vinciri, Venetiaſque perduci ab Amurathe peteret. Verum contra adducebatur, de nova ad Turcarum Regem legatione præmonitum Lippomanum, vel ſceleris conſcientia tactum, ſaluti fugæ conſulturum, vel, ut erat ſolerti admodum ingenio, aliquid in novum legatum, cum primus ejus profectionis rumor Byzantium perveniſſet, molitarum. At Marcus Antonius Barbarus, turcicarum rerum (quippe qui difficillimo tempore eam legationem geſſerat) apprime gnarus, Senatorem, ſuppreſſo legati nomine, nobilis tituli mittendum arbitrabatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1591 *Laurentius Bernardus Byzantium mittitur.*

In eam ſententiam cum omnes conſenſiſſent, Senatus conſultum fit; lectus Laurentius Bernardus, vir præſtanti virtute, aliquot ante annis Byzantina legatione functus, cui, ut ſtatim ſe itineri committeret, Lippomanum quacumque ratione perducendum ad urbem curaret, juſſum. Media igitur hyeme maximis itineribus per ſemitas glacie ac nive obſitas in viam ſe dedit, Byzantium ſe contulit. Ejus Senatus conſulti notitiam ad Lippomanum perveniſſe conſtat; cui, vel ſeſe recipere, vel fuga incolumitati conſulere, Viſiri præſertim auctoritate, haud difficile fuerat: quod ille, vel uti periculi plenum, vel uti culpæ indicium neglexit. Itaque cum Bernardus Byzantium perveniſſet, ſtatim Galatam (modo *Peram* vocitatam) delatus, legati ædes ingreſſus, de Decemvirum eum decreto monet. Is in ſupremi concilii poteſtate futurum, ejuſque mandatis obtemperaturum reſpondet: ut inſumptæ in frumentis coemendis pecuniæ rationem ab ſe Patres repoſcerent, acciri Venetias arbitratus. Legato cuſtodia ſepto, extemplo ad Viſirum Bernardus proficiſcitur, literas fiduciarias Senatus exhibet, ſeque Byzantium miſſum, ut graviſſimas ob cauſas Lippomanum in poteſtate habere niteretur, ſignificat. Baſſa, ad quem de iis, quæ acta fuerant, rumor pervenerat, initio haud parum perturbatur; cum poſtea, quæ Decemviros ad id decretum impulerant, Reipublicæque in amicitia cum Amurathe ſervanda conſtantiam cognoviſſet, acquievit. Re confecta, iter mari habiturus Lippomanus, navigium conſcendit. Intrepido vultu, hilari facie, infractum animum toto fere itinere Lippomanus præſetulit: donec Jaderam delatus, a magiſtratu (nunquam ab ejus latere miniſtris diſcedentibus) exceptus, veriores ſui itineris cauſas agnovit. Inde mœſtitia corripi, labare animo, oris aſpectu immutato, cogitabundus ſubſiſtere, ac neſcio quid inſuetum meditari. At cum primo, eminus licet, urbem, in qua ortus atque altus erat, inſpexiſſet, ſummo mane veſte petita, tenuiſſimoque lineo tegmini, quo amictus erat, ſuperinducta, in triremis, qua vehebatur latus incumbens, miniſtrorum nemine advertente, veſte ipſa abjecta, magno ſe impetu in mare projecit, vel natandi agilitate, excurrente triremi, incolumem evadere, vel judicio atque infamiæ morte ipſa eximere ſe poſſe ratus. Eo inopinato caſu ſtupore defixis omnibus, atque

Hieronymus Lippomanus mari Venetias miſſus.

Hieronymus Lippomanus in mare ſe dejiciens, obiit.

iis

iis præſertim, quibus ejus cura concredita fuerat, complures ad eum capiendum in mare præcipites ruunt, ſemivivumque ad litus protrahunt; qui ſupremo momento, exili aliquo pietatis in Deum argumento edito, paulo poſt exceſſit. Is Hieronymi Lippomani vitæ exitus fuit, in quo criminum atrocitas anteactæ vitæ laudem, omniumque miſerationem extinxit. 1591

Verum neque fame, quæ in Italia deſævierat, neque belli turcici ſuſpicione Principum animi a rebus Gallicis abduci potuerant. Hiſpani, ſibi cuncta a nuper electo Pontifice polliciti, nullum officii genus prætermiſerant, quo fœderis ſe protectorem, Navarræique hoſtem palam profiteretur. Itaque tertio ab inauguratione die, quatuor e Purpuratis Galliæ rebus conſultandis præfecit, Ioannem Antonium Facchinettum, Scipionem Lancillottum, Julium Antonium Sanctorium, Henricum Cajetanum, qui nuper ex Gallica legatione redierat. In ſingulos menſes Pariſienſibus ad Lutetiam tuendam quindecim aureorum millia præbere; Marſilium Landrianum cum literis ad Eccleſiaſticos, regiæque ſtirpis Principes, nobiles, civitates, ſupremaque concilia, in Galliam mittere ſtatuit; ut ad Regem catholicum eligendum convenirent, hortari, ſuadere. Verum neque eo ſatis Hiſpanis fiebat: exiguam pecuniæ ſummam eſſe; non ita leniter agendum flagitare; urgere, ut regiæ agnationis Principes Galliæ regno excludantur. Poſtulatis Purpurati omnes Philippo addicti aperte favere; Pontificiſque animus, parum magnis tractandis rebus aſſuetus, parvo momento huc atque illuc impellebatur; omninoque ex aliorum conſiliis, qui ſæpius ſibi quam aliis conſulunt, pendere cogebatur. Itaque decem peditum, duo equitum millia in Galliam mittere; Crucis vexillo erecto, cunctos Principes in Navarrænum concitare; auctorem ſe ac ducem expeditionis nuncupare decrevit. Hæc in ſpeciem ingentia erant; verum multis adeo implicita atque obvoluta difficultatibus, ut ægre maturari ac perfici poſſent. Igitur denuo rem animo agitare cœpit, nova adhibita conſultatione expendere, Joannis Franciſci Mauroceni, Cardinalis, Gallicarum rerum ſcientiſſimi, mentem exquirere; priorique ſententia immutata, tum graviſſimis impenſis deterritus, tum juſto pontificiæ auctoritatis, ni obtemperaretur, deprimendæ, ac exulceratis Principum & no-

Cardinales conſultationi de Gallicis rebus a Pontifice præpoſiti.

Marſilius Landrianus in Galliam a Pontifice mittitur.

Gregorius Pontifex ſubſidia fœderatis decernit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1591 & nobilitatis animis, ne atrocioribus flammis Gallia involveretur, metu ad priora consilia revolutus, Landrianum Internuncium cum literis, sex millia Helvetiorum, mille equites mittere statuit. Landrianoque digresso, Porto a Maynii secretis, & Carolo Lotharingiæ Cardinali Romam supervenientibus, acriusque urgentibus, tandem Herculem Sfondratum, nepotem, quem antea Suburbii gubernatorem, custodiæque præfectum creaverat, ecclesiastici exercitus in Gallia imperatorem nuncupavit.

Hercules Sfondratus pontif. copiarum imperator.

Hæc in Italia gerebantur, cum Lutetiam denuo Rex circumsedit; Laodigherius, fœderatis e Delphinatu expulsis, Gratianopoli potitur; in Neustria Mompenserius Juliobonam occupat; Turenæ Vicecomes in Germania equites sub Christophori Hanaltini Principis imperio conscribit. Diversa ex parte Umalius eques frustra Sandionysium adortus repellitur. Rex oppidanorum periculum facturus, improviso Lutetiam aggreditur; magno ad divi Honorati portam populi concursu nihil actum. Hispani inde opportunitatem nacti, cohortes suæ gentis, ac Neapolitanorum aliquot in Lutetia ac Meldis imponunt; Parmensem brevi ad urbem liberandam de integro in Galliam venturum vulgant; propinqua Italiæ subsidia exaggerant. Sub id tempus Philippus, classe in Britanniam Armoricam missa, Balvetum portum munitissimum, ac situ inter Belgium ac Hispaniam ad oceani classes excipiendas bellumque administrandum opportunum, capit. Jura in ea provincia Isabellæ primogenitæ, ex Elisabetha Henrici tertii sorore susceptæ, ad quam ab Anna ea hereditas pervenerat, evulgat. Lanojus in ea provincia adversus Hispanos a Rege destinatur; ipse obsessum duobus mensibus Carnutum deditione recipit. Eam jacturam Maynius, Castroreali civitate per insidias una cum arce capta ac direpta, compensat; atque ad solicitanda Philippi subsidia in Hispaniam mittit.

Hispani Blavetum in Britannia Armorica capiunt.

Landrianus interea in Galliam pervenit; Placentiæ Cardinali legato Lutetiæ se adjunxit; binas a Pontifice literas detulit, alteras, quibus ecclesiasticos monet, ut ab Henrico Borbonio, quondam (ut ajebat) Navarræ Rege, ab ejusque sectatoribus, Principibus, proceribus, aliisque cujuscumque tandem ordinis ii sint, abstineant; proposita, ni quindecim dierum spatio obtemperaverint, anathematis pœna: alteras, quibus Principes, duces, aliosque proceres, qui Henrici partes sequebantur, nec non civitates, collegia, populos hortatur, a Navarræo recedant, alium in Gallia Regem, quam catholicum nolint; leniter cum iis agere voluisse, magna spe adductum, ejus expectationi ac desiderio cumulate responsuros; si secus faciant, invitum huic morbo acriora remedia adhibiturum; pro paterna benignitate judicis severitatem sumpturum; demum Helvetiorum auxilia, una cum equitum haud parva manu, missurum spondet. Ex iis literis mirum in modum Rex ac Principes irati fremere; notam, quam sibi inuri cernebant, pati nolle. Mensis iulii initio duo edicta in Mantala civitate promulgantur: altero Henrici tertii pacis decretum ad regni diffidia componenda, turbasque sedandas (iis abolitis, quæ annis M. D. LXXXV. & M. D. LXXXVIII. pro fœderatis sancita fuerant) confirmatur: altero Henrici constans animus, veteris religionis in Galliæ conservandæ jura libertatemque Gallicanæ ecclesiæ propugnandæ significatur. Ea edicta Cabillonum ad Parisiensem Senatum, quem Rex eo traduxerat, transmissa sunt. Ab eo regii procuratoris ab asserto (ut ajebant) Pontificis Internuntio, promulgatis diplomatibus, provocatio admissa; statuta, qua jure factum tueretur, die. Internuntio in jus vocato, atque absente, Henrici Cajetani legati diplomata, Landriani literæ, uti Gallicanæ ecclesiæ libertati adversæ, nullius roboris aut momenti esse pronuntiantur, flammisque tradi in foro jubentur. Landrianum, qui se Pontificis Internuntium jactaret, clam in Galliam absque permissu Regis ingressum, comprehensum Cabillonum in regios carceres trudi, atque extra ordinem in eum, tridui constituto spatio, animadverti decretum: qui magistratui traderet, decem librarum millia propositum præmium; qui hospitio excepissent, vel favissent, pœna capitis indicta: Archiepiscopis, Episcopis, atque aliis ecclesiasticis viris, ejusdem literas accipere, promulgare, pœna perduellionis vetitum: qui Galli Romæ consilium dedissent, diplomati subscripsissent, in Henricum tertium, Christianissimum & catholicum Regem, perpetratum parricidium comprobassent, sacras dignitates adimi: neu quis Romam, ob sacerdotiorum diplomata impetranda, argentum aurumve, donec Rex secus jussisset, ferret mitteretve, sanci-

Landrianus Pontificis literas in Galliam ad ecclesiasticos & proceres defert.

1591

Henrici decreta & eorum promulgatio.

Gallorum a pontificiis diplomatibus provocatio.

Gallorum edictum contra Landrianum Pontif. internuntium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1591 citum. Eodem edicto a Turonenſi Senatu promulgato; Gregorius XIIII. pacis & religionis Catholicæ, Apoſtolicæ, ac Romanæ jungendæ, Regis regnique hoſtis, Hiſpanicæ ſocietati adhærens, perduelliumque fautor, Henrici necis noxius declaratur.

Herculi Sfondrato, Montis Marciani Duci, vexillum imperatorium tribuitur.

At Pontifex Herculi Sfondrato, nepoti, Montis Martiani, parvi in Piceno oppidi, quod Alphonſo Piccolomineo extorri ademptum, fiſco adjudicatum fuerat, Duci creato, quarto idus maji imperatorium vexillum attribuit. Hieronymo Matthæucio, exercitus quæſtori, ducenta aureorum millia numeravit. Sfondratus Mediolanum, quo copiæ cogendæ erant, contendit; tempuſque tum ipſius valetudine, tum variis impedimentis, militum interim avaritia ac libidine in populos ſæviente, extrahebatur: cum tandem julii initio, ad Laudem Pompejam luſtrato equitatu, mille levioris armaturæ Petro Cajetano, præfecto; cataphractorum cohors, Sfondrato ipſo duce; viginti ſcloppettarii cuſtodes corporis adnumerati ſunt; peditatus novem agminibus diſtinctus ad Caſtellacium in Subalpinorum finibus; Helvetii ad Novaram ac Treccum recenſiti; bina Hiſpanorum peditum millia e Sicilia Genuam triremibus delata, inde in Inſubres ſupervenere: iis aliquot Italæ cohortes intermixtæ.

Mediolanenſium & Bergomatum de finibus controverſiæ.

His copiis in Reipublicæ finibus coactis, licet, quo dirigerentur, exploratum foret, attamen in urbibus atque oppidis limitaneis tuendis, ob exortas inter Mediolanenſes ac Bergomates finium controverſias, magiſtratuum cura intentior fuit. Nam cum a Mediolanenſi ſenatu in Abduæ amnis, quo Inſubres a Bergomatibus ſejunguntur, læva Venetæ ditionis ripa homines ad lapides excindendos miſſi fuiſſent, Aloyſius Priolus, Bergomi prætor, eos, uti publici juris violatores, gravi exilio mulctaverat. Regii Trecci oppidi circumjectæque regionis milites in promptu eſſe cum armis juſſerant, ut inde ex parvis initiis haud parvum incendium excitari poſſe videretur. Verum, re communi conſenſu agitata, Reipublicæ inſpectis juribus, Mediolanenſis ſenatus acquievit. Iis compoſitis, alia quoque in eadem regione ob terminos octennio ante ab Octaviano Valerio, Brixiæ prætore, atque a Pontonio Mediolanenſi ſenatore in Taigeti valle poſitos, a fini-

Mediolanenſium & Bergomatũ controverſiarum compoſitio.

Brixiæ arx a Venetis munitur.

finitimiſque ſublatos, exorta definita ſunt. Ceterum tem- 1591
porum conditione excitati Patres, ad Brixiæ arcem validius communiendam animum appulere; eamque novis munitionibus ac propugnaculis auctam, foſſis immenſo opere atque ſumptu in ſaxeo colle excavatis, inſignem reddidere: quæ cum undique in civitatem atque agros deſpectum habeat, hoſtilique verberationi minime pateat, inexpugnabilis habetur: ea omnia Julii Saorniani, muniendarum urbium peritiſſimi, conſilio confecta.

Pontificis copiæ in Galliam perveniunt

At, pontificiis copiis per Allobroges in Galliam contendentibus, in planitie prope Montis molini pontem, a Laodigherii ac Valettæ ſcloppettariorum equitum manu, tumultuarie abſque ſignis, prima impetita acie, leviori certamine pauliſper, parvo utrimque damno dimicatum: atroci mox tempeſtate, vehementi fragore ac vento concitato, in amne Hiſara, qui Delphinatum a Sabaudia diſterminat, ponte trajiciendo, complures pontificii milites demerſi. Inde Chamberio per Seguſios in Lotharingiam delati, Veroduni obvios Lotharingum atque Maynium habuere; a Rege tunc cum exercitu in Mediomatricibus Germanorum adventum præſtolante, ſubſiſtere coacti. Ibi autumni gravitate, inordinata militum victus ratione, brevi lethalibus in exercitu coortis morbis, pecuniæ multarumque rerum inopia afflicti, imminuto haud parum numero, in Galliam intimam pervenere. Sabaudus autem, cum Gratianopolis in Delphinatum Regi acceſſiſſet, atque haud parum a Laodigherii & Valettæ copiis fatigaretur; nihilo minus armis, quam ſtudio atque aſtu proferre ditionis ſuæ terminos adnixus, nobilis feminæ, quæ Lauti Comes erat, favore a Maſſilienſibus exceptus fuerat; qui ei, uti Provinciæ rectori atque imperatori ſacramentum dixere; ſtatimque binis Maſſiliæ conſulibus, binis ex Aquis Sextiis, totidem a Provincia electis deductus, qui libertatem, quousque novus in Gallia Rex eligeretur, tueri ſe velle profitebantur, in Hiſpaniam a Philippo auxilia poſtulatum contendit. Verum ſoceri humanitatem experto, ſpei ac votis reliqua minime reſpondere. Ac ſane quamvis in ſingulis fere Galliæ provinciis arma ferverent; attamen rerum ſumma in Regis animi vigore ac virtute ſita erat; qui nullis feſſus laboribus, nullis territus pe-

Lotharingus & Maynius Duces pontificiis ſe adjungunt.

Carolus Sabaudiæ Dux Maſſiliæ & Aquis Sextiis receptus. Tum in Hiſpaniam contendit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1591 periculis, assuetum tractandis armis corpus, gravissimisque curis animum assidua agitatione, modo oppugnationibus, modo obsidionibus, modo variis certaminum generibus exercebat. Noviodunum obsessum deditione receperat; mox, copiarum parte in Neustriam missa, Rothomagum aggressus, ni ab Hispanis succurreretur, eo potiri se posse; si subvenirent, prælio decernere sperabat. Eodem quoque tempore Lutetiam arctiori premi obsidione jubet, emunctaque e permissa commeatuum invectione ab oppidanis pecunia, militibus stipendia præbuit; dum Parmensis, Mansfeltio in Belgio relicto, cum quatuor peditum, trium equitum millibus, Italicarum cohortium ac Helvetiorum pontificiis subsidiis auctis, paucis itineribus anni exitu in Galliam iter haberet.

Parmensis Princeps denuo in Galliam ingreditur.

Alphonsus Ferrariæ Dux ducatus trãsmittendi facultatem a Pontif. habere nititur.

In Italia vero omnium Principum oculi in Alphonsum Ferrariæ Ducem conjiciebantur; qui ditiones absque liberis, eo defuncto, in Ecclesiam concessuras ad suæ gentis posteros transmittendi spe ductus, Romam profectus fuerat; ampliusque conditionibus propositis, voti compotem se fieri posse arbitrabatur. Nam Pii ac Xysti V. diplomata obstabant, quibus feuda, extinctis legitimis heredibus, nemini tribui, sed in pontificias ditiones referri cavebatur; ad eaque servanda Purpurati se jurejurando obstrinxerant. Verumtamen Gregorii Summi Pontificis necessitudine atque amicitia, multorum Cardinalium gratia, Principumque studiis nitebatur; Senatusque, enixe Ferrariensi flagitante, Joanni Mauro, Baduario oratori suffecto, ut omni officiorum genere ei faveret, eaque in re cunctos ingenii nervos intenderet, mandaverat. Alphonsum maxima pompa urbem ingressum Pontifex propriis ædibus, una cum comitatu exceptum, Helvetiorum custodia attributa, liberaliter habuit. Negotium septemdecim Cardinalibus examinandum dedit; quibus præceptum, expenderent, an Pii V. Pontificis Maximi diploma impedimento esset, quo minus Pontifex nondum ad Ecclesiam devolutum feudum, utilitatis ac necessitatis ratione, in alios transmittere valeret. Plerique Purpuratorum atque *Rotæ* (ut ajunt) *Auditorum*, id minime ordinario jure, sed tantum ex plenissima ac suprema facultate fieri posse affirmarunt. Quapropter ab aliqua ineunda ratione, qua satisfieri Duci posset, Gregorius non abhorrebat; multique ex Cardinalium col-

Senatus mandata ĕ. ad Joann Maurum apud Pontif. oratorem.

collegio, quorum sibi animos Alphonsus conciliaverat, acc e- 1591
debant. Sed cum tot suffragia, quot ad rem conficiendam necessaria erant, obtinere non posset, re infecta, Ferrariam redit. Pontifex vero curarum mole depressus, febre calculo que correptus, cum decem menses totidemque dies Ecclesiæ præfuisset, idibus octobris cum pontificatu vitam reliquit: sanctitate privataque virtute inter optimos Pontifices adnumerandus; at neque usu neque constantia tot gravissimis rebus, difficillimis temporibus par; ex quo multa ejus voluntati adversa, dum ex alienis consiliis pendere cogitur, accidere; parvoque mensium spatio, ex quinquagies centenis aureorum millibus, quæ in ærario Xystus congesserat, tricies absumpta sunt.

Gregorii XIV. Pontif. obitus.

Gregorio justis persolutis, cum sex ac quinquaginta Cardinales, studiis quamvis factionibusque diversi, ad Pontificem creandum convenissent, unanimi consensu, quarto kal. novembris Joannem Antonium Facchinettum, Bononiensem, sanctæ Mariæ in monte titulo Cardinalem, Pontificem dixere; Innocentiique noni nomen suscepit; religione, integritate, usuque rerum præstans; qui superiori bello turcico Venetam legationem magna virtute ac prudentia obierat. Ea sane, exacta ejus ætate, male affecta valetudine, parum firma censebantur. Quatuor de more ad eum oratores designati, Jacobus Fuscarenus, Marinus Grimanus, Leonardus Donatus, Marcii Procuratores, Albertus Baduarius, omnes equestris ordinis. Initio a se ipso, non ab aliis pendere professus, Galliæ fœderatorum patrocinium magna Hispanorum approbatione suscepit; illumque in Philippi voluntate omnino rebantur futurum, tum quod in ea obtinenda dignitate regium favorem expertus fuerat, tum quod Navarræ Regi valde infensus, ob religionem, esset. Cumque Parmensi quinquaginta aureorum millia singulis persolvenda mensibus statim pollicitus fuisset, ut pontificias copias, quæ tunc in Gallia erant, desereret, minime consentaneum arbitrabatur. At contra, qui affectibus non agebantur, Galli quin etiam catholicæ religionis, qui a Rege starent, non desperabant, fore ut vir tractandis magnis negotiis assuetus, doctrina atque vitæ integritate insignis, gesta Gregorii expendens, diu iis consiliis non insisteret, quæ immensa tantum spe, infirmis vero initiis niterentur. Jam enim ecclesiasticarum copiarum periculum fa-

Innocentii VIIII. Pontif. electio.

Veneti oratores ad Innocentium Pontificem. Innocentii de rebus Gallicis consilia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1591 factum fuerat; quæ si sæpius domi neque alios vincere, neque Pontifices ipsos tutari potuerant, quid modo in externa regione adversus bellicosissimam gentem, armis innutritam, per tot annos bellico labore ac sudore perfusam, sperandum foret? His omnis generis annonæ penuria tum Romæ tum in ecclesiasticis ditionibus addebatur, quæ Pontificem ad proprias res curandas solicitarent. Etsi enim quinquaginta aureorum millia in singulos menses pollicitus fuisset, ejusmodi tamen conditiones adjecerat, ut id ad Hispanos potius remorandos, quam ex animo ita statuisse videretur; cum aperte diceret, nisi prius Parmensi cum exercitu in Galliam ingresso, quod & ratione anni, & Belgi successibus difficile censebatur, ex arce argenti nihil amoturum. A Gregorio insuper, qui Borbonios omnes a regno excludebat, diversus, palam profitebatur, ad Regem ex Borbonia stirpe creandum, modo veteri religioni addictus esset, Gallos excitare velle. Ex his fiebat, ut hinc Hispani ingentia sibi pollicerentur; Galli autem prorsus non diffiderent; neutris addicti magna spe ducerentur, Innocentium, annis gran dævum, in humanis versatum rebus, aliquam afflictæ ac divulsæ christianæ reipublicæ conjungendæ rationem initurum; ut arma Christianorum cruore infecta, in communem hostem converterentur; cuius rei, dum Cardinalis esset, desiderio flagrare haud dubiis argumentis significaverat. Hæc initia novi pontificatus, hæ spes erant; cum Innocentius, ad Divinam afflictæ christianæ reipublicæ, ac præsertim Galliæ, opem implorandam, jubilæo indicto, septem Romæ basilicas pedes invisere voluit; itinerisque fagitatione, febris violentia octo dierum spatio victus, quarto kal. januarii occubuit, pontificatu per duos menses gesto.

Innocentius Pontifex obit.

Rivoalti Venetiarum pons lapide extructus:

Eo anno Rivoalti pontis substructio ad exitum est perducta, quem, cum antea ligneus esset, Senatus ex lapide anno M. D. LXXXVII. conficiendum statuit. Eo civitas magno canali in duas diducta partes connectitur. Monumentis publicis proditum est, Raynerio Zeno Principe, anno quinquagesimo secundo supra millesimum ducentesimum, cymbarum trajectu commeari incolas solitos; mox ligneum exædificatum, monetæ nomen sortitum; postea Rivoalti vocatum. Curatores dati Marcus Antonius Barbarus, Iacobus Fuscarenus, Equi-

Equites ac Procuratores, Aloysius Georgius, qui hoc anno 1591
eamdem dignitatem est adeptus, Antonio a Ponte architecto opus confectum: sexdecim pedes a soli superficie depressa fundamenta; in iis utrimque tigna decem pedum longitudine ad sex millia humo infixa; ingentia tabulata palmi crassitudine superposita; quæ, lapidibus in Istriæ montibus excisis eo numero, qui credi vix possit, superinjectis, ad eam molem sustinendam inconcussa atque immota prorsus extitere. Una tantum fornix inducta, tribus viis binisque tabernarum ordinibus distincta, quarum amplior medium, angustiores aliæ latera obtinuere.

M. D. LXXXXII.

ROmæ summo studio de sacro principatu inter Purpuratos 1592
concertabatur; atque eo acriori nixu, quod nemo inter competitores extaret, qui vel ætate, vel prudentia, vel usu rerum, vel Principum suffragatione reliquis anteiret. Verum in quem potissimum Philippus inclinaret, cuncti sedulo spectabant, quod ejus in Pontifice cooptando auctoritati Galliæ dissensionibus haud parum pondus accessisset, Cardinalium præsertim trepidis atque ambiguis animis, ne, si fœderatis adversarentur, in religionis despectæ notam incurrerent. Quapropter quinis ex septem, quorum jam duo, exiguo temporis spatio pontificatu gesto, excesserant, nuncupatis, Paleotto, Novocomensi, Severinate, Columna, Madrucio, reliquos Hispani excludebant; utque compotes voti fierent, qua prece, qua pollicitis, minis aliquando intermixtis, utebantur. Ad absentium quoque gratiam sibi conciliandam, Sueffanus Regis legatus per literas Franciscum Tolosam, Gallum Cardinalem, qui, turbata Gallia, Savonam in Liguribus se receperat, Romam evocavit.

Severinatem initio evehere adnituntur, vel quod magno animi ardore Gallicum negotium amplexurus videretur; vel quod vivido animi impetu, egregiaque virtutis opinione cæteris ad ampliſſimam dignitatem consequendam idoneum magis arbitrarentur; vel demum quod, Ferdinando Magno Hetruriæ Duce, ac Montalto Cardinali in eum consentientibus, facile id se af-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1592 *De eligendo Pontifice disceptationes.*

assecuturos crederent. Verum secundæ huic auræ Marcus Siticus, Altempsius, Sfondratus, Facchinettus, atque alii, Francisco Sfortia duce, reluctabantur; Regisque legato efflagitanti atque adnitenti nulla ratione suffragari Severinati se posse ajebant: suam dignitatem ac vitam agi, minime optandum sublimi illi solio impositum cernere, qui sanguine ac cæde pontificatum funestum redderet: si in Hispaniam literas misisset, in quemvis alium potius Regem consensurum. At ingenti adeo conatu ac rabie verius pro Severinate contendebant, ut, plerisque summa admiratione ac dolore tactis, boni omnes dicerent, si is, quem se haberi vellet, revera esset, imminentia pericula prospicientem, omne prorsus pontificatus adipiscendi studium Severinatem abjicere debuisse. Sed in summa omnium expectatione tanto in eum favore comitia inchoata sunt, ut palmam statim laturum plerique opinarentur; constansque in Cardinalium collegio opinio esset, cum primum in suffragia itum foret, extemplo renuntiatum iri. Hinc fiebat, ut, quo proprius adversarii periculum cernerent, eo majori vi afflantem ei fortunam intercipere conarentur. Nunquam illi suffragaturos palam affirmare: prædurum atque implacabile ingenium, præceps consilium, immotas sententias, obstinatas contentiones, quibus eo tempore Dei Ecclesiam administrare opportunum non esset, nullis ambitionem comprehensam terminis: ea dignitate impetrata, reliquos depressurum. Demum eo usque provehebantur, ut, si quis ad eum, de more, adorandum se contulisset, pectori manum admoturos, foresque ipsas infessuros dicerent. Precibus quidem obnuntiationibus que diu egerant. Haud parum tamen veriti, ne postridie ejus diei, quo Patres convenire solent, dum ex veteri instituto sacra fiunt, Divini Spiritus aura imploratur, cælestique pane Cardinales reficiuntur, repentina quadam ad genua provolutione Pontifex eligeretur; se a reliquis sejungunt, atque in Paulino sacello (decem ac septem numero erant, quorum dux Cardinalis Sfortia) rem Divinam faciunt. Insueto atque inaudito exemplo commoti omnium animi, eorumque præcipue, qui penitius inspicientes dissidiorum ac schismatum semina ali animadverterent. At quoniam quinque ac triginta in majori cœtu convenerant, qui duarum ex

ex tribus Collegii partium summam conficiebant, ambigendi locus non relinquebatur, quin, si ad adorationem ventum esset, Severinas Pontifex crearetur. Verum dum, sacris peractis, a senioribus initium fit, Ascanius Columna, Severinatis hostis, qui, ne patruo pontificatum petenti officeret, palam se ab aliis sejungere noluerat, fore ut aliquis prior referret pedem arbitratus, cum eo jam res redigeretur, ut haud dubie Severinas Pontifex fieret, repente altiori voce enuntians, Divino se impulsum Spiritu ei suffragari non posse; momento, reliquis contra nitentibus, sacello egressus, septemdecim se adjungit. Cunctorum ob id perturbatis animis, comitia tamen minime intermittuntur: ex quatuor ac triginta, viginti octo suffragia Severinas tulit; quibus cum duo accessissent, statim creatum esse Pontificem pronuntiant. Nec deerant, qui illico sterni fores, atque in divi Petri basilica de more sistendum atque adorandum censerent; ac, ni pauci, quibus commune bonum cordi erat, obstitissent, moderatisque consiliis fervidos animi impetus comprimere ac sedare adnixi fuissent, vehemens, neque facile extinguendum incendium exortum foret. Verum licet a promulgando Severinate abstinuissent, legitime tamen creatum ajebant. Idem ipse confirmabat; obtestabatur; decem atque octo, qui in suffragia non iverant, reliquos impedire nequivisse, quin æris campani pulsu de more ad comitia accederent; unicuique liberum atque integrum esse, ut electioni interesset; si qui privato affectu adesse nolint, dum sacrosanctæ leges serventur, aliorum auctoritatem infringere, aut labefactare non posse. Hæc palam a Severinate ejusque sectatoribus dicebantur; qui jurisconsultorum, rituum, cæremoniarumque Pontificum libros deposcunt, ut, quid jure decernatur, inspiciant. Contra alii, non privata ratione secessisse ajebant, sed quod (integra religione) studia, ambitum, artes adhibitas ferre non possent; suffragia minime libera; cuncta pollicitis minisque referta; in Severinatem binas collegii partes non consensisse; qui minori suffragiorum numero se Pontificem appellet, ejusdem factores, sectatoresque sacris Conciliis, Summorum Pontificum decretis fidelium communione amoveri. Severinas vero posthac, absque jurium suorum detrimento, comitia habenda dicere.

1592

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1592 In ea animorum perturbatione rei exitum dignoſcere haud facile erat; plerique præciſas Severinatis ſpes, licet adhuc alios ſuffragiis vinceret, arbitrabantur. Paleottus, dignitati par, acerrimum hoſtem Montaltum Cardinalem habebat; Marco Antonio Columnæ ſi ex animo Hiſpani faviſſent, Montalti neceſſitudine ad id faſtigium ampliſſimus aditus patuiſſet. At præteritis comitiis in ſpeciem tantum Hiſpani faverant; Aſcaniique nepotis factum multorum ab eo animos abalienaverat. Novocomenſis ac Madrucius ſupererant; quorum ille difficili atque ſevero ingenio, parum collegio gratus, a Ferdinando Magno Hetruriæ Duce excludebatur; hic Hiſpanorum induſtria propriaque virtute quamvis propior haberetur, neque difficile foret, Montaltum Paleotti timore haud refragaturum, id tamen obſtabat, quod a pleriſque inter Germanos cenſeretur, chiragraque vexaretur, quæ manuum illi uſum ademerat. Ex varia adeo, perplexaque comitiorum agitatione, aliquem præter eos, quos Hiſpani nuncupaverant, conſequi pontificatum poſſe videbatur. Ac Montaltus quempiam ex iis, quos Xyſtus in Cardinalium numerum retulerat, evehi maxime optabat; Hieronymoque Cardinali Ruvereo atque Hippolyto Aldobrandino ſuffragaturus. Ille parum Hiſpano amicus callide ambarum partium gratiam collegerat; hic a Montalto expetitus, Ferdinando gratus. Erant quoque, qui a feſſis tædioque affectis Purpuratis religioſæ familiæ aliquem provectum iri opinarentur. Qui vero inter reliquos præſtare videbantur, Auguſtinus Valerius, Veronæ Cardinalis; Antonius Maria Salviatus, ac Mondovinus. Ii a meta longius aberant: Valerio, quod patricia Venetorum nobilitate ortus; Salviato ac Mondovino, quod Gallis faverent, oberat.

In hoc animorum æſtu dum quiſque propriis rationibus & commodis inhiat, Senatus communi tantum totius reipublicæ chriſtianæ utilitati conſulendum exiſtimans, Joanni Mauro legato præceperat, ut Reipublicæ amicos Purpuratos, atque adeo ſacrum univerſum collegium rogaret, hortaretur, ut difficillimis temporibus in Pontifice deligendo nihil ſibi aliud, quam reipublicæ chriſtianæ, Italiæque incolumitatem ac decus proponerent. Tandem Hiſpanis qui ſtudebant, Severinate prætermiſſo, pro Madrucio enituntur; Montalto ſua-

ſuadent, ut ſuos illi fautores conciliet; quos adeo ab ea re 1592
alienos offendit, ut, eo in ſententia perſiſtente, in alia omnia ituros minarentur. Madrucii caſu Ruverii ſpes augebatur, ni tertiana ſenſim exitialis effecta pontificatum ei una cum vita ademiſſet. Inde Montalti factio tepeſcere; Purpurati, quod Madrucio faviſſet, ab eo palam alienari; Hiſpani quod ex animo ſuffragatus ei non fuiſſet, ſejungi: iis ſuſpicionibus, atque invidiæ ſtimulis Palæottus aſſurgere; in eum plerique, qui Montalto adhærebant, ut ex quinque, quos Hiſpani nuncupaverant, Pontifex fieret, conſentire; cunctaque agitante fortuna, proſtratæ Sanctæ Severinæ Cardinalis ſpes denuo erigi, cum brevi Franciſcum Jojeuſam, atque Andream Auſtrium Romam venturos ferretur; qui ſi ei acceſſiſſent, eodemmet ſibi ſuffragante, pontificatu potiturum haud ambiguum erat; ſin vero ad adorationem deſcenderetur, an idemmet numerum explere poſſet, haud ſatis conſtabat: fautores affirmabant, plerique inficias ibant: quæſiti libri, qui hac de re diſſererent, ut, quid lege ſtatueretur, pateſceret; neque interea Severinas a priori, quam tuebatur, electione diſcedebat. Ex tot diſſenſionibus ſuſpiciones, ex ſuſpicionibus ſimultates obortæ, ut rumor eſſet, octodecim Purpuratorum juſſu, ſecreto armatos in urbem induci. Ejus rei Virginius Urſinus monitus, ne Montalto ſororio, atque iis, qui Severinati adhærebant, deeſſet, milites & ipſe cogit.

In hoc humanarum paſſionum turbine præpotens Divina lux affulſit, quam ſummorum Pontificum electioni haud dubie adſtere credi par eſt; momento eorum diſſipatis conſiliis, qui pernicioſo ambitu ad eam dignitatem adipiſcendam anhelabant. Nam, Ruvereo defuncto; Severinate, ac aliis quamvis fruſtra nitentibus; cuncti in Salviatum & Aldobrandinum Hetruſcos convertebantur. Illum vero, uti Gallicæ factionis, cum Hiſpani palam averſarentur, ferunt, a Sueſſano per literas Madrucium petiiſſe, an, Aldobrandino ad pontificatum evecto, id Philippus æquo animo eſſet laturus: eo annuente; nondum ſupremæ potiundæ dignitatis ſiti extincto, nemini conſilium detexiſſe; at repente febri correptum, ipſe abjecta, lethi timore, ne, morbo ingraveſcente, in Salviatum Purpurati inclinarent, Montaltum convenisse. *Nolle ſe*, inquit, *Divino afflatui obſiſtere, ſed, ei ſi ita videatur, Aldobrandino* ſuf-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1592 *ſuffragaturum*. Itaque tandem, cunctis conſentientibus, tertio kal. februarii, primo apertis ſuffragiis, deinde adoratione Hippolytum Aldobrandinum Pontificem creavere, Hetruſcum genere, Romæ ortum, tertium ac quinquageſimum annum agentem, qui inſueta felicitate ſex annorum ſpatio e Rotæ Auditore Summus Pontifex eſt electus; a Xyſto V. in Purpuratorum numerum relatus; ab eodemque, Stephano Battoreo, Poloniæ Rege, defuncto, in Sarmatiam legatus. Clementis octavi nomine vocari voluit; quem cum Divino conſilio, non humano ambitu præter omnium ſpem ad pontificatum perductum conſtaret, ejus prudentia atque ingenii dexteritate ampliſſimi ordinis priſtinam libertatem excitatum, diſtracta chriſtianæ reipublicæ membra connexum iri, cuncti ſibi pollicebantur. Ad eum de more a Senatu, qui gratulationis munus obirent, oratores lecti, Marinus Grimanus, Leonardus Donatus, Equites ac Marcii Procuratores, Albertus Baduarius Eques, Zacharias Contarenus. Ante diſceſſum, Baduario defuncto, Federicus Sanutus ſuffectus. Quo tempore cum Romæ Joannes Maurus, ordinarius legatus, exceſſiſſet, ſucceſſor ei Paulus Paruta, qui tunc Brixiæ præfecturam gerebat, eſt datus.

Clementis VIII. Pont. electio.

Legati Veneti ad Clementem Pontif.

Paulus Paruta Mauro oratori defuncto ſuffectus.

Hoc anno majori conatu ad Uſcochos reprimendos Patres animum adjecerant, tum quod vel arctis ſtipendiis coacti, vel prædæ aviditate illecti, Senia egreſſi maria propinqua excurrerent; tum quod graviſſimis Turcarum querelis obviam eundum exiſtimabant, qui in Adriaticum mare penetraturos, Seniam, primaque loca adorituros minarentur; cum præſertim Byzantio afferretur, exortas in ſubſignanda pace cum Perſarum Rege controverſias compoſitas, concordiam cum Sarmatiæ Rege ſancitam. Quamobrem Amurathes, purpuratis, una cum Aſſane Cicala, claſſis præfecto, accerſitis, in ſuis hortis de nova expeditione habenda conſultaverat. Aſſanes vel Creticam vel Feſſenſem expeditionem proponebat. *Cretæ regnum immenſis Amurathis viribus impar eſſe: Venetos pacis cupidos; arces neque milite, neque commeatu munitas: pleraque addebat, quæ ab infenſo illius in Venetos animo potius profecta, quam veritati innixa, petulanti oſtentatione jactabat: centum tantummodo ac quinquaginta triremibus, oppignerato in id capite, debellaturum.* Inde ad Feſſenſem expedi-

Uſcochorum rapinæ a Venetis repreſſæ.

Turcarum de novis expeditionibus conſultationes.

ditionem tranſgreſſus, *centum triremibus Juliam Cæſaream petiturum pollicebatur; pulſum Mulei nepotem in regio ſolio poſiturum; in Africa Arachiam, ſummi momenti portum, occupaturum; gravia Hiſpaniæ damna illaturum, in cujus viſceribus Mauri alerentur, qui nihil aliud æque quam turcicæ claſſis conſpectum exoptarent: navigiis Gaditano freto obſeſſo, ampliſſima oceani commercia, ex quibus tot divitiæ Hiſpaniæ affluerent, perturbare atque avertere, ſimulque Angliæ Reginæ, quæ enixe claſſis egreſſum efflagitaret, Amurathem gratificari poſſe.* Hæc ab Aſſane maris præfecto adducebantur. Sinanes contra multis rationibus terreſtre potius bellum ſuadebat. *Jam quadraginta millium bellatorum, qui victores nuper e Perſide redierant, ſub Græciæ Beglerbego, quos in quamcumque partem ſibi viſum fuiſſet Amurathes impelleret, in promptu eſſe: nullum Pannonico bello vel facilitate vel utilitate anteferendum: exiguas hoſtium vires, Germaniæque diſſidiis infirmas; regiones uberrimas, prædivitibus opibus refertas; aditum inde ad Germaniam atque Italiam aperiri; ulciſcendas ſuorum cædes & clades in iis finibus acceptas: itaque cenſere, ut, tributo accepto, quod propediem expectabatur, mox omnes curas in bellum Pannonicum conferrent, eique vel in finibus excurſiones, vel Uſcochorum damna præexerent.* In eam ſententiam propendere Amurathes videbatur; ac jam eo anno haud dubia propinqui belli indicia in Croatiæ finibus aderant. 1592

His permotus Senatus, ſummo cum imperio legatum in Adriatico ſinu & Illyrico Hermolaum Theupolum creavit, a prima juventa rebus maritimis innutritum, acerrimum pira[illegible]rum hoſtem, Uſcochiſque metuendum, quos alias ſua virtute atque armis oppreſſerat. Ei acriora mandata dantur [illegible]obſidione eos premat, perſequatur, deleat; copiarum exſcenſione facta, loca, ubi fuga ſeſe receperint, prædas importaverint, adoriatur, oppugnet, ſolo æquet. In id expeditæ triremes, copiæque tributæ. Petro Comiti Gabucio Montalbotio præfecto, ut Italos pedites mille ſub quinque præfectis conſcriberet, juſſum. Is ſtatim Anconem profectus, per amicos, ſuæque factionis homines, quos in Piceno plures habebat, cum Marco Sciarra, Luca ejus fratre, ac Baptiſtella ab Aratro agit[illegible] ut cum quingentorum circiter pe-

Hermolaus Theupolus, legatus cum imper in Adriatico eligitur.

Marcus Sciarra & alii extorres ad Veneta ſtipendia adſcripti.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1592 peditum numero Venetis ſtipendiis accedant; gentem intrepidam, periculorum contemptricem, laboribus aſſuetam, ad Uſcochos in deviis ſaltibus, præruptis locis frangendos ac domandos valde opportunam ratus. Theupolo binæ triremes ad Sciarram militeſque excipiendos in Picenum mittuntur; quibus ad Civitatem novam appulſis, cum Brutiis, ubi tunc graſſabantur, digreſſi, eo ſe contuliſſet, ſcaphis ad triremes delati, in Illyricum trajiciunt.

Clementis Pont. ob Sciarrã a Venetis receptum indignatio.

Ea de re cum primum agitari Pontifex cognoviſſet, Tabernæ, Laudis Pompejæ Epiſcopo, apud Rempublicam legato, præceperat: Marcum Sciarram, quem nondum conductum arbitrabatur, dimitti a Senatu flagitaret; ſi ulterius negotium proveheretur, in militiamque Venetam adſcriberetur, rem integram non fore ratus. Clementis poſtulatis Senatus annuerat, literas, quibus dimitti Sciarram jubebat, ad Theupolum dederat. Verum eæ antequam perferrentur, jam milites conſcenderant, atque in Illiricum trajecerant. Eo cognito, Pontifex ira percitus, Laudenſi ſcribit, extorrum duces a Senatu ſibi tradi, in Petrum Comitem animadverti poſtulet. Cum Joanne Franciſco Marcheſino, Senatus ſcriba, qui a Joannis Mauri, legati, obitu, negotia Reipublicæ curabat, facinora conſceleratæ gentis exaggerat: exulibus claſſe Veneta exceptis, eos opprimendi ac delendi ablatam ſibi facultatem fuiſſe; grave vulnus inflictum, neglectam auctoritatem acriter conqueritur. Ea Pontificis perturbatione haud parum moleſtiæ Patribus accedebat, quod quæ acciderant, non voluntate, ſed caſu eveniſſe intelligerent; nunquam enim iis in mentem cadere potuiſſe, ut vel genus id hominum in militiam nomina daret, vel adſcripto adeo Clemens exaſperaretur, quem pontificatus initio, ne aliorum impulſu ſe a Republica alienaret, Hiſpanoque arctius adjungeret, verebantur. Verum, jam præfectis in militiam relatis, peditibus, pecunia perſoluta, neque publicæ fidei, quam ſemper inviolatam ſervaverant, deeſſe, neque innoxios plectere poterant. Itaque ſummo ſtudio ſedare Clementis animum adnitebantur: *de iis, quæ evenerant, dolere; injuſſu Senatus facta teſtari: ſi quid ea in re a miniſtris erratum, aut vi actum eſſet, vindicaturos affirmare: nunquam ſibi in animum inducere potuiſſe, ut, ea peſte a ſuis ditionibus amota, adeo exardeſceret, ac non potius ſumma cum voluptate perciperet, mo-*

Senatus Pont. animum lenire nititur.

1592 *momento abſque periculo, abſque impenſa, abſque ſanguine ea evulſa ſemina, quæ tanto temporis ſpatio ex pontificiis ditionibus evelli nequiverant: dedi duces, aut Petrum Comitem plecti abſque injuſtitiæ nota non poſſe; qua incolumi quid, ut ei Senatus gratificetur efficere poſſit, ipſe viderit; nihil ad publicum in eum obſequium teſtandum prætermiſſurum.* Sed Clemens Reipublicæ rationibus non acquiſcebat, iiſdem poſtulatis inſiſtebat. Ab iis, quibus vel ſuſpecta, vel parum grata Pontificiæ Sedis cum Republica amicitia ac conjunctio erat, impulſus, Tabernam tandem legatione abſcedere jubet. Is ad Principem ac Patres adiens, Pontifici illatam injuriam, qua major ab hoſte inferri non poſſet, exaggerat: *priſcis inter Sedem Apoſtolicam ac Venetos legibus, ne rebelles foveantur, prohiberi; ſi requiſiti fuerint, dedantur, caveri: a reliquis ſumma cum animi magnitudine egregie a Republica geſtis abhorrere, id facinoroſorum hominum genus ſanguine, cæde, rapinis imbutum, quod merito cuncti Principes odiſſent, ſuis ſtipendiis alere.* Demum, *ut Venetiis diſcedat, ſe in mandatis habere*, affirmat. Ei vero triduo adhuc in urbe commoranti Senatus conſulto reſponſum eſt: *Summa admiratione ac moleſtia, quod ita ſecum agatur, affici Senatum; parum id Reipublicæ in Apoſtolicam Sedem obſequio, parum in Clementem ipſum obſervantiæ reſpondere: quæ acciderint, inſcio ſe atque invito accidiſſe; Theupolo, ne Sciarram cum ſuis reciperet, juſſiſſe: in Illyricum trajectum, re non integra, quæ poſtulentur, fieri jure non poſſe: ſi qua vero, incolumi æquitate, præſtari queant, ultro ac prompto animo factum.*

Tabernæ nuncius a Veneta legatione a Pont. revocatur & ejuſdem in colle io oratio.

Senatus ad Tabernam nuncium reſponſum.

Deinde extra ordinem legatum Romam mittere, qui & Reipublicæ factum tueretur, & lenire Clementis animum niteretur, latum. Leonardo Donato, qui ſæpius in Romana legatione egregiam Reipublicæ operam navaverat, mandatus delatum. Is Romam cum perveniſſet, perhonorifice ſupra morem exceptus, Senatus mandata exequitur; nihil, quod vel a Reipublicæ jura ſuſtinenda vel ad mitigandum Clementis animum ſpectet, prætermittit. *Quæ in Marco Sciarra cum ſuis conducendo acciderint, inſcio Senatu, facta: tantum abeſſe ut earum ejus animo illabi potuiſſe, nunquam ſibi ſuaſiſſe: ſi, datis literis, quibus miſſio jubebatur, conſcenderant atque in Illyricum trajecerant,*

Leonardus Donatus orator, denuo Romã miſſus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1592 *cerant, quid faceret Senatus? quæ causa illi querelarum esset, si præter spem afflictæ per tot annos pontificiæ ditiones momento ærumnis & cladibus levatæ sint? si in Uscochos, haud absimilem ab iis gentem, ducantur, humani generis pestem, publicæ quietis inimicam, Turcarum in christianam rempublicam irritamentum? qui modo, ni huic malo obsistitur, classem in Adriaticum missuros minentur; id non Venetis modo ditionibus, at Piceno & Flaminiæ provinciæ grave atque intolerandum fore.* Clemens nequaquam Donati oratione permotus, *si quæ acciderant, Senatu invito*, inquit, *atque inscio, facta fuerant, ducum deditione patefaceret.* Donatus, *militare sacramentum, majorum instituta, publicam fidem, pessimum exemplum obstare*, respondet. Pontifex pacta cum Venetis ab antecessoribus adducere: Donatus vero initam M. D. XXVIIII. Bononiæ cum Clemente VII. & Carolo V. concordiam, qua Italiæ pax firmata fuerat, tantum vigere; at cuncta vincula Reipublicæ, in sanctissimam Sedem obsequium supergressum. His summa eloquentia atque gravitate mitigato parumper Clementis animo, exactius re discussa, quæ sua mens sit, significaturum; inde Mariano Perbenedicto, Camerti, Salviato, ac Montalto negotium committit. Acri contentione res acta, adeo ut nulla concordiæ ratio inveniretur, Clemensque per eosdem Purpuratos Donato significaret, ni Senatus extorres dedat, in patriam reverti posse. Ejus sententiæ suasorem Salviatum fuisse haud dubia conjectura extitit; qui enim in Gallos propensus, Hispanis parum gratus, melius suis rebus consulturum ratus, si studium Ibericum gratiamque colligeret; quatuor Clementi proposuisse ferebatur: *vel legatum dimitteret; vel Sacerdotum decumas adimeret; aut Hispanam classem in Adriaticum evocaret; vel tandem assueta Pontificum anathematis arma sumeret.* Nimium Salviati fervorem moderatiora Camertis ac Montalti consilia repressere. At legatus, Pontificis sententia cognita, admirari, acerbe conqueri, vetusta ac recentia in Apostolicam Sedem Venetorum merita commemorare: *Quid in re præsenti non actum? quid prætermissum? quod argumentum in sanctissimam Sedem reverentiæ illustrius, quam, Internuntio amoto, Senatorem omnes Reipublicæ gradus emensum ad se mitti? ac quidquid, salva dignitate, fieri posset, ultro deferre? non acriter adeo cum Principibus agendum, atque cum iis Principibus, qui, una cum imperio libertate, Dei benignitate, hausta, multa eademque præclara pro christiana republica conficere possint.* His magna dicendi vi a Donato enuntiatis, commoti haud parum Purpuratorum animi, se excusare, in voluntatem jussaque Pontificis cuncta rejicere.

At Patres Donati literis de his omnibus certiores facti, matura Præconsultorum agitatione præmissa, Senatu consulto, vel Sciarram cum suis dimissuros, vel in orientis insulas amandaturos, Clementis arbitrio pollicentur; quamvis dimissum, ne se Uscochis adjungeret, vel denuo in pontificias ditiones irrumpens, præteritis molestiis ærumnisque implicaret, timendum videretur. Neutrum Pontifici placebat; licet, priori mutata sententia, Petrum Comitem sibi tradi peteret; de reliquis postea deliberaturum affirmaret. Donatus, nunquam in id descensurum Senatum ajebat, ut militum præfectum, qui vel pace, vel bello summa fide Reipublicæ operam navaverat, vitam sæpius objecerat, vincula & carcerem in Tamassi oppugnatione perpessus fuerat, traderet; nihil igitur amplius sibi, quam in patriam reditum superesse. Tunc Purpurati solitas excusationes nectunt; cuncta ad Clementem relaturos affirmant: qui interea nonnihil de priori severitate remittere, mitioraque consilia animo excipere inceperat, Valerio præsertim ac Mauroceno Cardinalibus adnitentibus, qui in eo leniendo prudentiam omnem studiumque contulerant. Maurocenus præcipue, liberrimo atque fervido ingenio, hisce difficiis assurgentibus, enixe Pontificem rogaverat, ut, quæ acciderant, non secus atque evenerant, sibi subjiceret: *Reipublicæ ingenuitatem sinceritatemque elucere; aliqua fortunæ malignitati tribuenda esse: duas illum personas, Pontificis alteram, alteram Principis sustinere. Videret, ne nimium hanc tollendo, illam aliqua in parte deprimeret.*

Valerii & Mauroceni Cardinalitii studium in Pontifice mitigando.

Dum hæc Romæ aguntur, Theupolus legatus Sinniæ Fluminis, Vinadolique litora legens, navigationem prædones intercluserat, exitu interdixerat; ita ut in dies commeatu cunctisque ad victum necessariis magis premerentur. Turres quasdam, quibus tutus iis receptus erat, solo æquaverat; Serisam oppu-

Hermolai Theupoli contra Uscochos facinora.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1592 oppugnaverat, ceperat, præfecto necari jusso. Eoque ventum erat, ut universæ regioni imminens, cuncta ferro atque igni demessurus videretur; ni, quæ supervenere, temperatioribus utendum consiliis suasissent. Nam cum Turcas Vibizum oppidum oppugnare, atque usque ad Senniæ litora se illaturos nuntiaretur, Theupolo mandatum, ut in maria Ascrivio proxima se conferret, Turcarumque consilia actionesque exploraret, ut ex rerum eventu quæ magis expedirent consilia capi possent. Tuncque potissimum, quod alias observatum fuerat, compertum extitit, exiguis remediis vinci malum non posse, acrioribus eademmet vehementiora provocari; quod, Senia, aliisve ejus tractus oppidis a Turca occupatis, procul dubio accidisset: quocirca quo tempore arma tractabantur, eodem cum Cæsare de ea peste amovenda, licet pollicitis res nusquam responderint, agitabatur.

Amurathes Pannonicã expeditionẽ decernit.

Interea vero Amurathes, illorum, qui Pannonicam expeditionem suadebant, vincente sententia, arma in Cæsarem comparabat; jamque, Bizio capto, propinquæ regiones excursionibus afflictabantur. Quæ belli initia, christiana republica civilibus discordiis jactata, graviora censebantur. Ea solicitos Venetorum animos habebant, atque ut intentiori studio iis consulerent, quibus cum Amurathe pax perturbari posset, movebant: propinqua potentiorum arma semper suspecta; bellum turbinis instar, quaqua versus delatum, tandem quo minus putabatur decidere, variare fortunam, proxima quæque propinquum incendium corripere solitum. Hæc eadem secum reputanti Pontifici, Gallicoque Pannonici belli accessionem cogitanti, saniora consilia subire videbantur, cum præsertim hisce cum Republica dissidiis hostium communium viribus magna incrementa accessura meditaretur. Itaque diutius iis minime insistendum e re communi ratus, perhumaniter Donato in patriam abitu permisso, ut quacumqne ratione controversiis finis imponeretur, curabat. Tandemque Senatu consulto latum, ut milites in Cretam mitterentur, Petrusque Gabucius in Cytheram insulam proficisceretur, arci communiendæ operam daturus. Ea ratione dissensiones, quæ per multos menses Senatum defatigaverant, compositæ. Theupolo legato injunctum, ut Marcum Sciarram ejusque milites in Cretam devehi curaret, superiore anno pestilentia in ea insula absum-

Senatus decretum, Sciarra in Cretam & Petri Comitis in Cytheram mittendi.

Res cum Pontifice composita.

absumptis supplemento futuros. Sed homines prædæ rapinisque assueti, justitiæ exortes, ægre tantum maris spatium emensuri, occulto de Arbensis insulæ, cui præsidio missi fuerant, direptione, deque in Picenum trajectu agitabant. Neque adeo tegi consilium potuit, quin de eo nonnihil, licet obscure, ad legatum perveniret; qui, an ita se res haberet, ut certius exploraret, acrius discessum, adhibitis Petri Comitis adhortationibus, urgebat. Sed cum hæc surdis auribus dicerentur, cunctationique varios colores inducerent, certior de eorum consiliis Theupolus factus, præveniendum ratus, prævalidam militum manum exscendere classe jubet; oppidanos plerosque cogit, in perduelles impetum facit. Ii impares numero, cum obsistere non possent, legato se dedidere. Sciarra ac Baptistella sese in aversam insulæ partem recipientes, in oppositum litus trajecere. Qui in Theupoli manus pervenere, meritis sunt pœnis affecti; sexdecim reste suspensi, viginti undis demersi, centum triremibus addicti. Sciarra cum quatuor e suis prope Asculum in Picenum delato, atque a Baptistella socio interfecto, ea hominum colluvies deleta est. 1592

Hermolaus Theupolus in Sciarræ milites impetum facit.

Marcus Sciarra a Baptistella in Piceno interficitur.

Pontifex gravioribus negotiis intentus, Episcopum Viterbiensem in Galliam misit, qui fractos sociorum animos erigeret, subsidia pecuniamque præsertim polliceretur: ea potius, quam milite juvandos fœderatos ratus, quod belli turcici initiis alio vocatus, neque suis ditionibus, neque Italiæ conducere, ut hoc tempore copiis nudaretur, existimaret. Interea parvis itineribus Parmensis, ut Rothomago succurreret, in Neustriam contendit; edictum, quo necis pœna Navarræi fautoribus ac sectatoribus proponebatur, pronunciavit; fœderis jusjurandum anni M. D. LXXXVIII. II. kal. februarii denuo promulgari jussit. Villarsius, Rothomagi præfectus, suspectos urbe ejicit, tormenta disponit, commeatus invehit, crebris eruptionibus in regios hyeme, morbis, victusque penuria laborare incipientes impetum facit. Obsessi Maynii ac Parmensis spe sustentantur, quibus 13. kalend. aprilis propius ad urbem accedentibus, minoris certaminibus dimicatur. Parmensi vero prælium detrectante, a Rege nobilitas dimissa: reliqua martii, major aprilis pars levioribus pugnis

Viterbiensis Episcopus in Galliam a Pontifice mittitur.

Parmensis Dux in Neustriam contendit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1592 gnis abſumpta; cum tandem Maynius, Guiſius, ac Parmenſis Rothomagum ingrediuntur; eadem die fœderati Cardebeccum propinquum oppidum deditione recipiunt. Henricus cum in Rothomagum commeatus minime invectos intelligeret, ad Arcus pontem traducto exercitu, ex propinquis urbibus præſidiis evocatis, copiiſque auctis, primam hoſtium aciem aggreſſus, pleroſque cædit, impedimentiſque exuit. Eadem fortunæ felicitate paucos poſt dies denuo fœderatos graviori clade afflixit. Lutetiam Parmenſis iter intendit, atque ingenti exercitus jactura, pontificiis, quas Hercules Sfondratus ductabat, copiis diſſipatis ac deletis, in Arteſiam proficiſcitur.

Parmenſis Dux cum fœderatis Rothomagum ingreditur.

Henricus Rex fœderatorum copiis cladem infert.

Parmenſis Dux in Belgium regretur.

At Guiſii, aliique fœderis anteſignani, improſperis eventis nequaquam territi, de cogendis pro Rege eligendo comitiis agunt. Erant, qui Philippi majorem natu filiam Reginam dici, atque connubio alicui ex ſociis Principibus jungendam in vulgus diſſiparent. Id alii improbabant: ac jam bellorum laboribus defeſſa plebs animos ad pacem flectebat, calamitatibusque tandem modum imponi exoptabat; cum adhuc belli incendium pleraſque provincias depopularetur. In Tectoſagis Jojeuſæ, in Armorica Mercurii Duces dimicabant; Nemoroſius, Lugduno occupato, Viennam per inſidias ceperat; Hiſpani Bajonam aſtu intercipere fruſtra conati fuerant. Inter hæc rumor de novo Rege creando augetur; diplomate a Placentiæ Cardinali, pontificio legato, promulgato, quo ad cogenda pro novo pronuntiando Rege comitia Galli excitabantur. Cabilonenſis Senatus gravi edicto fœderatorum artes aperit, deteſtatur, qui externorum Principum ope, religionis obtentu, miſerrime Galliam diſcerpant, regni fundamenta, quæ potiſſimum legitimæ Regum ſucceſſioni nitantur, evertere conentur: extrema quæque ſubire, vitam quoque ipſam profundere potius, quam eam violari legem ſinant, in qua publica tranquillitas collocata ſit, Gallos hortatur Regii procuratoris provocationem a pontificio diplomate admittit, legatum in jus vocari jubet: ne quis ipſum diploma promulget, recipiat; eove in perduellibus fovendis, civitates, oppida (ſi quæ ad Galliæ Regem eligendum deſignentur) adeundo utatur, vetat; nobilibus amittendæ nobilitatis

Fœderatorum conſilium de novo Rege eligendo.

Senatus Pariſienſis Cabiloni coacti decretum contra fœderatos.

tis, perpetuæ infamiæ, quæ ad poſteros tranſmitteretur, eccleſiaſticis viris ſacerdotiorum amiſſionis, cunctis læſæ majeſtatis pœnis, veniæ ſpe adempta, propoſitis: civitatibus illorum, qui ad ejuſmodi comitia convenirent, receptu interdictum; ſi quæ excepiſſent, ſolo æquari decretum. Fœderati interea undique a ſociis urbibus delectos Lutetiam adcerſunt; Principibus ſummo ſtudio atque ambitu inter ſe de ampliſſimo honoris titulo certantibus. Ea in animorum ſuſpenſione dum Parmenſis tertio in Galliam adventus expectatur, ejus obitu interceptæ ingentes fœderatorum ſpes fuere. Ejus exceſſu Maynius plurimum ſibi auctoritatis acceſſiſſe ratus, vehementius cœpta perſequitur, natalitiorum profeſto die Cabillonenſe decretum publice cremari jubet, comitiaque ſequenti anno in xviij. kal. februarii indicit. 1592

Alexandri Parmæ Ducis obitus.

M. D. LXXXXIII.

AT diverſa ex parte in Pannoniæ finibus Amurathis arma magno populorum metu provehebantur: hinc Turcæ copiarum numero ac fortitudine, reliquis bellis pace compoſitis, prævalidi; inde impares Cæſaris vires, inteſtinis Germaniæ debilitatæ diſſidiis. Sæpe jumentorum prædæ, hominum captivitates, agrorum direptiones exaudiebantur; terreſtribuſque maritimas vires acceſſuras conſtanti fama ferebatur. Horum motuum expectatione Italia omnis detinebatur, Venetique maritimorum non modo apparatuum rumore ſollicitabantur, verum etiam terreſtri imperio proſpiciendum cenſebant, patente ex Carnis non modo in Venetas ditiones, ſed in Italiæ quoque viſcera aditu; cum adhuc in publicis monumentis cladium ab ea parte a Turcis illatarum memoria extaret. Nam Mehemetes, Byzantio occupato, Boſſnæ Rege, quem *Deſpotum* vocitabant, capto atque interfecto, Peloponneſo Reipublicæ adempto, cum Italicam expeditionem meditaretur, Aſnarbejum per Croatiam cum octo equitum millibus in Carnos miſerat; qui, nullo obſiſtente, cuncta igne ac ferro demetiens, in Utinenſem agrum penetrans, captivis prædaque onuſtus diſceſſerat. Ea re Veneti permoti ad Sontium amnem binas munitiones extruxerant ac Folianicum 1593

Turcarum veteres incurſiones in Forumjulium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1593 cum jam tunc erexere, quarum posterior haud multo post destructa, prior bello Cameracensi amissa est. Hanc Turcarum, de qua diximus, in Carnos excursionem altera M. CCCC. LXXVII. excepit, Hieronymo Novello, Veronensi, Venetorum imperatore, cum trium peditum millibus atque haud exiguo equitatu a Scandero Turcarum præfecto in insidias petracto ac deleto; qui victoria insolens, multis incursionibus in penitiora Forijulii factis, de Venetorum terra marique apparatuum fama permotus, biduo post Italia abscessit. Tunc a Senatu Joannes Haimus Eques, Zacharias Barbarus, Dominicus Georgius, Candianus Bollanus in Carnos missi sunt, ut, qua ratione Turcis obsistendum esset, disquirerent: qui unanimi consensu Gradiscas tantum fossis, aggeribus, propugnaculis, armis, militum præsidio muniendas censuere. Biennio post tertio aditum in Carnos Turcæ meditati, Caroli Montonii, Venetorum præfecti, virtute repulsi sunt. Anno demum M. CCCC. LXXXXVIIII. Ludovicus Sfortia Insubribus ab Aloysio duodecimo Aurelianensi, Galliæ Rege, pulsus, cum in Germaniam ad Maximiliani Cæsaris opem confugisset, ad Bajazerem quoque Turcarum Imperatorem, qui tunc bellum cum Venetis gerebat, Ambrosium Buciardum & Martinum Casatum legatos misit, qui illum in Rempublicam incitarent, & in Carnos elicerent. Peditum duodecim millia iis in locis missurum pollicitus Bajazetes, Scandero eam provinciam detulit, qui, ad Sontium, haud longe a Gradiscis, positis castris, quo loco nostri Caroli Ursini imperatoris, Andreæque Zancani legati ductu hostem præstolabantur, pugnæ periculum veritus, diverso itinere usque ad Taliaventi ripas se intulit; quaque vadari poterat, amne trajecto, usque ad Liquetiam progressus, incensis villis, agrisque vastatis, cum in reditu ad Taliaventum, quod imbribus valde excreverat, pervenisset, copiarum Reipublicæ metu, mille ac quingentis (ut ferunt) captivis truncato capite, magno jumentorum numero ad fluminis rapidum cursum, qua illi transeundum erat, sistendum, infra supraque posito, transgressus, ulteriorem regionem fœde depopulatus, abiit. Decem millia hominum absumpta fuisse tunc ferebatur; multoque graviora accidissent, ni Græci atque Epirotæ, impetu repres-

represso, complures hostium cæde & captivitate affecissent. 1593
Exinde nulla alia a Turcis in Carnos impressio facta.

Verum harum cladium memoria stimulabat animos, ac præsens rerum status Patres, ut eam regionem hostium injuriis expositam communirent, monebat; eoque magis quod veterum annales repetendo, efferas gentes hinc amplum ad Italiam invadendam aditum habuisse, Romanosque ad barbarorum arcendos impetus peramplam nobilissimamque Aquilejæ civitatem condidisse, constaret; quæ cum diu pro munimento Italiæ stetisset, ab Hunnis tandem capta ac diruta, perviam regionem iis, qui Italiam ingredi vellent, reliquit. Vetera hæc erant. At novi rerum eventus id vehementius suadere videbantur, quod Italico bello, Gradiscis amissis, citra Sontium ditionis Venetæ major pars contineretur. Itaque superioribus annis, dum finium controversiæ inter Venetos atque Austriacos agitarentur, ut Sontius terminus inter utrosque esset, Senatus flagitaverat, eo consilio, ut amni propinqua loca communita pro muro Forojulio essent. At frustra re tentata, id supererat, ut quacumque ratione ad latissimam eam regionem tutandam nihil prætermitteretur. Quocirca sæpius præfecti, viri vel militari scientia præstantes, vel muniendorum locorum scientissimi, a Senatu in Carnos speculatum missi fuerant; dissidentibusque sententiis tempus extractum. Modo in Pannoniam & Croatiam Turcarum illatis armis, amplius cunctandum non videbatur. Itaque anni initio re discussa, rationibus ac sententiis expensis, id tantum supererat, ut de ea ad Senatum referretur. Plerisque placebat, Carnorum provinciæ situ diligenter animadverso, opportuno loco munitissimam arcem excitari, quæ ad hostium impetum sustinendum idonea pro Italiæ muro esset. Alii, minori licet numero, tantam rem aggredi e republica minime esse censebant: immensos sumptus, arduum opus, ambiguos exitus, spei impares successus objiciebant. prioris sententiæ omnes præconsultores erant, in quam dum Senatus secretum fieri proponunt, contra e Senatorum numero unus ita disseruit.

Si, quemadmodum eorum, qui ad Carnos tutandos egregiam munitionem ædificandam existimant, quam in Italiam *Oratio de Palma non ædificanda.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1593 venientibus aditum obstruat, summis laudibus videtur excipienda sententia; ita etiam paribus rationibus niteretur, ut facile excitari, defendi, hostiumque impetus ab Italia avertere arx posset: tot præstantissimorum Senatorum sententiæ, qui, matura consultatione adhibita, decretum hoc ad Senatum retulere, minime adversarer. At cum ejusmodi consilium, quo magis plausibile ac speciosum, eo majoribus implicitum difficultatibus animadvertam, cohibere me nequeo, quin ea, quæ sentio, libere enunciem. Nam valde vereor, ne, dum Carnorum securitati consulimus, eam non modo provinciam, verum terrestre totum imperium in manifesta pericula conjiciamus; dumque novam arcem pro nostrarum ditionum tuitione molimur, potentissimi hostis in nos vires eliciamus; qui, si alias in has regiones aliquo incolarum damno cum penetrasset, sese recipere ac referre pedem est coactus, si modo hac, quam meditamur, munitione casu aliquo potitus fuerit, quis ambigat, inde illum exturbare ac pellere difficillimum atque arduum fore? Sed ut cominus ad rem accedam, adversus quos novam hanc arcem exciture in animo est? An eam christianis Principibus objicimus? minime vero: cum omnibus namque amicitiam ex majorum instituto Respublica colit; atque cum iis præsertim, qui Carnis finitimi sunt. An Turcis? horum sane si incursus tantum pertimescimus, cur certo sumptu, incerta spe ingentem hanc molem erigere volumus? Si, ne cunctis conatibus Italiam aggrediantur, veremur, quis dubitet cunctos Europæ, ne dum Italiæ, Principes ad eam propugnandam terrestribus copiis classibusque conventuros; hostem vel præventuros vel aversuros, quo multis in locis distentus, sejunctis copiis, debilior atque infirmior fiat? Tunc profecto montium aditus, amnium trajectus occupandi erunt; quod sane tutius mihi videtur, quam hostem domo excipere, atque cum eo in propria regione dimicare. Qui si, nemorum impedimentis, montium angustiis, amnium aquis superatis, ordinato atque instructo potentissimo exercitu, novam hanc arcem vel circumsidere vel expugnare sibi in animum induxerit, an non verendum erit, ne infinito prope suorum numero septus, aggeribus, fossis, propugnaculis munitus, immanium tormentorum ejacu-

ejaculatione mœnia sternendo, fossas (nisi materia supersit) 1593
neglecti gregis numero replendo, aditu sibi patefacto, tandem obstinatione propugnatorum constantiam vincat? At dicent: non tantum arcem sufficere, verum exercitu quoque opus esse. Tunc illud mihi exposcendum videtur, par ne is, an minor hostili sit futurus? Parem certe non fore exploratum est: minorem qua ratione hosti objectabimus? An, in supplementum præsidiariis militibus adjunctis, arcem nudabimus? An dispares numero ac bellico apparatu aleam certaminis subibimus? At, arce ab hoste occupata, quo loco res nostræ erunt? Ubi terrestrium ditionum, ubi istius civitatis, ubi ea, quam tantopere extollunt, Italiæ securitas? An non hostem in nostrum exitium armatum, excidium atque incendium spirantem, minitantem, cervicibus Italiæ impositum inspiciemus? Tunc vero quæ propugnacula sustinere, quæ flumina remorari, quæ vires reprimere, qui exercitus vincere ac debellare furentem poterunt? Sane sic existimo, rejecta Præconsultorum sententia, potius nihil moliendum esse, quam ut ingens adeo atque arduum opus immenso sumptu, tot tantisque periculis aggrediamur; quæ etsi fortasse procul esse vel nimium mea oratione augeri sibi quis persuaserit, is secum reputet, sæpius falli, errare, decipi mortales consuevisse; propriumque id viri prudentis, ac magnis de rebus statuentis esse, cunctos humanos sibi casus animo subjicere, remota proxima, futura præsentia facere. De nova etenim civitate ædificanda agitur, opere sane insuperabili, cui vastæ illius quondam Romanurum Reipublicæ ingentes animæ, immensæ vires vix sufficiant. Quo situ? qua forma? quanto temporis spatio? quo sumptu? Loca, in quibus hominis degunt, oppida, urbes populis refertas munire forsitan minus difficile fuerit. At in ampla planitie, arido nudoque solo arcem struere, novam urbem excitare quantæ molis erit? Tantæ profecto, ut ejusmodi perrara magnorum Regum potentissimarumque rerumpublicarum exempla monumentis ad posteros antiquitas transmiserint. Quid de auri gurgite immenso dicam? Testentur tot in continenti, in Illyrico, in Creta atque in circumstantis insulis erectæ munitones, quibus exaggerandis opulenti atque incolæ defessi, ærarium exhaustum ac pene exhaustum est. At quo temporum intervallo ad exitum operis perducatur? Quot in

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1593 *hac humanarum rerum regnorumque inconſtantia accidere poſſunt, ut de ea prius defendenda, quam perficienda cogitandum ſit? Si vero, mœnibus adhuc aſſurgentibus, potentiſſimus hoſtis, cujus terrore adeo iſti commoventur, aggrediatur, an non potius ei commodo, quam nobis munimento fuerit? At quo ſitu? in planitie conſtituendam arbitrantur. Cui compertum non eſt, arces plano loco ſitas facilius invadi atque expugnari poſſe? Si exiguam ædifices, parum obſiſtere hoſti poteſt: ſi amplam, propugnatorum, bellicorum apparatuum ingentem copiam requirit. At qua ratione exſtruenda? profecto ſi humi copia ſuppeteret, quæ arcta admodum eſt, majori facilitate, minori tempore excavari foſſæ, mœnia erigi poſſent. Verum eadem materiam hoſti facilius oppugnandi, brevi undique aggerum eminentia arcem circumcingendi ſuppeditaret, uti in Cypro, Leucoſiæ, quæ undecim firmiſſimis propugnaculis conſtabat, eveniſſe novimus. At nunc glarea oppleto, minime tenaci compactoque ſolo, quis dubitet difficillime humum egeſtum iri, loricaque lapidea ad graviſſimum pondus ſuſtinendum incruſtatam, ad hoſtiles tormentorum jactus molliter excipiendos ineptam fore, diſſilienteque materia, propugnatorum nonnunquam cædem ſtragemque edituram? Hæc atque alia pleraque novam hanc arcem mente tantum intuentibus ſeſe objiciunt, ut jure conjectandum ſit, in re conficienda majora, quæ modo latent, impedimenta oboritura. Ad ea evitanda ſatius præſtabiliuſque Reipublicæ eſſe arbitror, ab arduo hoc immenſoque opere exigui fructus, haud exigui periculi, infiniti prope ſumptus, incipiendo abſtinere, quod in ſpeciem licet admirandum videatur, re ipſa omnibus iis caret, quæ in hujuſmodi momenti rebus decernendis neceſſaria videntur, quæque ab inveterata ſapientiſſimi hujuſce Senatus prudentia maturitateque expectari ſolent.*

Leonardi Donati oratio.

Cum dicendi finem is feciſſet; Leonardus Donatus, Eques Marciuſque Procurator, in hanc ſententiam dicere eſt orſus.

Negari non poteſt, præſtantiſſimi Patres, nobilitate, amplitudine, ſitu Forijulii provinciam excellere, atque ob id in primis vobis maxime cordi eſſe oportere. At contra nemo quoque inficias iverit, cunctorum injuriis atque armis patere, peramploque aditu ad quaſcumque hoſtiles im-

impreſſiones excipiendas opportunam eſſe. Quæ res quemadmodum alias ſapientiſſimos majores noſtros permovere, ut animum ad eam muniendam adjicerent, ita nunc vos impellere ac veluti cogere videntur, ut aliquid hac dignum Republica, neceſſitati conveniens, præſenti temporum conditioni neceſſarium aggrediamini. Jam enim in Pannoniam & Croatiam Amurathis arma pervenere, quorum potentiæ favente fortuna, haud parum pertimeſcendum videtur, ne brevi adeo prope ad Italiam accedant, ut mali propinquitate remedia tardiora atque inutiliora ſint. Planis enim in locis, parumque munitis dimicandum Turcis eſt; prævalidis arcibus impediri ac frenari nequeunt. Non exercitus numero, non fortitudine pares ad obſiſtendum hoſtes habent: infirmæ ad tantum belli pondus Auſtriacæ vires. Jam pontes ſternere, amnes trajicere incipiunt. Quid hæc præſagiant, quem exitum portendant, videtis. Nunquam adeo Turcæ ſe invexere, Belgradum licet, Budam, Strigonium occupaverint, Zighetum ceperint, torque firmiſſimis propugnaculis chriſtianos Principes nudaverint. Nunc victoriæ Suleimani reliquias conficere, propiuſque ad Italiam ſternere viam parant, ad quam occupandam eorum majores avide at parum feliciter inhiarunt. In foribus late patentes Carni objiciuntur, vetus barbarorum ſemita, ex qua in Venetas oras Galliamque Ciſalpinam iter panditur: in quas ſemel ſi provincias penetraverint, eo difficilius deturbari atque expelli poterunt, quo belli ratio ab iis immutata eſt. Alias excurſionibus tantum contenti, præda rapiniſque pregraves domum redibant: vaſtata loca ſenſim, ſero licet, denuo incolebantur. Ita Suleimanus in Perſide, igne ferroque depopulatis agris, Tauriſio capto, nullum victoriæ fructum, præter inanis oſtentationis gloriam, tulit. Superiori tempeſtate Carnos Turcæ ſæpius percurrere; captivis prædaque abacta, funeſtam tantummodo avaritiæ & crudelitatis memoriam reliquere. Nunc vero munitiones excitando, novas arces ſtruendo, occupata retinent, populoſque imperio premunt. Poſtrema in Perſide ab Amurathe per præfectos geſta nos moneant, quorum exercitu vel ſæpe cæſo ac diſſipato, adeo ſe protexere, ut, ſubſtructis propugna-

1592

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLEJI" SHKODER (2018)

1593 *gnaculis, in ejus regni viſceribus hæſerint, prædivitem atque uberrimam Sirvani provinciam Ottomanorum imperio adjecerint. Idem poſthac ſagaci admodum ingenio homines facturos quis ambigat? Quæ cum ita ſint, pandere ne potentiſſimo hoſti ſinum volumus, cujus toties fidei viriumque periculum fecimus? An arbitramur, ſi pedem in his regionibus fixerit, facile rejici ac repelli poſſe? Vel potius, nullo obſiſtente, uſque ad Liquetiam amnen venturum; eo trajecto, Tauriſii quoque civitatem expugnaturum. Una ſane omnium, eorumque imprimis, qui militari diſciplina pollent, conſtans ſemper ſententia extitit, in Forijulii provincia arcem egregiam munitiſſimamque excitandam, quæ aditum hoſti præcludat, impetum ſiſtat; ne ſolutus libere pervagetur, prohibeat; non ſumptu, non operis difficultate, non tempore, non forma, non denique conſtruendi ratione deterreri oportere; quæ omnia potius, ut, menti inſueto timore injecto, vos a ſententia revocarent, diſceptata arbitror, quam, ut in ſummi momenti re, in conſultationem cadere poſſint. Quis enim provincias, imperium, gentes auro, pecuniæ, ærario comparaverit? Princeps præpotens ac prædives habendus is eſt, qui ſubjectos multos, late patentes regiones, arces munitiſſimas poſſidet. Quis porro ignorat, magna atque egregia quæque ardua eſſe ac difficilia; fortitudine tamen, conſtantia, obnixo ſtudio ſuperari? At quæ difficultates hujuſce Senatus conſulti fructum intercipere poſſunt, quin, eo rejecto, multo graviora majoraque pericula ſubeamus? An hæc Senatum ab aliis munitionibus terra marique fabricandis deterruere; cum hac tempeſtate nemo Princeps inter Chriſtianos cenſeatur, qui tot, incredibili opere, immenſo ſumptu prævalidas atque impervias fere arces obtineat? Exciſi montes, ſublatæ planities, impenetrabilia fere ſaxa excavata. Quid Cretenſes, quid Corcyræas præcipue memorem, quarum moles amplitudine atque artificio humanum fere captum ſuperant? Quid in continente exſtructas Piſcheriam, Lemniacum, Urceos novos, ac præſertim Bergomum & Brixiam, ambas hac tempeſtate mirandum in modum permunitas? An impenſa vos remorata eſt? an labor deterruit? an*

an tempus impedimento fuit? Si ab iis decretis, quibus publica ſalus continebatur, vos nulla avertere vis potuit, cur in hoc adeo utili ac neceſſario a cunctiſque exoptato opere hæſitamus? cur a nobiſmet ipſis diſſentire patiemur? inanique metu ſolidam noſtrarum rerum defenſionem omittemus? Neque id vos (quod ajunt) movere debet, hoſte prædabundo, minime juſtis viribus agros percurrente, arcem ſupervacaneam fore; potenti vero cum exercitu irruente, brevi expugnatum iri: cum potius contra dicendum ſit, ea forma atque artificio, quod plerique cenſent, objecta hoſtibus arce, a cladibus direptionibuſque temperaturos; ſin vero cum exercitu in Italiam ingreſſum moliantur, munitiſſimum poſt terga propugnaculum, ex quo redeuntibus aditus intercludi facile poſſit, relicturos. Non me latet, nullas quantumvis munitas arces eſſe, quæ tandem humanæ vi potentiæque non cedant; neque tantum propugnando homines poſſe, quin majori ac vehementiori oppugnatione dejici ac proſterni queant; quantumque ſtudium ſagax ingenium ad tuendas arces adhibuerit, tantumdem ad arces vincendas contuliſſe. At quod perviæ hominum obſtinatæ induſtriæ ſint, ideo minoris æſtimari, neque in imperii cuſtodia uſurpari debent, cum ſæpius regnorum ſalus atque incolumitas brevi temporis ſpatio ac fere momento vertantur? Hoſtium impetum ſuſtinendo, eorum conſilia perverteruntur, cogitata evaneſcunt; dum in urbe, oppido, arce oppugnando morantur, ſæpius ingentes ac prævalidi exercitus abſumpti ac diſſipati ſunt. An non Vienna infinitas prope Suleimani copias ſuſtinuit? quæ niſi fortiſſimo atque fortunatiſſimo Imperatori fuiſſet objecta, veluti torrens, rapido curſu ſeſe in omnem Germaniam effudiſſet? Quantum eidem exiguæ Meliti insulæ arces obſtitere, in quibus retinendis eximium ſui adverſus potentiſſimam claſſem decus immortali cum laude Melitenſes equites peperere? Avorum autem noſtrorum memoria nonne Aſulum, in Brixienſi ſolo parvum oppidum, Maximiliani Cæſaris impetum fregit, conſilia diſjecit? Ne in aliis perquirendis exemplis morer, ex quibus latis patet, munitas arces, ſecuritatem incolumitatemque magnis imperiis attuliſſe. At aliquando hoſtium virtute ac viribus occupantur. Eſto: citra earum opem majori ac potentiori cito cedendum erat. At pa-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1593 *ribus copiis obsistendum potius est : id quam difficile sit, nemo ignorat ; atque ut comparari ejusmodi exercitus possit, quis vel militari prudentia ac virtute insignis, vel in gerenda republica parum exercitatus ambiguo certaminis eventu de toto imperio dimicandum suadeat ? Una igitur tantum tutelæ ratio supereſt, ut munimento aliquo hostium impetus retardentur ac reprimantur. Ecquis erit, qui, cum de nova hac arce agetur, non ad eam omni conatu servandam accurrat ? Omnes, qui vestro parent imperio, ultro accedent, cum ex eo munimento agros, fortunas, uxores, filios pendere noverint : nemo etiam erit in ampla hac civitate patricius, nemo civis, plebejus nemo, qui pro ea arma induenda non existimet, seque & vitam ipsam pro domicilio ac patria effundere non arbitretur. Nullus demum in Italia Princeps, qui, rumore tantum de illius oppugnatione dissipato, non excitetur, secumque in ejus incolumitate rem propriam agi existimans, ad commune veluti incendium extinguendum non accurrat. Quid ? quod istius tantum propugnaculi fama permotus veritusque hostis, ne, quantum equitatus ac peditatus gignit atque alit Italia, in ejus perniciem convertatur, de ea invadenda consilia abjiciet ; atque ita cum immortali Veneti nominis gloria impervim in hanc provinciam iter, pernobili hoc erecto propugnaculo, evadet ? Cur igitur, præstantissimi Patres, cunctamur ? cur ambabus ulnis salutare hoc Senatus consultum non amplectimur, tot undique utilitatibus refertum, ut non humano solum consilio, sed natura ipsa magistra incitari videamur, quæ cunctorum quamvis exilium animantium ingenia egregie ad propriam salutem armavit ac instruxit ? An potentissimi hostis, qui in dies viribus auctus, nova molitur, progressus expectabimus ? permittemusque, ut inutili hac mora neque querelis in posterum, neque pœnitentiæ locus sit ? In vobis situm est, Patres, Carnos tutos reddere, immo, quid Carnos dicam ? Venetam omnem regionem, florentissimas vestras Galliæ Cisalpinæ urbes, hanc inclitam civitatem, Reipublicæ domicilium, Italiam ipsam, atque, ut uno verbo dicam, universam christianam rempublicam tutam incolumemque servare. Vobis, vobis, inquam, id summa Dei Optimi Maximi benignitate concessum est, quod olim Romanæ reipublicæ proprium fuit,*

1593 *fuit. Illa barbaris efferisque nationibus urbium munitissimarum objectu fortiter obstitit, quibus modo dirutis, atque in cineres bellorum casibus, temporum injuriis redactis, immensaque illa potentia ac magnitudine extincta, vos tantæ Reipublicæ (quatenus fieri possit) exemplum æmulari debetis ; iisdem artibus barbaris nationibus obsistere, neque pati, ut amplissimus iste aditus, qui in vestro imperio est, immanissimarum gentium colluvioni in posterum pateat.*

Rationum momenta utrimque magna dicendi vi disceptata ambiguum adeo consilium reddidere, ut, in diversas sententias discedentibus, ea die nihil decerneretur. Sed, paulo post denuo re diligenter excussa, latum, ut Senatores quatuor in Carnos profecti, situ provinciæ explorato, locum, in quo munitio ædificaretur, pro majori parte deligerent. Missi Marcus Antonius Barbarus, Jacobus Fuscarenus, Marinus Grimanus, Leonardus Donatus, Equites ac Marcii Procuratores, Zacharias Contarenus Eques. Ii Senatus jussu Joannem Baptistam Montium, summum peditatus præfectum, Jacobum Malatestam, Erasmum Malvicinium, Marium Saornianum, Marcum Antonium Martinengium Villaclarum, atque alios muniendarum arcium peritos secum duxere. Accurate locorum situ, qui ad eam molem struendam opportunus esset, inspecto, omnes consensere, ut in planitie Palmata, divi Laurentii fano, Ronchorum ac Subsilvæ vicis distincta, nova arx excitaretur. Locus tantæ rei perficiendæ opportunus, præter ceteros, visus ; quod aliis Forijulii oppidis atque urbibus subveniendo aptus haberetur ; quippe qui ab Utino decem circiter passuum millibus ; a Marano, maritimo oppido, octo distaret ; atque ad subsidia terra marique excipienda valde idoneus haberetur. In latam enim ampla[illegible]que planitiem extenditur, a montibusque ita subducitur, ut inde nullas injurias pertimescat ; nullis substructionibus, nullis vetustis ædificiorum machinis impeditus ; nudo atque explicato solo, ad quamcumque munitionis formam excipiendam aptus. Senatores ad urbem reversi, cum in Senatu retulissent eorum decretum frequentes Patres confirmavere. Mox de forma ædificandique ratione actum. Novem propugnacula construi decretum : simulachrum arcis a Julio Saorniano, viro scientia militari ; ac

Senatus decretum de Senatoribus in Carnos mittendis ob novam munitionem extruendam.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1593 ac munitionum peritiſſimo, exhibitum Senatus probavit.

Palmæ conſtruendæ provincia Marco Antonio Barbaro demandata.

Marcus Antonius Barbarus, cum ſupremo imperio legatus, in Carnos miſſus; atque in iis, quæ ad eam ſubſtructionem pertinerent, ſuprema illi auctoritas conceſſa. Datæ ad urbium atque oppidorum magiſtratus literæ, quibus omnibus in rebus, quæ ad novam munitionem ſpectarent, ei parere jubebantur. Pecunia expenſarumque ratio Joanni Garzonio mandata; qui ædificationi præeſſet curator Marcus Antonius Villaclara a Senatu eſt datus. Palmæ nomen, Palmata proximo vico innuente, novæ arci inditum; vel inde præſagio quodam longiſſimi ævi capto, quod hæc arbor ſæculorum ſpatia æquet; vel quod palmam victoriæ ſignum jam inde a priſcis temporibus uſque ad hanc tempeſtatem cuncti exiſtimaverint. Utcumque res ſe habeat, nonis octobris, ob inſignem ad Echinadas victoriam, Juſtinæ virgini ac martyri dicata die, præclari operis fundamenta jacta ſunt. In iis priſco more ex auro, argento, ære monetæ immiſſæ, quarum altero later leone alato inſculpto, divi Marci, Reipublicæ tutelaris, ſymbolum, exprimebatur hiſce literis: PASCHALE. CICONIA. DVCE. VENETIAR. ET. C. ANNO. DOMINI. M. D. XCIII. Altero, ſigno crucis impreſſo, munitio aſſurgens viſebatur, adſcriptis notis arci: FORIIVLII. ITALIAE. ET. CHRIS. FIDEI. PROPVGNACVLVM. Cruci vero: IN. HOC. SIGNO. TVTA. Neque, ut magnis in rebus ſolet, præſenſiones quædam ingentis hujuſce operis defuere. Ferunt enim viginti antea annis paſtori cuidam, Camotio nomine, gregem iis in locis paſcenti, per quietem innumeram gentem, quæ ibi arcem conderet, apparuiſſe; alios foſſas excavare; alios propugnacula erigere; alios ædificia ſtruere. Rei novitate ſtupenti, ecquidnam illud eſſet, interroganti, reſponſum fuiſſe: *An non cernis, nos hic erigere arcem velle?* Tunc terrore inſueto perculſum atque attonitum, relicto grege, ad divi Laurentii propinquum pagum reverſum, quid ſibi acciderit narraſſe; ludibrio, uti ebrium habitum fuiſſe; procedentibus vero annis, ſpectrum facto probante, admirationi atque ſtupori fuit.

Novæ hujus excitandæ munitionis ſummis undique laudibus decretum exceptum eſt, quo egregius non modo Venetorum

rum ad imperium ſubditoſque tuendos animus; verum etiam 1593
eximia quædam in Italia defendenda conſtantia inſpiciebatur. Id Senatus conſultum, quod non minus ad Reipublicæ, quam ad Italiæ commodum latum fuiſſet, Patres per Paulum Parutam, oratorem, Clementi ſignificarunt; qui, Senatus ſumma prudentia, atque in chriſtianam rempublicam pietate commendata, ei gratulatus, naſcenti tum Palmæ Apoſtolicam benedictionem eſt impertitus. Nec minori lætitia oppida urbesque Reipublicæ affectæ, certatim egregiæ voluntatis argumento haud exiguam pecuniæ vim liberaliter contulere, quæ ducentum fere aureorum millium ſummam æquavit. Opus ſummo ſtudio, atque ingenti ardore a Marco Antonio Barbaro inceptum, undique ex Galliæ Ciſalpinæ ac Veneta regione agreſtium hominum turba confluente, brevi adeo excrevit, ut ad hoſtium conatus excipiendos idoneum haberetur; continuatiſque operibus ad præſentem amplitudinem firmitatemque, quam cernimus, perductum. Omnium conſenſu, atque eorum in primis, qui militarem diſciplinam profitentur, inter præcipuas totius Europæ arces cenſetur.

Bellum enter Rodulphum Cæſarem, & Amurathē.

Dum hæc a Venetis geruntur, Byzantio Amurathem in Cæſarem bellum pronunciaſſe, in Pannoniæ & Croatiæ finibus copias augeri nuntiabatur. Rodulphus, ut hoſtis impetum ſuſtineret, milites ex ſuis regnis ac ditionibus cogere, chriſtianorum Principum ſubſidia flagitare. Clementis Cæſari ſubveniendi deſiderio Galliæ turbines obſtabant. Philippus Gallico ac Belgico bello, claſſisque turcicæ (licet minore, quam rumor attulerat, numero egreſſa) ſuſpicione detinebatur. Veneti ſuis rebus minime conducere arbitrabantur, pacem cum Ottomanis Regibus antea ſancitam turbare. Verum Pragæ indictis comitiis, a Cæſare pecunia cogebatur, delectus copiarum urgebatur, præſidia limitanearum arcium diſponebantur. Diverſa ex parte Aſſanes Boſnæ Baſſa in Duropoliam inſulam illatus, cuncta populabatur; Robertus Egembergius Lubiana ad Zagabriam urbem tutandam ſe contulerat. At Aſſanes Siſſacum, inter Saccam, & Culpam amnes in eadem inſula ſitum, Canonicorum Zagabrienſium ditionis oppidum, adortus, diſpoſitis tormentis, ver-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1593 verberare incipit . Culpam amnem ponte tranſgreſſus , fruſtra irrumpere conatus , cum multorum cæde repellitur , diſpoſitiſque partim ultra , partim citra flumen copiis , redintegrata pugna , verberationem inſtaurat . Egembergius , præſidiariis urgentibus , Andream Auſpergium , Caroloſtadii præfectum , Sclavoniæ proregem (*Banum* appellant) alioſque præfectos evocat , ut jam cadenti Siſſaco opitulentur . Cum prope hoſtium caſtra perveniſſent , quamvis vel equitatu vel peditatu ſex millium numerum non explerent , Auſpergius hortatur , impellit : Turcas adoriantur , ferro ſibi iter ad opem obſeſſis ferendam faciant . Aucti animis , propius ſe ad oppidum inferunt . Dum Aſſanes ſupremos edere conatus niteretur , Egembergius , Petro Ardelio , Bani fratri , ac Montecuculo ad pontem Culpæ inſtratum præmiſſis , cum reliquis copiis hoſtes aggreditur . Atrox prælium initur ; pari conatu initio dimicatur ; Cæſareanorum aliquantiſper inclinatam aciem equites reſtituunt : mox Turcæ , ardore paulatim reſtincto , continenti glandium procella in fugam acti , dum amnis tranſitu vitæ conſulere opinantur , aditu ſe intercluſos conſpicati , perterriti natatu ſalutem quærunt ; imbribus aucto amne , riparumque altitudine reluctante , fruſtra connixi demerguntur : priores reliqui inſequuti , in fluvium ferarum more ſeſe præcipitantes , momento delentur . Duodecim millia , inter quos Aſſanes Baſſa atque alii inſignes Turcæ , cecidere . Ab Egembergio victore , dilapſis copiis , Petrina fruſtra oppugnata . Turcæ exercitus reliquias aſſumunt ; Beglerbego Græciæ duce , denuo Siſſacum aggreſſi , vi capiunt ; præſidium milite novo firmant ; circumductis aquis , communiunt . Cæſar iterim a conventu auxilia , a Pontifice pollicitam pecuniam efflagitat ; Matthiam fratrem exercitus imperatorem dicit . Turcæ ad quadraginta millia aucti Veſprinum ac Palottam , Pannoniæ inferioris caſtella , occupant , majori ſpe , ni , lue per exercitum graſſante , milites per oppida diſtribuere coacti fuiſſent . At Tiphembachius vi Sabatam obtinet , Philecum obſidet , Turcis opem afferre conantibus deletis , capit . Impari exitu Albaregia tentata ; verum cæſareanis abeuntibus , dum carpere extremum agmen Turcæ conantur , oborta pugna , octo ex

Cæſareanorum de Turcis ad amnẽ Culpam victoria.

Matthias Auſtriacus Cæſarei exercitus imperator.

Turcæ ad Albam Regiam a Cæſareanis profligati.

ex iis millia , mille tantum Cæſareanis deſideratis , cæſa . 1593
Ita alternante fortuna hoc anno in Pannonia & Croatia dimicatum .

In Gallia vero , partium laſſitudine tepeſcentibus armis , acerrimis hinc atque inde propoſitis edictis , certabatur . Maynius , quæ ſe ad comitia convocanda impulerint , ſcripto edit . Commune Galliæ bonum , prolapſam religionem , cujus res potiſſimum agatur , deplorat . Rex contra fœderatorum aſtus , Maynii factum ſcriptis vulgatis exaggerat , qui , regia uſurpata auctoritate , comitia adcerſiverit . Quod ad religionem attineat , ſi abſque concilio de catholica doceri poſſit , non recuſare , immo quam maxime cupere ; ob eam rem legatos ad Pontificem miſſurum . Inde Lutetiæ conventus regiis legibus , Galliæ quieti adverſari oſtendit ; quidquid in iis agatur , decernatur , nullius momenti ; ſi qui interfuerint , læſæ majeſtatis reos pronuntiat . Demum civitates , collegia , ſubjectos fœderatorum artibus traductos , reſipiſcant , monet ; benigne omnes complexurum pollicetur . Eodem tempore Principes catholici , Regis præconſultores , alio ſcripto edito , a fœderatis utrimque , ut deligantur , poſtulant , qui de Galliæ turbis ſedandis , deque priſca religione , regnoque conſervando ſermones conferant . Maynius ſociorum nomine ſuos quidem miſſurum , dummodo regii ad Eccleſiam catholicam accedant , reſpondet . Pontificis legatus , ſcripto emiſſo , Navarræum juſte ad regnum admitti non poſſe , Gallis ſuadere nititur ; Turonenſe & Cabillonenſe in pontificia diplomata , Landrianumque edicta , Carnutenſem conventum deteſtatur ; fœderata comitia , quæ Principem hæreticos labe infectum renuant , extollit ; ejuſdem ſententiæ Clementem eſſe profitetur . Feriæ Dux , a Philippo legatus , Lutetiam venit ; literas illius nomine exhibet , quibus ad catholicum Regem creandum ſocios hortatur , omne ſubſidium viresque ad eos juvandos collocaturum pollicetur .

Rex interea in dies magis ad catholicam amplexandam religionem excitabatur ; ac licet in ejuſmodi cauſa nullum majus incitamentum propria animi ſalute exiſtimandum ſit ; attamen humanitus quoque multa Henricum ad veterem fovendam amplectendamque religionem hortabantur ; nil-

Henrici Regis, & fœderatorũ edicta contraria promulgantur.

Feriæ Dux, a Philippo Rege Lutetiam legatus, mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1593 nilque aptius ad Lutetiam aliasque fœderatis addictas civitates sibi adjungendas, externosque Gallia prorsus expellendos videbatur, quam si religionis velo, quod hucusque suis actionibus prætexuerant, nudarentur. Itaque idibus julii ad divi Dionysii oppidum Archiepiscopi, Episcopi, Collegiique Sorbonici theologi aliquot ad erudiendum Regem conveniunt; qui templo ab iisdem exceptus, catholicam religionem profitetur. Eo ingenti inexpectatoque consilio perculsi fœderati, Navarræo minime confidendum, Pontificis in gravissima causa decretum expectandum ajebant: an, ad prisca sacra reverso, regnum capessere liceat ab eo statuendum. Regios insuper Principes, quod antea Pisanii Marchionem absque Navarræi mandatis Romam miserint, carpunt: nisi antea Navarræi factum Clemente probante, cum iis agi non posse affirmant. Inter hæc comitia elanguerant, prostrata prorsus spe. Isabellam, majorem natu Hispaniarum Regis filiam, Galliæ Reginam declarari, quæ postea Ernesto, Rodulphi Cæsaris fratri, nuberet, Hispani nitebantur: Parisiensisque Senatus, jam externarum artium pertæsus, priscas leges (quas fundamenta regni vocabat) intactas inviolatasque servandas esse edicto sancivit; ne Gallico diademate advenarum Principum capita ornari sineret, quietique populorum expedite consuleret, Maynium hortabatur: eoque decreto, ut ab armis abstineretur, factum.

Henricus Rex catholicam religionem profitetur.

Parisiensis Senatus decretum de priscis regni legibus cõservãdis.

Gallorum arma deposita.

Ceterum ex Henrici IIII. Galliæ Regis ad vetera sacra reditu ingens cunctos lætitia incessit, iis exceptis, quibus minime conducere videbatur, florentissimum olim, fortissimumque regnum, per tot annos civilibus dissidiis belliscque concussum, in pristinam dignitatem & amplitudinem resurgere. Præter reliquos vero ejus lætitiæ participes Veneti fuere, quod jam diu ante sapienter provisa eventu probari animadverterent; jactatum nempe immanibus fluctibus regnum, tandem in tranquillam stationem delatum, uberrimos fructus ex potentissimi Regis prudentia, virtute, pietate percepturum. Bini ad eam lætitiam Henrico significandam a Senatu oratores designati, Vincentius Gradonicus, Joannes Delphinus, Equites; Joanni vero Mocenico, qui ordinariam legationem septem annorum spatio apud Henricos III. & IIII. summa cum laude

Vincentius Gradonicus, Joannes Delphinus extra ordinem, Petrus Duodus ordinarius, in Galliam legati.

laude obiverat, totque tragicorum eventuum spectator fuerat, Petrus Duodus, vir admirabili ingenio, omnibusque scientiis excultus, successor est datus. Rex ad Clementem sua manu exaratas literas, obsequii ac reverentiæ plenas, dedit, quarum sententia erat. *Cum Deus Optimus Maximus illi eam mentem inspirasset, ut Catholicam Apostolicam Romanam veram esse Ecclesiam agnosceret, in qua tantum hominibus salutem consequi Divino munere concessum sit, in ea fide ab Antistitibus theologisque, qui ea, in quibus secus senserat, discusserant, confirmatum, se Ecclesiæ adjungere, Divinaque adjutum gratia, in ea firmiter atque immobiliter vivere morique decrevisse: Itaque eo ritu ac cæremoniis, quæ visæ eisdem sacratis viris fuerant, in Ecclesiam receptum die dominico, octavo kal. augusti, sacris missarum solemniis interfuisse, precesque cum aliis Catholicis miscuisse: in iis pietatis officiis, quamdiu illius spiritus artus regeret, perseveraturum, debitam Apostolicæ Sedi Summoque Pontifici obedientiam ex majorum suorum, Christianissimorum Regum, instituto præstaturum: certo sibi persuadere, ex ea re eam lætitiam, quæ supremo, quod ipse gereret, muneri conveniat, percepturum: intra paucos dies legationem missurum, qua, debito obsequio exhibito, uberrimas gratias ageret: literas interim propria exaratas manu, primas suæ in eum debitæ filii devotionis testes, ad se mittere voluisse.* Datæ eæ fuerant ex divi Dionysii oppido, quarto idus augusti.

1593 *Henricî Regis ad Clementem Pontif. litera.*

Mox Ludovicus Gonzaga, Nivernienſium Dux, legatus ad Clementem est declaratus. Is per Helvetios ac Rhætos, qua iter tantum ea tempestate tutum in Italiam habebatur, Romam contendebat: cum Posclavum, Rhætorum oppidum, delatus, Antonium Possevinum, Jesu sodalitatis, obvium habuit; qui Pontificis verbis nuntiavit, uti Regis legatum, quod nondum Henricum Regem agnovisset, illum excipere non posse: libenti tamen animo admissurum. conversione quidem Regis lætari, quæ, ut ejusmodi quam maxime deceat, sit, Deum Optimum Maximum enixe rogare. Iter nihilominus Nivernienſis persequutus, quinque dierum a Roma itinere, idem Possevinus significat, paucis stipatus urbem decem tantum in ea dies commoraturus, ingrediatur. Purpuratis ejus con-

Ludovicus Gonzaga, Nivernienſis Dux, ab Henrico legatus ad Pontificem mittitur.

Antonius Possevinus Nivernienſi Duci Pontificis nomine obnuntiat.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1593 congreſſu Clemens interdicit. Romam quinquaginta nobilibus comitatus cum perveniſſet, eadem die ſub veſperam coram Pontifice perductus, mandata Regis exponit, ac longiorem Romæ moram poſtulat; Purpuratos inviſendi, uti juſſus a Rege fuerat, quo tota illos de re doceat, facultatem flagitat. Clemens, petitionibus examinatis, quæ ſua mens ſit, ſignificaturum reſpondet. Denuo Nivernienſis colloquutus, Galliæ ſtatum exponit: ampliorem ac præſtantiorem partem regi parere; robur nobilitatis ab eo pendere; copiis tum pedeſtribus tum equeſtribus pollere; Principum amicitiis, virtute propria, florente ætate, corpore ad omnes labores perferendos idoneo, animo inconcuſſo, atque periculorum facie interrito, perpetuo fortunæ adſpirantis curſu, triumphis ac victoriis aſſueto, Regem eſſe: fœderatos infirmos viribus, diverſos conſiliis, ſejunctos ſpe, cogitationibus, parum externis ſubſidiis fretos, quorum non tam auxilia experti, quam jacturas damnaque perpeſſi ſint: jam palam fieri, inani ſpe Lutetiæ de novo eligendo Rege actum; nullo unquam tempore regiam dignitatem Gallos exteris deferri paſſuros: unanimes ad libertatem regnique fundamenta tuenda, jugumque, quo indigne premantur, excutiendum concurſuros. His atque aliis de rebus Gallicis Clementem edocet; quantum ab illa ſanctiſſima Sede potentiſſimi fortiſſimique Regis acceſſio magnificanda ſit, luculenter diſſerit; qui ſupplex ad ipſam confugerit, pontificiis mandatis in iis, quæ ad Divina ſpectarent, ultro obtemperaturum pollicitus fuerit: unam hanc ad firmandam amplificandamque catholicam religionem in Gallia viam eſſe, ſi magnanimus invictuſque Princeps Eccleſiæ ſinu excipiatur: pietatis ejus illuſtri exemplo, non armis, non ſanguine, non cæde provehi religionem poſſe. Verumtamen Nivernienſis magna dicendi vi Clementis animum, ſi qua poſſet, flectere adnixus, prædurum alienumque offendit; vel, ne apud fœderatos, qui pro religione arma induerant, ingrati animi notam ſubiret; vel, ut de Regis voluntate adhuc certior, quo tandem Galliæ res inclinarent, penitus inſpiceret, neque præpropero conſilio uſus fuiſſe videretur. Itaque Clemens Ducis diſceſſum urgere, aditum ad Purpuratos pernegare, tres Antiſtites, qui Romam cum eo venerant, niſi prius

Nivernienſis Ducis cum Pontif. officia.

prius Severinatem Cardinalem, ſummi Quæſitoris munus gerentem, adirent, nolle admittere. Dux contra, ſcripto ſibi Pontificis ſententiam exhiberi, ne legationis muneri defuiſſe videatur, efflagitare: in ſuos indigne quidquam agi minime paſſurum affirmare: vitam ipſam pro eorum exiſtimatione retinenda objecturum, conſtanter dicere. Igitur cum nullis neque precibus neque rationibus a ſententia dimovere Clementem potuiſſet, irrita legatione Roma diſceſſit, ſcripto vulgato, quo ea, quæ in Regis cauſa cum Pontifice egerat, continebantur. Hæc anni exitu. 1593

Nivernienſis Dux infecto negotio Roma diſcedit.

Finis Libri Decimiquarti.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

EPITOME.

CUm Turcas ad Senniam, quae in Pannoniae Regis ditione eſt, oppugnandam in Adriaticum ſinum penetraturos, nunciatum eſſet; Veneti, aucta vigintiquinque triremibus, ad obſtruendum ſui maris aditum, claſſe, a ſuſcepto conſilio infeſtam gentem avertere. Matthias in Pannonia Novegradum de Turcis cepit. Strigoniam aggreſſus, quamvis ſatis proſpera initio omnia habuiſſet, ſoluta obſidione, diſceſſit. Jaurinum Turcis traditum eſt. Ad Regis Henrici clementiam aliquot Galliae civitates, quae in foederatorum manibus erant, confugere: ipſe tandem Lutetiam ingreſſus, Pariſienſem Senatum in ordinem ſtatim redegit: Vincentii Gradonici atque Joannis Delphini, Venetorum oratorum, legationem omnibus humanitatis ac liberalitatis officiis excoluit: A Joanne quodam Caſtello intentatum in ventrem ictum feliciter gena excepit. Poena de ſicario ſumpta, Jeſuitae toto regno ejecti. Uſcochi ad latrocinia rediere. Mehemetes Amurathi ſucceſſit. Venetiis diem ſuum obiit Princeps Paſchalis Ciconia. Supremam Reipublicae dignitatem, duobus clariſſimis competitoribus ſuperatis, Marinus Grimanus eſt conſecutus. Cenetenſium rerum, propter quas Veneti cum Pontificibus maximas diſcordias exercuere, origo & ſtatus hoc libro continetur. Pax cum Turcis per Leonardum Donatum inſtaurata. Multa a Chriſtianis in Pannonia contra Turcas, compulſis ad deditionem oppidis, caeſis exercitibus, proſpere geſta. Ad Palmae ſubſtructionem, quo omne ſtudium Senatus contulerat, novum vectigal impoſitum. Galliae Rex Pontifici tandem & Eccleſiae eſt conciliatus. Metus, ne ob expugnatam ab Uſcochis Cliſſam turcici belli moles in Illyrici Veneti fines incumberet, recepta a Turcis Cliſſa, diſcuſſus eſt. Partae contra Turcas egregiae victoriae fructus ob militum avaritiam Germani amiſere. Maſſilia, quae ad Hiſpanos defecerat, in Henrici fidem rediit. Ad continendos finibus ſuis Uſcochos, eorumque latrocinia refrenanda egregiam Reipublicae operam Joannes Bembus praeſtitit. In Pannonia, detrectantibus Turcis pugnam, valde memorabile nihil geſtum. Maurocenae Grimanae, Venetiarum duciſſae, Roſam ſacram Pontifex dono miſit. Quae pericula toti Italiae impendebant, ob Ferrarienſem ducatum, in quem Caeſar Eſtenſis, ab Alphonſo Duce contra Pontificis jura heres relictus, invaſerat, ea brevi, Pontifici Ferraria tradita, reque amice compoſita, evanuerunt. Bembus Novium caſtellum ad reprimendam Uſcochorum audaciam cepit. A Caeſarianis res in Pannonia contra Turcas proſpere geſta: Jaurinum receptum; Buda capta. Clemente Pontifice Ferrariae degente, controverſiae inter pontificios ac Venetos de finibus obortae ſunt. Cum Hiſpaniae Rege pax a Gallo facta eſt. Philippo ſecundo regi tertius Philippus in Hiſpania ſucceſſit. Pſeudoſebaſtianus, Luſitaniae Regem ementitus, Venetiis in carcerem conjectus eſt. Cum nihil per colloquia apud Caeſarem atque Archiducem de Uſcochorum rebus proficeretur, multa Venetus terra marique contra ipſos molitus eſt. Turcis in Pannonia gravia a Caeſareanis damna inflicta ſunt. Avertendum alio Padum, novo effoſſo alveo, Patres cenſuere: Aloyſius Georgius operibus praefectus eſt. Uſcochorum latrocinia, ſumpta a ſontibus poena, atque ex Murlacae euripis egreſſu omnibus prohibitis, Caeſar & Archidux ſuſtulere. Galliae Rex bellum ob Salaſſios recuperandos Sabaudo intulit: Mariam Mediceam, Hetruriae Principem, matrimonio ſibi junxit.

HI-



HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER DECIMUSQUINTUS.

M. D. LXXXXIIII.



Neunte anno, qui fuit nonageſimusquartus ſupra milleſimum ac quingenteſimum, de Turcarum viribus fama rumor augebatur, cum Amurathes, reliquis ſolutus curis, in Pannonicum bellum acrius incumberet. Marcique Venerii, Reipublicae legati, literis afferebatur, ad exercitum fovendum praepotentem claſſem Turcas emiſſuros, eaque in Adriaticum ſinum penetraturos, ut Senniam, civitatem Pannoniae regno ſubjectam, invaderent; Uſcochorum injurias ulciſcerentur; ac, ſi fieri poſſet, opportuno ad Illyricum infeſtandum, Italiamque perturbandam loco potirentur: quorum ſane conſiliorum Aſſanes Cicala, claſſis turcicae imperator, in primis auctor erat, non modo nominis gloria, divitiarumque cupidine illectus, ſed inſita in Venetos odii efferae rabie incenſus. 1594

Turcarum conſilium de Venetia invadenda.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1594 His nuntiis ſoliciti Patres, quid, ſi Turcæ cum claſſe in Adriaticum penetrare vellent, agendum eſſet, ſedulo conſultabant. Hinc ne, exortis diſſidiis, pax, quæ per tot annos Reipublicæ cum Amurathe intercedebat, perturbaretur, vereri: inde ſecum volutare, quam a Reipublicæ rationibus alienum eſſet, quam Veneto indignum nomine, ſinus illius cuſtodiam negligere, quem majores immenſis ſumptibus, laboribus, ſanguine, legitimo ſibi jure aſciverant, ad poſteroſque tranſmiſerant: cum præſertim Italiæ quoque mirum in modum intereſſet, ſi Turcæ vel Senniam, vel propinquæ regionis oppida occuparent. Itaque vel a claſſe in Adriaticum mittenda Turcas avertere, vel, ni impetrare poſſint, obſiſtendum rebantur. Marco itaque Venerio injunctum, omni officiorum genere ab iis conſiliis revocare Amurathis præconſultores nitatur: *iis pacem, quæ diu inter utramque gentem coaluerat, perturbatum iri: illorum hominum inventa hæc eſſe, qui inter Principes ſimultatum ſemina, tandem in apertas inimicitias ac bellum eruptura, ſerere nitantur: an Adriatici ſinus jura poſſeſſionemque majorum ſanguine partam Senatus deſereret, cui civem cum claſſe præficeret, atque in eo defendendo prope immenſam auri vim quotannis effunderet? Adriaticum ſinum Reipublicæ veluti domum cenſeri: qui ſe invita in eum penetraverit, pro hoſte habituram.* His atque aliis, quam periculi plenum Aſſanis Cicalæ conſilium ſit, Venerius oſtendit. Verum fruſtra adnixus; cum nullis vel rationibus vel ſuaſionibus flectere Turcas poſſet, de iis, quæ egerat, quam celerrime Senatum certiorem facit.

Senatus decretum de Turcis ſe in Adriaticum inferentibus repellendis.

Tum Patres, utilitati dignitatique publicæ conſulendum rati, Senatus decreto ad claſſem augendam viginti quinque triremium præfectos deligunt; ut maritimus imperator crearetur, decernunt. Jacobus Fuſcarenus, qui ſuperiori bello præclaram in eo munere patriæ operam navaverat, cum Patrum prærogativa, majoribus comitiis ſecundo creatus. Remigum delectus habetur, opificum collegiis in id vel homines, vel pecuniam conferentibus; cunctaque ſummo ſtudio, ut opportune conſcenderet, ac reliquæ ſe claſſi jungeret, curantur, quæ in univerſum ſexaginta triremium numerum expletura erat. Ea ab Adriatici ingreſſu Cicalam averti poſſe haud

Jacobus Fuſcarenus claſſis imperator eligitur.

haud dubie credebatur; tum quod ſuperior ille numero non 1594
eſſet; tum quod, ut ſe in eas anguſtias conjiceret, quarum exitu intercludi poſſet, conſentaneum minime videbatur. Solemni ritu in aurea baſilica, dum ſacra peragerentur, a Paſchali Ciconia, Principe vexillum imperatorium Fuſcareno delatum; qui per forum, magno apparatu ac pompa inſtructum, a Senatu ad imperatoriam triremem eſt deductus. Inter ingentes majorum minorumque tormentorum ſtrepitus, tympanorum tubarumque clangores conſcendens, triremium præfectis ſtipatus, ad litus acceſſit. Dum flatus proſperos ad iter habendum expectat, ecce Byzantio legati literæ ſuperveniunt: tandem victis a ſe procerum animis, cœpta de claſſe conſilia abrogata eſſe; neve in Adriaticum claſſe penetraretur, decretum: qua in re Venerii ipſius virtus, fervidum ingenium, dicendique vis maxime profecit, cum Turcis ſæpius inculcaſſet, Cicalæ in Adriaticum ſinum ingreſſum nunquam Venetos permiſſuros: quæ ſane maritimorum apparatuum fama confirmata, ab eo conſilio Amurathem avertere, cum eo rerum ſtatu infenſos ſibi Venetos reddere minime ſibi conducere arbitraretur. His acceptis nuntiis, abdicare ſe magiſtratu Fuſcarenus juſſus; præfectis, ut triremes exarmarent, præceptum. Ita eo anno & retentum Adriatici imperium, & barbarorum repreſſi auſus; qui multo minore, quam fama ferebatur, claſſe, duarum nempe ac viginti triremium, quæ reliquis adjunctæ, quas ad inſularum cuſtodias adhibere ſolent, ſexaginta numerum non explebant, Helleſponto egreſſi, uſque in Siciliam prope Siracuſas illati, nulla re memorabili edita, aliquot tantum agreſtibus in ſervitutem abductis, abſceſſere.

Paſchalis Ciconia Dux vexillum imper. Fuſcareno defert.

Marci Venerii, oratoris, opera Turcæ conſilia ſinus Adriatici ingrediendi deferunt.

Summa belli in Pannonia erat. Vario eventu eo anno dimicatum. Matthias Novegradum trans Danubium deditione recepit. Inde, diviſis copiis, Tiphembachium, ſuperioris Pannoniæ præfectum, Hatuanum invadere, eo occupato, Solnochium oppugnare jubet. Is dum Hatuanum acerrime quærit, de adventantibus hoſtium ſubſidiis certior factus, oppugnatione relicta, contendens, conſerta cum Turcis pugna, duobus millibus ac quingentis cæſis, Julæ præfecto interfecto, e ſuis paucis deſideratis, victoria potitur, Hatuano poſtea fruſtra oppu-

Panonici belli ſucceſſus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1594 oppugnato. Eodem tempore Strigonium Matthias aggreſſus partem urbis, quæ vetus dicitur, vi capit; aggeres divi Thomæ montis in ſuam poteſtatem redigit; novam civitatem, quam a Danubii amnis propinquitate Aquenſem vocant, impari eventu invadit: e ſuis octingentis amiſſis, Sinanis Baſſæ adventus rumore, tentatis morbo copiis, non abſque commeatuum inopia, dilabente milite, oppugnationem deſerere coactus. Dum hæc in Pannonia geruntur, Maximilianus in Croatia, quatuor peditum millibus, atque equitum manu coacta, Uſcochis Sennia evocatis, Culpa amne trajecto, hoſtes Petrina expellit, Caſtrovicium capit, Siſachum ſuperiore anno amiſſum recipit, ulterius progreſſurus, ni Matthiæ ſubveniendum in Pannonia fuiſſet. Jam enim Sinanes cum ingenti exercitu, Tartarorumque Præcopenſium colluvie Budam pervenerat. Is, Strigonio præſidiis aucto, Tatta oppido deditione recepto, Jaurinum, totius Pannoniæ fortiſſimam arcem, in dextera Danubii ripa ſitam, qua amnis in multas diſciſſus partes, Comaram inſulam conficit, circumſedit. Multa utrimque egregie ac fortiter geſta; propugnatores, licet initio mille tantum ac quingenti Ferdinandi Ardechii, caſtrorum Cæſaris magiſtri, auſpiciis arcem tuerentur, brevi tamen duorum Germanorum peditum millibus, quinque equitum turmis augentur. Belli gloria incenſi ex Italia multi accurrunt; in iis Joannes Medices, Ferdinandi magni Hetruriæ Ducis frater, cum duobus peditum millibus, vicario Ferdinando Rubeo, caſtrorum præfecto, ſupervenit. Per duos menſes magna animorum obſtinatione certatum. Copiis ad triginta peditum, ac duodecim equitum millia auctis, dum inſulam in amne poſitam, quæ pro munimento Jaurino erat, quaque ſubveniri oppido poterat, Cæſareani propugnant, arx ſtetit. Verum poſtquam Sinanes, quaſſatis mœnibus, aditum ſibi in urbem patefacere non poſſe intelligens, inſulam adortus, amne trajecto, eſt potitus; acrius redintegrata oppugnatione, variis caſibus imminuto Cæſareanorum exercitu, cum Matthias Altemburgum ſe recepiſſet, laborum ac vigiliarum Germani præſidiarii milites pertæſi, de urbe dedenda cogitant; Italis contradicentibus, ac, ne ſe exitiali atque irrevocabili conſilio commaculârent, ſuadentibus. Sed cum nulla ratione tumultuantium impe-

Matthias Auſtrius Strigonium aggreditur.

impetus ſiſti poſſet, tandem quinto kal. octobris urbem hoſti 1594
Ardechius tradidit, ea lege, ut abitus militi explicatis vexillis, cum armis atque impedimentis permitteretur. Victoria tumidus atque inſolens Sinanes, Comaram inſulam tentare fruſtra adnixus, militiæ finem, hyeme ſuperveniente imponere eſt coactus. Ingenti ob Jaurinum amiſſum jactura facta, affulgere tamen Cæſaris afflictis rebus ſpes quædam viſa. Nam Sigiſmundus Battoreus, Dacorum Princeps, Amurathe relicto, Mœſiæ ſuperioris atque inferioris Principibus ad ſe pertractis, Cæſari acceſſit; ex iis regionibus bello Turcas laceſſere, copiarum tranſitu prohibere, commeatus intercipere, Byzantium ipſum, adempta, quæ inde in eam urbem invehitur, annona, premere poſſe ratus: quem ut ſibi Cæſar firmiori nexu devinciret, ei Mariam Chriſtiernam, Archiducis olim Caroli patrui filiam, deſpondit.

Jaurinum ab Ardechio Turcis traditur.

Sigiſmundus Daciæ Princeps ad partes Cæſaris accedit.

Maria Chriſtierna Auſtriaca Daciæ Principi nupta.

Ob ea, quæ hoc anno in Pannonia acciderant, firmiſſimum propugnaculum, quo aditus ad Viennam oppugnandam aperiebatur, ereptum, ingenti dolore omnium perculſæ mentes, eo magis commovebantur, quod, in varias partes diſcerpta chriſtiana republica, inteſtinis diſſidiis belliſque adhuc agitata, nulla ſatis valida ad potentiſſimi hoſtis impetum cohibendum munimenta objici poterant. Adhuc enim Gallia fluctuabat, atque ea ſpes, quæ, Rege ad catholicam religionem reverſo, concepta fuerat, elanguiſſe videbatur, a Clemente, Nivernienſi legato dimiſſo. Qua ex re plerique verebantur, ne Henricus una cum nobilitate latus ejus ſtipante, irarum impetu tranſverſus, Galliæ regnum ab Eccleſia, irreparabili jactura, ſejungeret. Nivernienſis, itinere per Hetruriam ac Mantuanos habito, confirmatiſque amicorum Principum animis, Venetias acceſſit, ac de iis, quæ Romæ cum Pontifice egerat, Regis juſſu, Senatum certiorem fecit. Paucos dies in urbe cum filio moratus, perhonorifice ac liberaliter habitus, victus e publico tributus, nullumque ad Reipublicæ in Regem obſervantiam atque in Nivernienſem benevolentiam teſtandam officii genus prætermiſſum.

At in Gallia ad inducias prorogandas cum rex rogaretur, in menſem conceſſit. Inde lætius ei fortuna adſpirare: Meldenſes, Vitrio auctore, Henrico ſe adjungere; Pariſienſes nutare, populus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1594 pulus aperte pacem petere, de expellendis externorum auxiliis agitare; Aurelianum, Lugdunum, Rothomagum, Auguſtoritum ad Regis clementiam confugere, qui non minus bello in hoſtes acerrimum, quam victor in ſupplices clementem ſe patefecit. Lutetia tantum ſupererat, in quam a clientibus atque amicis vocatus, xj. kal. aprilis ingreditur, Germanis ad novam portam obſiſtentibus, aliquot obtruncatis, ad Luparam fœderatorum militum manu in fugam conjecta, Neapolitanis militibus abitu ea conditione permiſſo, ut abjectis armis in Morinorum fines ſecederent, neque amplius in Galliam arma inferrent. Henrico magno populi concurſu ac plauſu Rege conſalutato, Baſtiliæ arx ſtatim dedita. Placentiæ Cardinali, Pontificis legato, qui tunc ægrotabat, tutus receptus conceſſus; qui, eo vix impetrato, exceſſit e vita. Pelveus Cardinalis eodem fato abreptus. Prima Regis cura, Pariſienſem Senatum in ordinem redigendi fuit; qui ſtatim edicto ſanxit, ut, *quæcumque decreta pro fœdera inita fuerant, irrita cenſeantur; in Henricum III. probra ac maledicta ſcriptis jactata aboleantur; Maynius regni procuratione arceatur; qui ei faverint, perduelles habeantur; Henricum IIII. Navarræ ac Galliæ Regem non agnoſcentes læſæ majeſtatis crimine teneantur; in Pariſienſi conventu comitiorum totius regni nomine decreta, uti legibus adverſa, nullaque auctoritate fulta, deleantur; xj. kal. aprilis quotannis publicæ ſupplicationes pro gratiis de fauſto Regis in Lutetia ingreſſu Deo Optimo Maximo agendis celebrentur.* Pariſienſis Senatus decreto aliud Rex adjecit, quo erratorum venia conceſſa, privilegia, immunitates Lutetiæ reſtituebantur, egregiaque ad eam ornandam atque augendam ipſius voluntas exprimebatur. Inde Guiſium Ducem ſupplicem excepit, Provinciamque regendam attribuit; bellique molem in Morinos, Laone aliiſque oppidis deditione receptis, avertit, cum Sueſiones tantum, ac Pera Maynio parerent, Capellamque nuper Hiſpani occupaſſent.

Henricus Lutetiam ingreditur.

Placentiæ Cardinalis Lutetiæ obiit.

Pariſienſis Senatus decreta & edicta.

Henrici Regis alia decreta.

Hoc rerum ferme ſtatu Galliæ res erant, cum Vincentius Gradonicus ac Joannes Delphinus, Reipublicæ legati, Lutetiam pervenere; qui magno populi plauſu, nobiliumque agmine ſtipati ad Regem deducti, gratulationis munus obivere: *quod immenſis laboribus ac periculis invicto animo exan-*

Gradonici & Delphini oratorum ob Henrico Rege gratulationis officia.

exantlatis, per victorias perque trophæa ſibi aditu patefacto, ampliſſimum nobiliſſimumque regnum, legitimo ſibi debitum jure, ingenti virtute, fortitudine, felicitate adeptus eſſet: quod priſtino ſplendori ac decori, cum immortali ejus nominis gloria, præpotentem Galliam reſtituiſſet; quod inter tot egregia ac fortia illius facta, inter bellorum ſtrepitus, non minus armis, quam clementia cunctorum ſibi animos, incredibili præſentium admiratione, perpetua poſterorum fama, devinxiſſet. Ea legatio Regi pergrata admodum fuit, omnibuſque humanitatis ac liberalitatis officiis exculta, quibus abunde Henrici IIII. in Rempublicam benevolentia ac ſtudium enituit. Nullam multis antea annis legationem illuſtriori lætitiæ ſignificatione a cunctis ordinibus exceptam memorabant: omnium in legatos, uti optatæ pacis nuntios, defixi oculi. Illo in itinere civitates oppidaque everſa, provincias vaſtatas, regionum ruinas ingentes editas cernere fuit, acerbos diſſidiorum bellorumque civilium fructus, in quos mortales vel miſeriarum vel felicitatis impatientia devolvuntur.

1594

Proſpere Regi cunctis affluentibus, id accidit, in quo vel hominum ſcelus & audaciam, vel Dei Optimi Maximi ineffabilem providentiam poſteritas miretur. Henrico in Luparæ ædibus regii ſtemmatis Principibus, aliiſque ex nobilitate proceribus ſtipato, adoleſcens, Joannes Caſtellus nomine, ex infima plebe, cerdonis filius, reliquæ turbæ immiſtus, regium cubiculum ingreſſus, advertente nemine, gladio ventrem tranſverberare eſt adnixus. Ad Roneum & Montinium excipiendos ſe inclinanti, dextera gena percuſſa, denſque tantum excuſſus: reus ſtatim in carceres detruditur. Erat is Jeſuitarum alumnus, ſeque ab iis ſæpius audiviſſe ajebat: *Regem, quod extra Eccleſiam eſſet, interficere licere, ac donec a Pontifice probaretur, ei parendum non eſſe.* In eum, uti majeſtatis Divinæ atque humanæ reum, a Pariſienſi Senatu animadverſum: excarnificari, conſceleratam dexteram abſcindi, a quatuor equis diſcerpi, in ignem conjectum cadaver in cineres redigi, eoſque in auras dispergi, decretum; Jeſuitarumque ſodalitates, uti juventutis corruptorum, publicæ quietis, Regis, regnique hoſtium, triduo Lutetia aliiſque urbibus ac civitatibus, in quibus collegia obtinerent, abſcedere; intra

Henricus Rex à Joane Caſtello gladio petitur.

Jeſuitæ à Galliæ regno exſpelluntur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1594 intra quindecim dies, tota Gallia exire, perduellionis pœna propoſita, juſſum: bona eorum ac ſupellex ut in pietatis opera ex Pariſienſis Senatus ſententia erogarentur, ſtatutum. Iiſdem quoque ſubiecti pœnis, e Gallis quicumque extra regnum ad eorum collegia ſe contuliſſent. Mœrore ob periculum, gaudio ob atrociſſimi caſus exitum perfuſi Patres, Regi Senatus conſulto gratulantur: hortantur, rogant, vitæ ipſius, ex qua Galliæ non modo, verum chriſtianæ reipublicæ incolumitas ac dignitas pendeat, in poſterum diligentius conſulere velit. Munus id extraordinarii legati, qui adhuc in Gallia erant, obivere. Egregium hoc publicæ pietatis ſtudium cum Henrico pergratum extitiſſet, Senatui gratias quam maximas egit.

M. D. LXXXXV.

1595 ANni proximi initia aſſuetæ rapinæ Uſcochorum excepere, qui Pharo, Brachia, & Corcyra nigra inſulis damno affectis, maritimamque oram depopulati, obvia quæque Chriſtianorum & Turcarum navigia diripuerant, celocem Aſcrivio cum publicis literis, negotiatorumque viginti aureorum millibus Venetias venientem interceperant, Georgio Margitichio, imperio Veneto ſubjecto, in primis duce, qui, trecentis comitantibus ſociis, a Georgio Lencovichio, Croatiæ præfecto, fide accepta, cum uxore ac liberis e Brachia Senniam ſe receperat. His incommodis quo minus majora remedia adhiberentur, temporum conditio obſtabat: ſed ne tot flagitia magis magiſque impunitate alerentur, Adriatici ſinus, atque adverſus Uſcochos præfectis juſſum, vel conjunctim, vel ſeparatim prædones perſequerentur; quotquot vivi in eorum manus perveniſſent, ſupremo ſupplicio plecterent; exitus omnes a Sennia ac propinquis locis acriori diligentia obſepirent, ut ſaltem commeatuum omniſque generis annonæ inopia conflictati, aliqua ratione facinorum pœnas darent. Marcus quoque Molinus, claſſis legatus, in Adriaticum ſinum evocatus. His querelæ addebantur. Cum Sigiſmundo Turrio, Rodulphi legato, graviter expoſtulatum: damna ſarciri, ablata reſtitui petitum; qui etſi, ut aliqua in parte ſatis Reipublicæ faceret, Bernardinum Rubeum Senniam miſiſſet; pollicitis nuſquam eventus reſponderunt. Georgium quin etiam Margitichium

Uſcochorum rapinæ Georgio Margitichio duce.

chium tradi poſtulantibus Patribus, legatus bellorum difficultates, quibus Auſtriaci diſtinebantur, cauſatus, Senatorum animos leni re nitebatur: Margitichium Senniæ exceptum veriſimile non eſſe; ſi eo ſe contuliſſet, dignas ſcelerum pœnas daturum: eadem Pragæ crebris, vehementibuſque Thomæ Contareni legati expoſtulationibus reſponſa dabantur. 1594

Inter hæc Venetam navem, pretioſis onuſtam mercibus, quæ fere decies centena millia æquarent, *Pegolotam* nuncupatam, in Siciliæ litora prope Catanam civitatem impactam, ingenti negotiatorum damno diſſiliiſſe eſt allatum; quibus petentibus, Joannes Baptiſta Padavinus, Senatus a ſecretis, in Siciliam datis literis eſt miſſus ad Olivarium Comitem Proregem; qui prædiviti illectus gaza, moras adhibet, cauſas innectit, Judæorum mercium obtentu, quas fiſco ſubjectas eſſe inquit, reliquum ad ſe trahere nititur. In carceres detrudi navigii ſcribam jubet; Padavino, quæ bona Chriſtianorum ſint, oſtendendi provinciam imponit. Ille artium gnarus, negotiatorum factum tuetur; libertatem ac ſecuritatem navigiorum exaggerat; Judæorum mercimonia, quanta ea cumque, licet modo tenuia admodum ſint, tuto iis credi poſſe contendit. Prorex minime flecti, privato negotio publicas querelas jungere, ſpeculatorias biremes male Corcyræ habitas; Turcarum direptiones, regia ac Veneta ſociatis claſſibus, a Neapolitano regno averti ſuperiore anno potuiſſe: parum animadverti, quam communibus rationibus expediat, eam Turcarum animis firmiter ſententiam hærere, Philippum ac Venetos indiſſolubili amicitiæ nexu adſtrictos eſſe: denum ſiqua e Sicililiæ regno navigia maria excurrant, perniſſu Regis facere affirmat. Ad hæc Padavinus, Philippum incurſiones peroſum, ut ab is abſtineatur, ſæpius juſſiſſe; Senatu flagitante, ut armamentis navigia ſpoliarentur, Neapolitanique ac Siculis excurſionibus interdiceretur, præcepiſſe; egregiam Venetorum in Regem voluntatem haud obſcuris argumentis patere: anno elapſo, ut Turcas ab Adriatici ſinus ingreſſu arceret, prævalidam claſſem inſtruxiſſe, imminentiaque Neapolitano regno atque Apuliæ pericula depuliſſe. Tandem Prorex, viginti aureorum millibus a negotiatoribus datis, navem reſtitui juſſit.

Joannes Baptiſta Padavinus in Siciliam mittitur ad Venetam navem recuperandam.

At varia ea tempeſtate accidere, quibus immutari rerum facies poſſe

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1595 *Amurathis Turcarum Imperatoris obitus, & Mehemetis acceſſio.*

poſſe videbatur. Nam, Amurathe, Turcarum Imperatore; vita functo, Mehemetes filius ſucceſſerat, vir, qui alias indomitæ atque efferæ mentis ſigna dederat; ex quo magna ſpe Turcæ evehebantur, fore, ut proavum Suleimanum imitaretur, qui vel animi fortitudine vel rerum geſtarum gloria, nominis ingentem celebritatem ad poſteros tranſmiſerat. Ac licet Aſſanes Cicala ad novos motus in Perſidem deſignatus fuiſſet, attamen in Pannonia totius belli pondus, vel expeditionis facilitate, vel Cæſaris virium imbecillitate, vertebatur; Byzantioque Venerii legati literis afferebatur, Mehemetem Hadrianopolim triginta aureorum millia ad caſtra ſupplenda miſiſſe; ex intimo ærario (*Caſna* Turcis vocitato) deprompta octingenta ac quinquaginta millia in Pannonicum bellum extraxiſſe; Ferratem imperatorem deſignaſſe, quem Agriam invaſurum fama percrebuerat. Galliam vero quamvis Regis converſione, bellorum defatigatione, pacis deſiderio quieturam ſperaretur; tamen quum Hiſpani Clementis animum ab Henrico avertere, perduelles adhuc fovere, novis apparatibus invadere meditarentur; hinc turcicis, inde Gallicis rebus magna ſuſpenſione Principum animi detinebantur.

Ferrates Turcarum copiarum imperator a Mehemete deſignatur.

Paſchalis Ciconiæ Principis obitus.

Quo rerum ſtatu Paſchalis Ciconia, Princeps, cum novem annos Reipublicæ præfuiſſet, exceſſit, religionis, prudentiæ, humanitatis, qua mirum in modum excelluit, gloria percelebris. Supremam Reipublicæ dignitatem tres inſignes Senatores petebant, Jacobus Fuſcarenus, Marinus Grimanus, Leonardus Donatus, Equeſtris ac Procuratoriæ dignitatis cives, cunctos honorum gradus præcipua virtutis ac meritorum laude emenſi. Fuſcarenum, qui ætate reliquos anteibat, maximiſque in rebus verſatus, vitam in gerenda Republica exegerat, duo maritima imperia præſertim nobilitabant; alterum turcico bello, alterum ſuperiori anno delatum. Marinum Grimanum commendabant vitæ innocentiſſime actæ fama, inſita quædam ad cunctorum ordinum ſibi animos conciliandos affabilitas, ingenua in pronuntianda ſententia cum eloquentia minime quidem fucata libertas, magiſtratus cum domi tum foris præclare geſti. In Donato morum eximia integritas ſeveritaſque priſcorum æmulatrix elucebant, regendarum rerumpublicarum mira ſcientia, uſu rerum in graviſſimis gerendis negotiis comparata prudentia; nam ſu-

ſuperiore bello in Hiſpaniam legatus fuerat, romanam legationem ſæpius, præcipuoſque magiſtratus cum urbanos tum provinciales obiverat. Eximiis hiſce virtutibus fortuna quoque ipſa favere videbatur, quod in ea involuta comitiorum ratione plures reliquis ſuffragatores ſortitus eſſet. Competitorum præſtantia, Patrum varii affectus electionem protraxere, cum, præter morem, decem ac ſeptem dies in conclavi morarentur: quæ res collegii Patres impulit, ut ſcripto graviſſimis Reipublicæ negotiis exaratis, ad novum Principem renuntiandum electores incitarent, quod, defuncto Principe, ex lege, niſi ſucceſſore creato, Senatus cogi non poterat. Tandem nono kal. maji Marinus Grimanus Princeps creatus, ingenti adeo civitatis lætitia, ut inſuetis acclamantium populorum vocibus, illius ac familiæ undique nomen perſonaret; eoque infimæ plebis levitas prolapſa eſt, ut tribunalia magiſtratuumque publica ſedilia in medium abſtracta forum concremarit: neque alio unquam tempore adeo ſeſe popularem licentiam libidinemque extuliſſe memorabatur: Qua ex re quinque corrigendis legibus Senatores præfecti, his initiis, ne peſſimo exemplo eſſent, obviam eundum cenſuere. Majoribus comitiis ſeverioribus legibus in petendo principatu ambitus coercitus, electoreſque arctiori ſacramento obſtricti: veteri quoque conſuetudini, ne, defuncto Principe, concilia cogerentur, modus adhibitus: Præconſultoribus ac Decemviris ea comitia interdicta: gravioribus in rebus, quæ ad Reipublicæ ſtatum attineant, Decemvirum collegium ac Senatum vocari poſſe, latum. 1595

Marinus Grimanus Dux eligitur.

Lex de Præconſultoribus & Decemviris ad comitia Ducalia non admittendis.

Graves ab inito Grimani principatu inter Clementem ac Venetos ob Cenetenſes controverſiæ ortæ, quæ poſtea per multos annos Senatum exercuere. Ii cum in ipſimore Venetarum ditionum ſinu ſiti ſint, non abs re futurum exiſtimo, ſi ad ea, quæ de civitate Cenetenſi ſupra narravi, nonnulla hoc loco attexam. Illud ſane compertum eſt cum maritimis rebus Veneti inclaruiſſent, atque in remotas Europæ Aſiæque regiones ſigna ſuſtuliſſent, tum demum imperium in continentem ad finitimorum injurias propulſandas protuliſſe; qui cum æquo animo præclaram florentemque Rempublicam aſpicere non poſſent, in æſtuariis ſitam urbem omnibus, qui

Cenetenſes contentiones.

in

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1595 in ea influunt, obruere conabantur ; ſæpius inde altercationibus finium obortis, dimicari, ſuperiores Veneti imperium ſenſim armis proferre. His addebatur, quod, Galliæ Ciſalpinæ ac Venetiæ civitatibus plerumque a Regulis occupatis, qui cuncta ad ſe trahendo, intolerando jugo ſubjectos premerent, populi prægrave dominatum peroſi, Venetorum æquitatis ac juſtitiæ fama ducti, iis ſe penitus committerent; inde partim ſpontanea deditione, partim armis auctum imperium. Ita Tarviſinorum regio Venetis acceſſit, quæ a ſolis exortu Liquetia amne a Forojulienſibus, ab occaſu Muſone a Patavinis ſejungitur; ad ſeptemptrionem montes objectos in Carnorum finibus habet; a meridie vero eodem Muſone clauditur. Quatuor civitates ea regio continet; Tarviſium, quod Silis amnis abluit; Feltrium, in montium faucibus non longe ab Anaxo; Bellunum, in boream magis obverſum, ad eumdem Anaxum ſitum; demum Cenetam, haud procul a Serravalle oppido poſitam. Altini, vetuſtæ & claræ urbis, cujus meminit Plinius, haud longe ab æſtuariis inter Silim ac Zerum amnes, optimis lanis celebris, incerta tantum veſtigia extant. Opitergium, Anaxum ultra ad Monteganum amnem, olim amplum ac celebre oppidum, nunc intra anguſtos terminos coactum.

Tarviſianorum regionis fines.

Cenetam Veneti, Pannonibus pulſis, armis ſubegere. Ludovicus Ungariæ Rex, anno M. CCC. LVIII. pace Jaderæ ſancita, inter alia Cenetenſium locis, ſuiſque in iis juribus, Dalmatiæ parte recepta, Venetis ceſſit. Poſt Genuenſe bellum, Auguſtæ Taurinorum anno M. CCC. LXXXI. pace cum Ungariæ Rege, Genuenſi, Carrarienſibus, Patriarcha Aquilejenſi a Republica icta, Venetorum cum Leopoldo Auſtrio pacta, Tarviſium & Ceneta excepta ſunt. Anno inſequenti Carrarienſes, Tarviſio ac Ceneta occupatis, uſque ad annum M. CCC. LXXXVIII. potiuntur; quo anno, fœdere inter Venetos ac Joannem Vicecomitem, Inſubrum Ducem, percuſſo, Carrarienſibus pulſis, eædem urbes cum oppidis agriſque ad Rempublicam rediere; Cenetenſeſque procuratores ſe jurejurando Venetis devinxere. Sigiſmundus Ungariæ Rex M. CCCC. XI. denuo occupavit; denuo Veneti M. CCCC. XVIII. armis recepere. Varia inde fortuna ſequentium annorum extitit. Ea præſertim tempeſtate, qua Carolus octavus Galliæ Rex anno M. CCCC. LXXXXIIII. alpes tranſgreſſus, armatus in Italiam deſcendit, omnia divina humanaque jura permixta; donec anno M. D. XXI. in Wormaciæ civitate induciis pactis, reſpirari cœptum, quibus inter cetera cavebatur, ut quæ tunc extra Carnos loca Principes obtinerent, ab eorum locorum poſſeſſione non amoverentur; quo ſane tempore Ceneta Veneti potiebantur; idque planius pace anno M. D. XXIII. Venetiis inter Carolum V. & Ferdinandum fratres ac Venetos cautum, iis quæ Wormacienſibus induciis exprimebantur, confirmatis. Quæ omnia poſtremo, anno M. D. XXVIIII. Bononiæ inter Carolum ac Rempublicam inita concordia, cui Clemens ſeptimus Pontifex interfuit, plenius continentur; cum quidquid tunc Veneti poſſidebant, pacis legibus confirmaretur; nec dubium, quin Tarviſium, Ceneta, aliaque ejus regionis loca iis tunc paruerint. Inde continuatis temporibus Epiſcopi ac populi Venetos, uti Principes, agnovere; ad eos confugientes, auxilium atque opem experti ſunt. Antiſtitum obitu cuſtodita a Venetis arx: vel bello vel belli ſuſpicione oborta, in agro milites caſtrametati, incolæ pendere vectigal juſſi; pace, ad Medoacum amnem excavandum (infinitum prope opus) evocati, ſal exhibitus, exortæ inter incolas atque Epiſcopos controverſiæ, vel datis judicibus, vel ab eodemmet Senatu definitæ; in poſſeſſionem publicis literis Antiſtites miſſi. Inde auctæ ſub ſalubri Reipublicæ imperio populorum divitiæ, Antiſtitum auctoritas, religionis cultus. Nec ante Paulum III. Summum Pontificem, qui hiſce de rebus verbum faceret, priſquam fuit. Anno M. D. XXXXV. cum populi Marini Grimani, Epiſcopi & Cardinalis, imperium ferre non poſſent, Principis Patrumque afflictis rebus opem imploraſſent, majoribus Comitiis (uti antea ſuo loco diximus) Jacobus Surianus prætor Cenetenſis eſt creatus. Id cum æquo animo ferre Cardinalis nequiret, ad Pontificem confugit, qui acriter cum Senatu conqueſtus, tandem, Grimano qui novitatum cauſa exciterat vita functo, obtinuit, ut, abdicato prætore, in priſtinum cuncta ſtatum redirent. Grimano haud multo poſt Michael Turrius ſucceſſit; exinde antiqui ſequentes Pontifices arripue-

1595

re;

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1595 re; licet eo Senatus consulto nihil Reipublicæ juribus derogatum fuisset; quæ sicuti transactis temporibus jus atque auctoritatem Episcopis impertiverat, ita supremo se nunquam imperio abdicaverat; sæpiusque novatores turbatoresque represserat: quæ omnia publicis consignata tabulis inspiciuntur.

Duabus autem discissa factionibus civitate, invicem sanguine cædeque sævientibus, dum ab Aloysio Mocenico Antistite hoc fere tempore judicium instituitur, a Pontifice alterius partis cives impetraverant, ut Apostolicæ Sedis apud Rempublicam Nuntio eæ omnes controversiæ delegarentur, procuratorque pontificius, qui in ambas factiones inquireret, Cenetam mitteretur; qui varia edicta ad urbis regimen, atque ad extorres præsertim spectantia pronuntiaverat. De his Senatus certior factus, ne quid in ea civitate Respublica detrimenti capiat, statuit. Decemviri procuratoris pontificii acta rescindunt, judicium ad se avocant. Interim Mocenici Antistitis decreto bona, quæ beneficiario jure communiter possidentur, vendi, aut quacumque ratione alienari vetat. Eam ob rem tres Romam a Cenetensibus oratores mittuntur, qui negotium Aquilejensi Patriarchæ committendum curent. Ii Venetias adcersiti, ne in posterum alios Principes, præter Rempublicam adeant, monentur. Re, ut videbatur, ex sententia confecta, nova a Clemente mandata Laudensi Episcopo superveniunt, quibus, si qua in re Cenetenses læsos se esse existiment, ejus rei, donec aliter statuat, judicium permittit. Cenetensium interim legati Venetias accedunt, afflictas perditasque fortunas suamque vicem dolent, calamitatibus auxilium implorant: judices Senatus daret, qui earum causas cognoscerent, auctoritate ac potentia præsidio essent. Senatus consultum fit, quo civilium judiciorum ad Novos Auditores, capitalium ad Advocatores provocandi jus Cenetensibus conceditur; decreti exemplar in acta eorum concilii referri jubentur. Eam legem Patres Mocenico Antistiti significant. Oratores, consilio adcersito, in publicas tabulas redigi Senatus consultum curant.

His valde commotus ac perturbatus Clemens factum cum Paulo Paruta, oratore, exaggerat: *Spretam auctoritatem, proculcatam dignitatem, egregiæ suæ in Rempublicam voluntati mi-*

nime responsum; adeo manifesta jura Ecclesiæ esse, ut rescindi nulla ratione queant: non hæc tempora esse, ut in christiana republica, intestinis lacerata discordiis, bello a communi hoste petita, controversiæ exsuscitentur: nunquam hujusmodi injuriam se passurum: Senatui scribat, legem abroget, eam unam viam ad rem componendam fore. Legatus ingenii dexteritate atque leni quadam dicendi vi, qua plurimum poterat, perturbatum Clementis animum sedare nititur: *Reipublicæ jura nunquam in dubium vocata, nusquam perturbata ab illius præcessoribus fuisse; non tantum irarum meritam Rempublicam, quæ illum uti parentem eximia pietate atque observantia coleret; si cui dolendum, Venetis profecto dolendum, procuratorem Cenetam missum, causarum judicem Nuntium declaratum, alia pleraque Reipublicæ rationibus adversa perpetrata. Quid faceret Senatus, nisi læsus injuriam propulsaret, atque aliqua ratione, ne possessione depelleretur, curaret?* Aliis hinc atque inde dictis, in sententia Clemens persistit. 1595

Eodem tempore nuntiatur, binas literas, quas *monitorias* vocant, Cenetam delatas; alteras ad commune consilium atque oratores minarum plenas, quibus tridui spatio Senatus consultum delere jubebantur; id ni faciant, anathema latæ, ut ajunt, sententiæ privati subeant, læsæ majestatis rei habeantur, bona publicentur, civitati sacris interdicatur: alteris oratores viginti dierum spatio Romam, uti perduelles, Ecclesiæ turbatores, eorum, quæ egerint, rationem reddituri, in jus vocantur; nisi adsint, excommunicationis vinculo innectantur, cunctis ecclesiasticis ditionibus exilio ejiciantur, bonis publicatis, ædes complanentur, cunctisque vel temporariis vel æternis pœnis subjiciantur. Vix dici potest, quam Patrum animi, his cognitis, exarserint: durum atque acerbum Pontificis consilium damnare; inauditatum tractandi genus criminari: omnia tamen prius experiunda, quam in apertas contentiones erumpendum, e re communi esse ea tempestate existimabant. Itaque Parutæ præcipiunt, ut ratione, prece, querelis Clementem ad salubriora consilia perducere nitatur; ut amice negotium agitari possit, literas revocari curet. Interea quinto idus julii adversus eorum leges

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1595 atque inſtituta Cenetenſes aliquot, fulminis pontificii metu perterriti, ex quatuor uno tantum decurione præſente, ſub veſperam concilium cogunt. Decurio ſcribam e tabulis auferre decretum jubet. Eos, qui aderant, an ita vellent, ſcriba ſciſcitatus, obmuteſcentibus cunctis, atque horrore correptis, decurione imperante, mandata exequitur. Ea re in itinere ab oratoribus cognita, cum nondum concilium dimiſſum intelligerent, ſi qua ratione præceps ſiſtere conſilium, geſtaque reſcindere poſſint, nituntur. At rei difficultate, civium timore, tenebris quoque nocturnis deterriti, rem, uti geſta erat, Venetias reverſi exponunt.

Eodem tempore Roma legati literis nuntiatur, Clementem nullis victum rationibus, decem Cardinalium collegio coacto, de Senatu acriter conqueſtum, negotium commiſiſſe, quæ ad cauſam ſcripta attinerent, exhibuiſſe; nihil niſi ex eorum conſilio, uti graviſſimis in rebus aſſolet, decreturum dixiſſe; rem diligenter expenderent, ut poſtea ſententiam ei ſignificent. Varia a Purpuratis (ut præconſultores facile, quo inclinant Principes, propendere ſolent) ſevera atque acerba in Venetos jactata. Aragonium tantum Clementi ſuaſiſſe ferebatur, parumper nimio agitatam ardore mentem ſedaret, nihil feſtinanter ageret, ſecum reputaret, difficillimis temporibus, dum Galli in foribus Italiæ prope ſint, Turcæ ingenti conatu Pannoniam invadant, quam chriſtianæ reipublicæ conduceret, gravia hæc diſſidia cum Venetis alere, eorumque exulceratos animos ab ſe prorſus alienare. At Patres publicis rationibus conſulendum rati, acta in Conſilio Cenetenſi Senatus conſulto reſcindunt, decurionem & ſcribam, uti majeſtatis reos ab Advocatorum magiſtratu in jus vocari jubent; ni ſe coram ſiſtant, octo elapſis diebus, in eos ex lege animadverſum iri. Cenetenſium oratorum probata conſtantia, cohortationes additæ, quibus ad fidem atque obſequium in Rempublicam incitarentur; eorum res ut ſartæ tectæque forent, Senatum curaturum. Parutæ injunctum denuo, Pontificem aggrediatur: *quantam ex iis, quæ acta ſint, Patres moleſtiam acceperint*, exponat; *ſubjectorum tutelam, majorum jura, imperium deſerere non poſſe: id & Principes decere & immotum Senatui eſſe: nihil ob id de*

de ſingulari reverentia, qua Apoſtolicam Sedem Veneti proſequuti ſint, detractum arbitrari, qui pro ea tuenda atque augenda non theſauris, non viribus, non ſanguini ullo unquam tempore pepercerint: concitatam mentem reprimeret, æſtus omnes animi ablegaret, ut pacate ac tranquille negotium agitari poſſet: non in ea cauſa ſuſtinendo quidquam ſibi Senatum arrogare, ſua tantum, quæ a majoribus parta per tot annorum curricula obtinuerint, retinere conſtanter velle. Legatus, ne in Purpuratorum collegio quidquam agat, monetur; unumquemque ſeorſim de cauſa deque Reipublicæ rationibus edoceat. Adjecta etiam cum Petro Aldobrandino ac Cynthio divi Georgii Cardinalibus, Clementis nepotibus, officia. At Auguſtini Valerii Veronæ, Joannis Franciſci Mauroceni Brixiæ Cardinalium in patriam conſueta pietas eluxit, qui cauſam acriter tutati, optimorum civium decus tulere, iiſque a Senatu gratiæ actæ. Tot adhibitis machinis, nutare jam Clemens, iratum animum compeſcere, aures præbere, poſtque varios cum legato ſermones, tandem, ut monitoriæ literæ, quæque a procuratoris pontificii miſſione geſta ſint, aboleantur, mox negotium pertractetur, proponit. Iis cum publicis rationibus nequaquam offici, propterea quod poſſeſſionis jus non immutaretur, Senatus intelligeret, adſentit: inde inter Principes amice diſceptari cœptum. Hæc in Cenetenſibus eo anno. 1595

Amurathe vero Turcarum Imperatore (ut diximus) extincto, Mehemetes filius regnum ingreſſus, ſtatim Uſſainum *Ceſnegirium* (quod turcica lingua dapiferum ſignificat) multæ exiſtimationis virum, utpote qui in Suleimani aula educatus fuerat, ad Senatum miſit. Is turcica lingua, Michaele Membrejo interprete, legatione expoſita, Regis literas officii atque honoris in Rempublicam plenas exhibuit, quibus patris obitu, regni ſucceſſione expoſita, ad pacem vetuſtis conditionibus confirmandam paratum ſe eſſe ſignificabat. De more ædes tributæ, victus e publico datus; ipſe aureis Venetis mille, comites veſtibus donati. Statim ab Amurathis exceſſus nuntio Leonardus Donatus ad Mehemetem legatus deſignatus fuerat; qui bellis infeſto ac ob id nequaquam tuto itinere, cum per Serviam, Macedoniam, ac Thraciam

Uſſainus Ceſnegirius a Mehemete Venetias mittitur.

Leonardus Donatus orator Byzantium profectus, pacem cum Turcis inſtaurat.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1595 Byzantium tuto contendere non poſſet, ut mari navigaret, Senatus juſſit. Binæ illi, Antonio Juſtiniano damnatorum præfecto, triremes datæ, quibus in Aegæum ad eum locum, quem *Borci* vocant, æque Theſſalonica ac Byzantio diſtans delatus, reliquum itineris terra conficeret. Perhonorifice Byzantii Donatus exceptus, Mehemeti gratulatus, pacem veteribus conditionibus ſumma cum Reipublicæ exiſtimatione ſancivit. Ad eam firmandam haud parum temporum conditionem contuliſſe compertum fuit; quod tunc ancipiti bello Pannonico ac Dacico Turcæ premerentur, omnium mortalium mentibus, ac præcipue Italiæ Principum, in eorum exitus obverſis.

Joannes Franciſcus Aldobrandinus cum copiis pontificiis in Pannoniam mittitur.

Clemens ad opem Cæſari afferendam intentus, Ioannem Franciſcum Aldobrandinum, nepotem, ſuperiore anno in Hiſpaniam miſerat, ut Philippum pecunia & copiis ad Rodulphum juvandum hortaretur: eumdem poſtea eccleſiaſticarum copiarum imperatorem creaverat, duodecimque peditum millium delectu in ſuis ditionibus juſſo, equitum validam manum adjecerat. Quatuor ſacerdotibus decumas in Italia injunxerat; cumque Reipublicæ octonas, quæ in aſſiduos ſumptus atque in nova erigenda arce erogarentur, exigendas conceſſiſſet, quinquaginta aureorum millia ſacratis viris ob Pannonicum bellum, permittente Senatu, indixerat. Aldobrandinus Venetias in itinere acceſſit, liberaliterque habitus, per Veronenſem agrum, ac Tridentinos ſaltus in Pannoniam contendit. In ſuperiore Maximilianus Cæſaris frater, Tiphembachio, in inferiore Matthias, Carolo Mansfeltio vices obtinentibus, bellum gerebant.

Carolus Mansfeltius in Strigonii oppugnatione abiit.

Mansfeltius Strigonium aggreſſus, veterem civitatem capit; novam cum arce quatit; divi Thomæ collem occupat; Turcas ſubſidia obſeſſis afferre conantes diſſipat, cædit; propugnatores, colloquio petito, re infecta, diſcedunt. Inde Cæſarei acrius muralibus tormentis mœnia urbis arciſque dejiciunt, perque ruinas aſcenſum moliuntur. At jam prope certa victoriæ ſpe Mansfeltius febre ac dyſenteria correptus excedit; vir priſcæ diſciplinæ, militaris gloriæ illuſtris. Ei Burgravius caſtrorum Magiſter ſuccedit; Cæſarei ea civitatis parte, quam vulgo ad aquas vocant, potiuntur. Jam in ſuppleplementum copias Matthias adduxerat, Italique ſupervenerant. Cæſareani in urbem irrumpere conati ac repulſi, tabulatis, cratibus, aliiſque ad arcendos ignes tecti, ſuffoſſa ligonibus humo, propius ſuccedunt; hoſtili munitione, ex qua proſpectus in arcis aream erat, occupata, magno impetu cuncta proſternunt. Inde hoſtes, ardore reſtincto, de concordia agunt. Cæſareani deditione kal. ſeptembris Strigonium recipiunt; propugnatores ex pacto cum acinace ac ſarcinis, quantas ſinguli ferre poſſent, ſecundo amne Budam abire permiſſi. Diverſa ex parte Græciæ Beglerbegum cum vigintiquinque millium bellatorum copiis Sigiſmundus Battoreus fregerat. Valachiæ Regulus, magno incolarum ac Dacorum numero coacto, Danubio trajecto, obviis Turcis profligatis, uſque Nicopolim delatus, eam urbem diripuit flammiſque abſumpſit. Dacus Lippam occupat; Sinanem octoginta millium copiis Danubium ponte tranſgreſſum adortus, multis cæſis, ſe recipere coegit. His proſpere Cæſari affluentibus, ſuperioris anni compenſari clades; ac jam vetus ea ſententia obſoleſcere cœpit, qua pleriſque perſuaſum erat, terreſtribus præliis invicta Turcarum arma eſſe, cum profligati exercitus, captæ urbes, vaſtati agri, ac prope in viſcera Ottomanici imperii invecta Chriſtianorum arma cernerentur.

Strigonium a Cæſareanis deditione captum. Turcæ a Battoreo & Valachiæ Regulo profligati.

Ea in cauſa erant, ut cum omnes conatus in Pannonico bello Mehemetes novus Imperator intenderet, navalium rerum cura prætermiſſa, maritimæ Turcarum vires languerent; neque prævalidas, uti antea aſſueverant, claſſes emitterent. In id vero Hiderus, Ramadani Baſſæ nepos, Mehemet Leptitanus olim præfectus, atque Aſſanes, maritimarum rerum peritiores, conſenſerant, ut, triginta triremibus eductis; decem ad Rhodi Alexandriæque maria tutanda adhiberentur, totidem Cilicum cuſtodirent; reliquæ Methonem abiegarentur. Conſilio de mittendis in Peloponneſum triremibus cum acriter Venerius legatus obſtitiſſet, quod inde cum noſtris diſſidia exoritura, rem alias tentatam, atque prætermiſſam diceret, a ſententia diſceſſere. Byzantio vero quadraginta tantum triremibus ſtipatus Aſſanes Cicala egreſſus in Peloponneſum Pylum uſque, nulla præclara re geſta nullo illato Chriſtia-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1595 *Patræ ab Hiſpanis direptæ.*

nis damno, ſe intulit; cum eodem tempore Hiſpani quatuordecim Neapolitanis, octo Siculis triremibus, Petro Toletano duce, Patras oppidum, in quo prædivites nundinæ habebantur, diripuiſſent. Ea Turcarum vel incuria vel difficultate excitati Patres, de levanda ab immenſa prope ſumptuum mole Republica cogitarunt. Itaque Senatus conſulto latum, ut Italicus in Creta peditatus, qui ſex millibus conſtabat, ad quatuor millia redigeretur. Inde omne ſtudium ad novam arcem ſtruendam conferebatur: miſſi in Carnos Julius Saornianus, quem Senatus munitionibus cunctis præfecerat, ac Ioannes Baptiſta Montius, peditum imperator, qui totam ædificandi rationem inſpicerent, conſultoque legato, quæ ad opus conficiendum neceſſaria arbitrarentur, curarent. Ac ne ſtruendæ Palmæ pecunia deeſſet, ut vectigalia in ſingulas libras aſſe uno augerentur, latum: quidquid ex ea pecunia in ærarium perveniret, in Palmæ tantum ſumptus erogaretur.

Veneti ad Palmam conſtruendã novum vectigal imponunt.

Bellum inter Hiſpanos & Gallos.

Dum hæc geruntur, bellum palam ab Hiſpanis Galliæ indicitur. In Veromanduis, Morinis, Burgundiæ ducatu, & comitatu varie pugnatum. In Veromanduis Hiſpanicus equitatus a Bullionio cæſus. In Burgundiæ comitatu, qui Hiſpaniæ parebat, oppida atque arces nonnullæ a regiis occupatæ, a Caſtullonenſi Coneſtablio, Inſubrum gubernatore, in eam provinciam cum Hiſpanorum ac Neapolitanorum copiis profecto, recuperantur. Bironius Mareſcallus obſidione Beonam occupat. Exemplum vicina oppida ſequuntur. Rex in Burgundiam profectus, Coneſtablium ſeſe recipere cogit. Eodem ferme tempore Vienna ei accedit. Interea Fontanus Comes in Morinis Sciatelettum, Dorlanum, & Cameracum capit. Interim Maynius ad fidem Henrici confugit, ſingulari clementia ſuſcipitur. Fœdere profligato atque extincto, nova rerum facies aſſurgit. Rex Feram obſidione cingit, Hiſpanos præſidium inferre conantes disjicit, cædit. Neque inter armorum ſtrepitus pacis ſtudia deſerit: populos venia, Principes clementia, cunctos humanitate allicit: toties a Clemente repulſam paſſus, perſtat, ac quacumque ratione eum ſibi conciliare ſtudet; id & religioni, quam profeſſus fuerat, conſentaneum, & ad pacem in Gallia ſtabiliendam neceſſarum ratus.

Maynius Dux ab Henrico in gratiam receptus.

Hiſpani ad Feram ab Henrico cæſi.

Ita-

1595 *Henricus Rex Ebroicenſem Epiſcopum Romam mittit*

Itaque ut extremum Pontificis voluntatis periculum faciat, Ebroicenſem Epiſcopum Romam mittere ſtatuit; in itinere Venetias divertere jubet; cum eo Andreas Haraultius Meſſius, antea apud Rempublicam ordinarii oratoris munere functus, legatus a Rege venit, ut de anni præteriti perhonorifica ad eum miſſa legatione Senatui gratias ageret. Ebroicenſis quæcumque in mandatis habebat, quæque ei Romæ agenda erant, Henrici juſſu Patribus exponit; ut ei ſuffragari apud Clementem velint, petit; nihil vel ad Apoſtolicæ Sedis amplitudinem præſtantius, vel ad Galliæ regni incolumitatem illuſtrius, vel ad rempublicam chriſtianam egregium magis accidere poſſe, quam ſi omni heoricæ virtutis genere excultus invictuſque Rex, Apoſtolicæ Sedis ulnis ſinuque excipiatur; cujus majores, rebus præclare pro Eccleſia geſtis, ſibi Chriſtianiſſimi auguſtos titulos comparaverint.

Ebroicenſis Epiſcopus & Meſſius orator Venetias accedunt.

Paulus Paruta Pont. ad Regem Galliæ in gratiam recipiendum hortatur.

In ea re Paulus Paruta omnes ingenii nervos intendere a Senatu juſſus, Clementem hortatur, *ut tandem Regem, armis ſtrenuum, clementia inſignem, gratiam ab eo inire avide cupientem, catholicam religionem profeſſum, qui demiſſiſſime ſæpius per literas perque oratores Eccleſiæ conciliari petiverat, benigne ſuſcipiat: nihil reipublicæ chriſtianæ utilius, nihil pontificio nomine dignius, nihil ad Clementis famam in omnem poſteritatem propagandam opportunius, quam potentiſſimum Regem ſupplicem ſuis provolutum genibus amplexari; eum, inquam, qui eximia virtute, militari ſcientia, aſſueto laboribus corpore, animo periculis durato, magnanima & excelſa reſpiciente, multa atque egregia pro chriſtiana religione agere poſſit. Secum ipſe cogitaret magnarum rerum oppoſitas difficultates perraras eſſe, ſemel neglectas fruſtra quæri, atque expeti. An non ejus conſtantiæ periculum ſatis factum, qui denuo exores, inſtet, precetur? neque id in ſpeciem, ut ad ſe provincias civitateſque pertrahat, cum jam toto regno poſſideatur: fœderis nomine abolito, proceres ei ac Principes acceſſiſſe, pacis ac belli leges accepiſſe. Quid igitur cunctandum? an ut, patientia in furorem, ſpe in deſperationem verſa, illi ſe dedat, qui jamdiu de Gallicana eccleſia ab Apoſtolica Sede ſejungenda conſilia coquunt. Angliam, majorem Germaniæ partem, Belgium ipſum ſatis documento eſſe, quam funeſtos exitus,*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1595 *acerba ejuſmodi diſſidia quandoque habuerint. Demum an non de Italia quoque agi, quæ, Gallia veteri religione belli paciſque artibus florenti ſervata, æquali libramento, altero veluti fulta præſidio, ſuſtentetur? Itaque Senatus nomine Clementem orare, Henricum amplexetur, Galliam labantem ſuſtineat, Italiæ & chriſtianæ reipublicæ Regem regnumque conſervet.* Ebroicenſis cum Romam perveniſſet, eloquentia, prudentia, ingeniique dexteritate ita cum Clemente egit, ut tandem, multis licet, qui Hiſpano favebant, frementibus, voti compos evaſerit. Nam Pontifex, literis Henrici perlectis, quibus ſupplex Eccleſiæ ſe adjungi petebat, atque ad ea, quæ juſſiſſet, obeunda paratum eſſe conſtanter affirmabat, Purpuratorum exquiſitis ſententiis, cum omnes fere amplectendum Regem eſſe cenſerent, atque inter eos Franciſcus Tolentanus, genere quamvis Hiſpanus, id acriter contenderet; tandem intra ſinum Eccleſiæ Henricum recipere ſtatuit; atque tertiodecimo kal. octobris, in divi Petri baſilica, collegio Purpuratorum ſtipatus, Ebroicenſem Epiſcopum ac Rainaldum Oſſatum, regios legatos, excepit; perque eos Henricus, catholicam religionem profeſſus, Eccleſiæ incredibili totius urbis lætitia ſe adjunxit. Romæ, per Italiam, aliaſque provincias publicæ lætitiæ ſigna edita. Senatus Pontifici gratulatur; Regi per literas perque oratorem publicum gaudium teſtatur. Literis Rex perbenigne reſpondit; Senatui, quod eum enixe officiis juviſſet, gratias egit.

Galli legati a Pontifice excipiuntur, & Rex Eccleſiæ reconciliatur.

Jacobi Joconſonii navigatio.

Hujuſce anni hiſtoriam haud immerito clauſerit Jacobi Joconſonii maritimum iter, qui navi ſole nuncupata, e parvo oppido in Moſchorum litoribus, quod ſancti Michaelis Archangeli vocant, digreſſus, oceani immenſo prope ſpatio ad ſepremtrionem perluſtrato, mox inde mediterraneum ingreſſus, in Adriaticum delatus, tandem ſibi ignotum intimum Venetiarum receſſum petiit. Rigentia frigore ac gelu loca commemorabat; ambientem æſtate ſupra orizontem perenni die circumagi ſolem; a ſeptembris initio in totum februarium perpetuis in tenebris deliteſcere: incolas moribus rudes, piſcatu victum quærere, prædam peregrinis venumdare, quo ſibi hyeme conſulant. Hæc omnia quamvis terræ globi ad cæleſte corpus proportione reſpondeant, priſcis igno-

ignota, noſtræ ætati reſervata ſunt; qua incognitæ quaquaverſus regiones retectæ, gentes religione, lingua, inſtitutis, moribus diverſæ, ad omnes mundi plagas obſtinata induſtria, aſſiduis maritimorum itinerum laboribus ac periculis inventæ ſunt. 1595

M. D. LXXXXVI.

ANno partæ ſalutis M. D. LXXXXVI. Patrum animi a reliquarum rerum cura ad Illyricum converſi ſunt; cum belli incendium, quo Pannonia, Boſſina, & Croatia conflagrabant, ſeſe adeo prope eos fines intuliſſet, ut pene flammis ea quoque provincia corriperetur. Nam cum diu de Cliſſa, munitiſſima arce, occupanda Uſcochi agitaſſent, eaque de re cum Politiæ Comite, qui a Turcis defecerat, egiſſent, centum ac quinquaginta ſibi ex ea ditione adjunctis, noctu per inſidias arcem ingreſſi, cuſtodes obtruncant, ac momento oppido potiuntur. Poſtridie ſexdecim Uſcochorum myoparones ſubſidio ſuperveniunt; Cæſaris vexillo ſublato, extemplo caſtellum Papæ nuncupatum deditione recipiunt. Cliſſæ ſuburbia ſolo æquant, commeatus invehunt, ſeque ad Turcarum impetum ſuſtinendum comparant. Ea omnia cum Joanne Alberto, Spalatenſi duce, qui novarum rerum cupidus una cum Vincentio Cincio, Franciſco Martinio, Nicolao Novato, aliiſque ejus ſociis, Uſcochis ſe adjunxerat, confecta fuiſſe nuntiaretur, rebantur Patres, ne eo vel ad pacem perturbandam aditus fieret, vel ſaltem Cæſareanorum ac Turcarum concurſui his in locis belli ſedes conſtitueretur; medios vero inter ſe amicos Principes gerere, ab omnique ſuſpicione immunes præſtare difficillimum rebantur. Hinc publica pietas urgebat; inde cum potentiſſima gente diſſidia ante oculos obverſabantur. In hac rerum perplexitate in eam cuncti ivere ſententiam, ut Benedictus Maurus, qui januarii initio legatus in Illyricum deſignatus fuerat, in provinciam proficiſceretur, ſubjectos in officio contineret: ut a Cliſſa abſtinerent, neque obortis ſe immiſcerent tumultibus, curaret: in eos, qui Uſcochis faviſſent, animadverteret; qua ſeveritate, qua clementia in munere ſibi delato uteretur. Porter copias ac triremes, quæ in Illyri-

1596

Cliſſa ab Uſcochis occupatur.

Benedictus Maurus in Illyricum legatus mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1596 lyrico erant, trecenti Itali pedites, Mario Gazio, Moretti olim Calabri filio, præfecto, tributi.

Illyrici fines & incolarum mores.

Locus expoſcere videtur, quoniam ſæpius de Illyrico verba habenda ſunt, ut brevibus de ſitu, incolarum moribus, urbibus ejus regionis, pauca quædam perſtringam. Illyrici fines priſcis tempeſtatibus late patuiſſe conſtat; quidquid enim Italiæ ac Germaniæ ſuperioris finibus ab occaſu; ortu Macedonia, Thracia, Epiro; ſeptemtrione Danubio; meridie Adriatico continebatur: id omne Illyricis tribuebatur. Noſtra tempeſtate, qua Illyricum a Dalmatia non ſejungitur (quamvis veteribus, ut ex Appiano liquet, Dalmatæ partes Illyricorum ſint) arctioribus finibus, Iſtria nempe, Epiro, Boſſina, ſuperoque mari coercentur. Appiano & Plinio a Delminio vetuſta civitate nomen Dalmatia accepit. Gens procera, prævalida, laboris patiens, animo elata, faſtu, quem inde a Diocletiano trahit, tumida; perpetuis inter nobilitatem ac plebem diſſidiis afflicta. Præcipuæ in ea urbes ab oriente Epidaurum, *Raguſium* hodie, priſcæ Epidauri colonia, quondam Venetis ſubjecta, hac tempeſtate in Reipublicæ formam redacta, in Turcarum Imperatoris tutela, cui duodecim millium aureorum vectigal quotannis pendit, conquieſcit. Salona, inſigne olim emporium, in litore ſita, poetis percelebris, cujus modo priſcæ amplitudinis exigua veſtigia cernuntur. Ex ea Spalatum, colonia, prodiit, nunc archiepiſcopatus ſedes, cujus jura in Boſſinam atque aliquot Croatiæ loca extenduntur. Inde Tragurium, reliquis Dalmatiæ civitatibus, agro ſuperiore bello retento, fortunatius, oppoſitam inſulam cognomine Buam habet. Ulteriori in orientem excurſu Sicum Ptolemæo, hodie *Sebenicum*, inter Scardonam & Tragurium inſpicitur, ob perennes aquæ fontes ei natura negatos, forſitan ita nuncupatum. Scardona ſequitur, priſcæ Scardonæ colonia, portuſque ad Tirum amnem, vulgo *Cercam*, quo priſca Dalmatia olim a Liburnia ſejungebatur; licet ambæ eodem Dalmatiæ nomine modo comprehendantur. Liburniæ olim caput Jadera erat, quæ archiepiſcopatus dignitate fulgens, ſitu, munitione, in quam immenſo Reipublicæ ſumptu excrevit, propugnaculum totius Dalmatiæ habetur. Haud longe Oenona, vulgo *Nona*, jacet, turcico di-

diruta bello, incolis fere vacua, ab epiſcopatu nomen tantum civitatis retinens. 1596

Ut ad inſtitutum redeam, Spalato ante turcicum bellum Salonæ turris, prope ejuſdem nominis amnem, in veteris urbis ruinis ſita, Saxique arx, quæ inexpugnabilis habebatur, parebant; quibus ab hoſtibus occupatis, Spalatenſium agrorum termini valde imminuti, atque ad duo tantum paſſuum millia redacti ſunt. Quinque a Spalato paſſuum millibus ad ſeptemtrionem Cliſſa aſſurgit, Boſſinæ & Croatiæ munimentum; ex qua ad eas provincias invadendas aditus patet, ad bellum alendum tunc opportunior, quod, Strigonio anno ſuperiore capto, nutare haud parum Cæſareanorum fortuna videbatur; militum fervore tepefacto, imminutis copiis, Italorum flore, quod Germanorum inſolentiam conquererentur, dilapſo; in Dacia tumultu, Sigiſmundo abſente, a Stephano Battoreo, cui Joannes Samoſius, magnus Sarmatiæ ſcriba, favebat, concitato. Quapropter cum inter Rodulphum ac Mehemetem de concordia agitari variis rumoribus ferretur, timendum erat, ne belli pondus in ſubjectos Reipublicæ, quorum plerique iis, quæ ad Cliſſam geſta erant, interfuerant, incumberet. At Spalatenſium animi Cliſſæ ſucceſſu ingenti ſpe, novandarumque rerum deſiderio incendebantur; ac Nicolaus Marulus, civitatis orator, qui tunc Venetiis erat, privatim ac publice de finibus patriæ proferendis ſermones ſerebat. Salonæ ac Saxi arces annona vacuas, ſubſidiis impervias vix per paucos dies prohiberi poſſe, quin brevi in Uſcochorum manus concederent. Eadem a Jacobo Tartalea proponebantur. Verum hæc ut in ſpeciem utilia, nec difficilia factu, ita tanti exiſtimanda non erant, ut inde publica quies in periculum adduceretur. Haud dubiis interim argumentis Clementem eorum omnium, quæ ad Cliſſam acciderant, conſcium non modo, ſed fautorem auctoremque extitiſſe cognitum eſt: Anconæ ſulphuris pulveris cadis aliquot aliiſque belli apparatibus celoces, quæ in Illyricum trajicerent, oneratas: præfecti Anconitani juſſu malos velaque navigiis reliquis adempta, ne de iis, quæ fierent, rumor diſſiparetur. Quæ omnia ab eo fieri ſatis conſtabat, ut Rempublicam ad arma cum Turcis conſerenda vel utilitate alliceret, vel neceſſitate compelleret. Maurus legatus in provinciam profectus, cuſto-

Clemens Pontifex Illyricos tumultus sopit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1596 ſtodiæ Spalati, Cliſſæ propinquæ urbi, incumbendum ſtatuit cumque ejus adventu plerique conſcientia territi, e proximis caſtellis dilapſi, intra montium receſſus ſeſe abdidiſſent; ne præcipites deſperatione ſubjectorum animi agerentur, maturitate & cunctatione utendum cenſuit; atque ita conſilia expedivit, ut neque Turcis ſuſpectus, neque a Cæſareanis alienus videretur.

Cliſſa a Turcis oppugnatur.

At Turcæ ſtatim a Cliſſæ eventu octo peditum millia ſub quinque præfectis coegerant; duo muralia tormenta a Salona perducta oppidi mœnibus admoverant; verberationemque, exiguo tamen propugnatorum damno, altero in ejaculatione tormento diffracto, inceperant. Propugnatores egregie ſe tuentur; Croatiæ præfecti ſubſidia præſtolantur, commeatuum inopia Turcas brevi, re infecta, diſceſſuros rati: id unum tantum, ne quam avertere conatus fuerat hoſtis, aqua deficeret, verebantur. Eodem tempore lembi Turcarum aliquot Narenta amne emiſſi Macarſcam uſque, ut Saxo ac Salonæ præſto eſſent, ſe intulerant. Georgium Lencovichium cum quatuor Germanorum millibus Sennia ad opem obſeſſis ferendam adventurum ferebatur. Quapropter Maurus legatus, maritimo concilio vocato, cui Philippus Paſchalicus, claſſis legatus, aliique præfecti interfuere, quid eo rerum ſtatu agendum ſit, proponit. Convenere omnes, ut, in Jaderæ, Almiſſæ, ac Spalati propinquis locis claſſe retenta, per Reipublicæ ditiones Uſcochis tranſitus intercluderetur; interimque impediendane an permittenda Cliſſæ ſubſidia forent, a Senatu peteretur. Iis cognitis, Clemens acriter expoſtulare cum Delphino legato cœpit: *triremium agmine arcis ſubſidia averti: ſibi ſuadere non poſſe, eam in communium hoſtium poteſtatem Patres velle concedere: ſuppetias ſe laturum, ac tunc, quid ſtatuerent, inſpecturum.* Ad hæc legatus, *id pro certo affirmare ſe poſſe*, inquit, *nihil, niſi quod rationi, prudentiæ, religioni conveniat, Senatum decreturum: ea in re non tantum de Republica, quæ improviſo ad ingentem impenſarum molem, ad bellum cum potentiſſimo hoſte inopportuno tempore traheretur; ſed de pontificiæ Sedis, atque adeo Italiæ incolumitate agi, cujus maxime interſit, ut procul Turcarum arceantur arma, ne nimia propinquitate has regiones imminentiaque loca corripiant, ne Pannoniæ fines incendium illud egrediatur, longiuſque promanet: in id omne*

omne ſtudium intendere Pontificis proprium eſſe; Sigiſmundum 1596
Sarmatiæ Regem incitare; magnis & præclaris rebus gerendis iter ſtruere, ut tandem concurrere cuncti chriſtiani Principes ad commune incendium reſtinguendum alacres poſſint. Tum Clemens, *admodum gravia*, inquit, *eſſe, quæ Patres in ea cauſa permoveant; attamen cum de ea arce tutanda agatur, cujus chriſtianis Principibus tantum defenſio interſit, cum ſubſidia nocte invecta fuerint, diſſimulatione uti Senatum poſſe.*

Antonii Mariæ Gratiani, Pontificis Nuntii, oratio ad Venetos.

Haud abſimilia Antonius Maria Gratianus, Ameriæ Epiſcopus, Pontificis Internuntius, ejus nomine agit: *Biennio antea Cliſſa potiundi occaſionem oblatam, Reipublicæ cauſa in opportunius tempus diſtuliſſe; modo deditam tradere Reipublicæ decreviſſe; rem qui tractaverant, moræ impatientes immature confeciſſe: an facta infecta fieri poſſe? an illius defendendæ partes, uti Chriſti in terris obtinentis vicem, Clementis non exiſtere? ſumma animi moleſtia accepiſſe a Venetis triremibus ſubſidia intercludi, id a Senatus pietate ac religione, quam tantopere profiteatur, profectum ſibi ſuadere non poſſe: hortari, rogare, animo ac viribus ſeſe in communem hoſtem comparent: ea conſilia, eas cogitationes ad Rempublicam potius, quam ad alios Principes pertinere: veteres recenteſque illatas ab ea gente injurias damnaque, quorum gravia vulnera nondum coaluiſſent, expenderent, funeſta trophæa de nobis relata inſpicerent: an non hæc commovere atque incitare civium pectora generoſa debent? an non in ultionem acuere, atque ad provincias ac regna amiſſa recuperanda impellere? quid hoc tempore magis opportunum? jam invictam olim Turcarum potentiam, labantem: clades acceptas, urbes atque oppida amiſſa; militarem diſciplinam corruptam, rudes copiarum ductores, imperatores, Regem ipſum in umbratili otio educatum, non virtute, non vivido animi impetu præſtantem; inteſtina diſſidia, populos vel belli vel tyrannidis pertæſos: contra vero proſperos anni ſuperioris ſucceſſibus, Strigonio Pannoniæ præcipuo munimento capto, Chriſtianorum ſpes animoſque ſublatos. Sarmatas ad fœdus cum reliquis ineundum proclinatos; Clementem commune chriſtianæ reipublicæ bonum anhelantem, nil aliud dies noctesque agi-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1596 *agitare, quam ut, Chriſtianorum aucta potentia, barbarorum faſtus vireſque reprimantur; tot, tantiſque cauſis incitatum atque impulſum ad egregia perpetranda Rempublicam invitare, digna majoribus, digna Senatu, qui præclaris virtutis ac prudentiæ argumentis omni tempore inclaruerit.* His vehementi dicendi vi a Pontificis oratore enuntiatis, cum & Mauro legato, & Clementi reſpondendum eſſet, ejuſmodi Senatus conſultum fit. *Subſidia, quæ Cliſſam importentur, impediri non placere, dummodo ab inſulis Illyrico adjacentibus abſtineant, neque in litoribus, quæ in Reipublicæ ditione ſint, cogantur*: atque ita legato mandatum. Id Senatus decretum Clementi ſignificatur, de propenſo in Rempublicam animo, Cliſſæque arce eidem tradenda voluntate gratiæ actæ. Ameriæ Epiſcopo reſponſum: *Nihil antiquius, quam chriſtianæ reipublicæ incrementum decuſque hærere animis; ut tandem aliquando Ottomanorum potentiæ faſtigium deprimeretur, cunctos optare; fractam fidem, acceptas clades, regna, provincias, urbes amiſſas oculis obverſari: verum ingentis rem momenti eſſe, quæ neque facile explicari, neque tuto, niſi exiſtimatio atque imperium in apertum diſcrimen vocentur, confici poſſe: neque Turcarum res eo loco eſſe, quo nonnulli ſibi ſuadeant: ingentem molem, tot provinciis, regnis, viribus ſuffultam, difficulter admodum proſterni poſſe, niſi majori ardore, junctis animis atque armis chriſtiani Principes conveniant: tunc ſane Rempublicam egregia illius voluntatis in commune bonum argumenta edituram.* Ceterum quiſnam Cliſſæ exitus futurus eſſet incertum erat. Turcarum numerum augeri, ut jam decem millium ſummam explerent, renuntiabatur; propugnatoribus aqua laborantibus abunde imbribus ſubventum; in ſumma expectatione auxiliorum eſſe. Eoque maxime Patres commovebantur, quod percrebuerat, irrepere ſenſim in pleriſque rerum novarum cupiditatem; complures ex Venetæ ditionis oppidis ad Cliſſenſium partes, Cæſareanorumque militiam traduci; quodque gravius erat, ſacratos viros, religionis obtentu iis ſe negotiis immiſcere: ex Ancone Tragurium Vicarium Antiſtitis trajeciſſe, cœnobitiſque aliquot ſibi adjunctis, populorum animos ſolicitare, occultis adhortationibus incitare, niſi Cliſſanis oppitularentur, reli-

Senatus decretum & reſponſum.

religionis metum incutere. Quantum vero ejuſmodi ſtimuli poſſent, jam ſatis compertum erat; Divino numine humanis actibus inducto, percelli timore mentes, ne in rebus agendis Divini aliquid immixtum violent: id & Galliæ exemplis teſtatum, in quam religionis ſpectrum magis, quam armatæ acies, impetum fecerit. Hiſce initiis obviam eundum, ac ne ſemina neglecta excreſcerent, evellenda, rati Patres, majoribus præſidiis muniendum Illyricum decrevere. Italorum peditum ad duo millia numerus auctus; ne Urſatus Juſtinianus, Epirotarum equitum præfectus, qui jam munus obiverat, e provincia diſcederet, latum: Julius Gabriel ſucceſſor conſcendere ſtatim juſſus. Legato injunctum, ut ſi quos eccleſiaſticos viros vel novis rebus ſtudentes, vel ad ſeditionem populos concitantes inveniſſet, eos ſtatim Venetias mitteret; in alios ejus criminis reos ſevere atque acriter animadverteret. 1596

Julius Gabriel Urſato Juſtiniano in equitum Epirotarum præfectura ſuffectus.

Turcæ interea, ut Cliſſenſes ab auxiliis intercludant, quam maxime poſſunt copias augent: Cæſareani contra acrius ſubſidia urgent; in id quoque Clemens atque Prorex Neapolitanus incumbunt; Cæſar per Bernardinum Rubeum a ſecretis ac per literas a Senatu ſuis copiis tranſitum permitti flagitat; ex ſuperiori Senatus conſulto reſponſum. Eodem tempore Paulus Crucius, præfectus, Tranio cum celoce tormentario pulvere bellicoque apparatu referta digreſſus, eaque ad Liſſam inſulam relicta, lembo Spalatum pervenit, ut cum Joannis Alberti, qui præfectum ſe Cliſſæ ferebat, cognatis de importando ſubſidio ageret. Id nequaquam ferendum Maurus exiſtimans, ut adverſus Senatus decreta Venetæ ditionis homines ad res novas ab externis ſolicitarentur, eum ſtatim detineri juſſit; admonitumque, ne poſthac iis de rebus cum Reipublicæ ſubjectis ageret, ſeque ab Illyrici civitatibus abſtineret, dimiſit. Georgius Lencovichius, magna militum collecta manu, opem obſeſſis ferre adnixus, Turcarum circumſidentes copias aggreſſus, iter per hoſtes ad obſeſſos ſibi ſtruere nititur. Initio leviori certamine, tum acrius pugnatum, proſpero eventu, ni Uſcocborum agmen, quod inter ejus copias cenſebatur, prædæ aviditate illectum, victoriæ curſum intercepiſſet. Dum enim ii ad rapinam vertuntur, ani-

Georgii Lencovichii cum Turcis pugna.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1596 animati hoſtes, magno impetu in Cæſareanos illati, Lencovichium ſe recipere coegere. Qua ex re commeatuum inopia fracti, fameque impulſi, quadringenti qui ſupererant propugnatores deditionem fecere, ea lege, ut liber unicuique abitus eſſet, atque ad Tragurii fines perducerentur. Joannes Albertus in pugna ab hoſtibus interfectus; in ejus aliquot fautores atque aſſeclas, quod adverſus Rempublicam feciſſent, animadverſum; cum reliquis clementer actum, atque præteritarum rerum oblivione pacata provincia.

Cliſſa à Turcis deditione recipitur.

Interea Pragæ a Rodulpho de bello hoc anno adminiſtrando agebatur: totis viribus Solnochium aggredi, dum Dacus Temiſvarium oppugnaret, decretum; iis locis occupatis, copiis conjunctis, quas ſeptuaginta millium bellatorum ſummam conficere afferebatur, Taurunum, ad Danubium ac Savam confluentem ſitum, adoriri. Cum præter omnium expectationem Mehemetes, regni initia ab egregio aliquo facto auſpicaturus, cum ingentibus copiis in Pannoniam contendere decrevit; matre licet Sultaniſque contra nitentibus, quarum gratia, Sinane ſene defuncto, Hibraimus Baſſa Viſiratum eo potiſſimum nomine obtinuerat, quod a conſilio in Pannoniam eundi Regem avertere, operamque, ne Byzantio diſcederet, daturum, pollicitus fuerat. Omnem belli impetum Mehemetes in Agriam, ſuperioris Pannoniæ civitatem, effudit; qua, propugnatoribus licet acriter ſe tuentibus, deditione tandem potitur. Deinde ad Solnochium delatus, cum Cæſareanos una cum Daco cepiſſe Hatuanum cognoviſſet, eo contendit. At ii, oppido ad impetum hoſtium ſuſtinendum impari relicto, fortunæ aleam experiri, ac prælio decernere ſtatuunt. Id quoniam inter ea, quæ hac ætate accidere, vel bellatorum numero, vel pugnæ varietate inſigne fuit, ſummatim perſtringere libet. Non deerant initio, qui dimicandum diſſuaderent, ne horæ momento rerum omnium ſumma ambiguo eventui committeretur, cum præcipue hoſtes viribus haud parum præſtarent, brevique Mehemetem Byzantium, jam ſeneſcente autumno, reverſurum ferretur: attamen ea vicit ſententia, quæ pugnam ſuadebat.

Mehemetes Turcarum Imperator per ſe ipſum bellum Pannonicum gerere decernit.

Agria a Mehemete occupatur.

Cæſareanorum, & Turcarum prælium.

Itaque Cæſareani, quorum ex quinquaginta bellatorum millibus copiæ conſtabant, in hoſtem profecti, parvo amne, quem Jaſe-

Jaſerus Baſſa viginti millium peditatu, ac quinquaginta tormentis tutabatur, Tiphembachio duce, magna cum internecione hoſte pulſo, potiti ibi copias locavere. Mehemetes paulo poſt ſuperveniens in objecta ripa caſtra poſuit. Ibi triduo, vario eventu, dimicatum. Prima die cum Cæſareanorum præfecti amnis tranſitum hoſti permittere, in illum poſtea ſeſe effuſuri decreviſſent, miles moræ impatiens, cum vix tria millia trajeciſſent, Turcas adortus, pleroſque cædit, reliquos regredi compellit. Cum utrimque continenti tormentorum e ripis ejaculatione, res ageretur, poſtridie ejus diei levioribus certaminibus pari fortuna depugnatum. Tertia dies ſupremo certamini edendo aderat: copias Cæſareani expediunt, milites curare corpora jubent; majore hoſtium parte amnem tranſmiſſa, in eos totis viribus impetum facere præcipiunt. Turcæ equites ſex circiter mille, quatuor Scytharum millia, Janizzerorum prævalida manus, reliquis inſequentibus, trajiciunt. Atrox prælium initur. Principio egregie ſe Turcæ tuentur: at, Cæſareanis inſtantibus, inclinare agmina, terga dare, tormentis aliquot relictis, cœperunt. Aucti animis noſtri, adeo ſeſe inferunt, ut amnem tranſgreſſi, fugientem hoſtem uſque ad Mehemetis tentoria perſequerentur. Inde tota acie terror & conſternatio; Mehemetes ipſe ſaluti conſulens, cum paucis aliquot equitibus fugam capeſſit. Verum in Germanis militibus plus avaritia ac prædivitum exuviarum cupido, quam militaris virtutis ac diſciplinæ gloria potuit. Abjecta verecundia præfectorumque metu, ſe prædæ ingurgitant, hoſtique reſtituendæ aciei tempus præbent; qui, obverſa fronte, Germanos pedites rapinis immerſos, perturbatos, nullo ordine, nulla diſciplina, adortus cædit, diſſipat, fundit, quatuor & viginti millibus interfectis. Fortuna a Chriſtianis ad Turcas verſa; victoriæ fructum noſtris hoſtes ademerunt. Ejus laudem Aſſanes Cicala omnium conſenſu tulit, qui, deſperata prope re, incredibili ausu ac fortitudine ſuos adhortatus, in palantes ac prædabundos Germanos ingenti impetu invadens, labantem aciem reſtituit. Mehemetem ipſum tutatus, qui imperium ei ac vitam debere confeſſus, ad ſupremam Viſiri dignitatem ſtatim extulit. Tuncque Aſſanem oraſſe Regem ferunt, ne ſe celeri impetu in altum adeo tolleret,

Turcæ a Cæſareanis funduntur & Mehemetes fuga ſalutem ſibi conſulit.

Cæſareani prædæ avidi a Turcis interfecti.

Aſſani Cicalæ virtus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1596 ret, unde æmulorum insidiis circumventus, cito deturbaretur. Id eventu probatum: in reditu namque, allatis ad Mehemetem matris literis, quibus sibi infensum acerrimumque hostem ad visiratum sublatum acerbe conquerebatur, Cicala pulso, Hibraimum restituit: ac mox, petente matre, Arzirumen in Persidis fines ablegavit; humanarum rerum lubricitatis, atque Principum inconstantiæ exemplum. A prælio inito Maximilianus copiarum imperator cum paucis e suis Cassoviam, Sigismundus in Daciam profecti. Mehemetes x. kal. januarii Byzantium pervenit, regiis honoribus a Regina matre, Bassis, prætorianorumque copiis, tribus ab urbe passuum millibus exceptus; cum haud exiguam vultu mœstitiam præseferret, quod, licet victor, ut jactabant, reverteretur, ingentem suorum numerum amisisset, quorum plerique exuti, fame enecti atque miseriis obruti in Asiam transfretabant. Hæc in Pannonia eo anno gesta.

Gallorum oppida ab Hispanis occupata.

Henrico vero, quamvis Pontifici conciliato, externis e regni visceribus depulsis, Gallia fere tota accessisset; attamen adhuc belli reliquiæ conficiendæ supererant; Hispanis Feram, Castellettum, aliaque oppida in Morinis occupantibus; Cameraco, situ, munitione, commerciis nulli Germaniæ civitatum secundo, sibi nuper adjuncto; Provinciæque nondum quietis rebus. Nam Massilia, quæ toto belli tempore in neutram partem propendere professa, proprios magistratus habuerat, in duorum ex plebe Consulum potestatem delata, nutabat; cum ii, desperata venia, ac plebis iram, depositio magistratu, pertimescentes, ab Hispanis magnis præmiis solicitati, de urbe dedenda agitarent. Nec longe Albertus Cardinalis cum pecunia, atque Hispanorum aliquot cohortibus aberat, qui in Belgium Ernesto fratri defuncto successurus in Italiam venerat. Verum cum ea, quæ agitabantur, ad Gallos perveniissent, Alphonsus Corsus, ac Laodigherius, quatuor peditum millibus, mille equitibus coactis, tres prope Massiliam leucas appropinquaverant. Hispani a Consulibus incitati, Carolum Auriam quatuor triremes adornare jusserant; bellicos apparatus, duo peditum millia, quos præsidio urbi, si se occasio daret, imponeret, imperaverant. Eos motus in Galliæ non modo, sed in Italiæ perniciem casuros constabat; spem inde

Massilienses de deditione cum Hispanis agitant.

omnem

omnem pacis abrumpi; Gallos situ, divitiis, munitione, portu egregiam urbem nunquam sibi adimi passuros; inde Genuenses premi, Sabaudo Nicea urbe portubusque in Provincia obtinente, compedes injici; Hispanos mediterraneo mari, occupata Massilia, potituros; ex qua sæpius Gallorum Reges haud spernendas classes emiserint. Verum præter ceteros Ferdinandus Hetruriæ Dux, qui consilio ac pecunia Henricum juverat, eos conatus avertere adnixus, Ebroicensem Episcopum, Ossatumque regis legatos incitabat, ut Clementem ad Italiæ imminentia pericula propulsanda impellerent, utque ecclesiasticis pœnis ad imperium Henrici, nuper sinu Ecclesiæ excepti, subeundum Massilienses cogeret. Conjunctim Joannem Delphinum conveniunt, eodem officii genere cum Clemente utatur, hortantur; qui omnem operam in communi causa navaturum pollicitus, cum ea de re ad Senatum scripsisset, quæcumque ad publicam pacem spectarent, ad ea Clementis animum flectere adniteretur, jussus. 1596

Carolus Auria cum triremibus Massiliam ingreditur.

Interim cum Carolum Auriam, quatuor triremibus milite atque apparatu instructis, Massiliæ portum ingressum renuntiaretur, Galli oratores cum Florentino aperte ad Pontificem adeunt; petunt, Suessano Philippi legato adcersito, quæ Hispani in Massiliam moliantur, expositis, eos ab incepto deterreat. Eo officii genere commotus Clemens, de Ferdinando vehementer conqueritur; præsentium turbarum auctorem vocat, qui nimio in Gallum studio Hispanos lacessitos, ad Massiliam invadendam excitasset, reliquos in easdem molestias cogere Principes vellet: non sibi ea consilia probari, parentem communem non magis in Gallos, quam in Hispanos propensum esse. At de Auriæ in Massiliæ portum ingressu cum Veneto legato verba faciens, nimium molesta hæc sibi esse; imminentia ac propinqua Italiæ loca invadi, æquo animo pati non posse; nihil sibi antiquius Italiæ libertate significare. Addit, de conscribendis ad Massilienses literis, quibus Regem absolutum patefaceret, agitare; deceptum atque illusam a suis ducibus plebem ratus. Delphinus Pontificis in commune bonum studium extollit, ac ni opem nutantibus rebus ferat, jam continenti bellorum incendio brevi cuncta conflagratura: ejus sapientiæ, ac prudentiæ Senatum confidere, ut qui tot præ-

O clara

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1596 clara nulla unquam delenda vetuſtate geſſerat, is tandem e tot fluctibus chriſtianam rempublicam eriperet. Verum dum omnia arridere Hiſpanis viderentur, momento fortuna immutata, graviore lapſu ſpes cecidere. Nam, a Guiſio una cum Alphonſo Corſo imminentibus nonnullis civitati ac portui occupatis locis, nutare plebs, atque ad Hiſpanorum imperium horrere cœpit; qui libere luce per urben vagati, nocte incolarum dubiam fidem veriti, ſeſe ad triremes recipiebant. Tandemque impatientia ac furore percita, arreptis armis, ædes Caſalii Conſulis adorta, cuſtodibus obtruncatis, captum e feneſtra dejecit; cadaver per urbem raptum: in omnes Hiſpanorum fautores ſævitum. Auria celerrime ſe cum triremibus portu ejicit. Conſulis filius in ea rerum confuſione fuga Genuam ſe recepit. Maſſilia ad Regem rediit; cum interim diverſa parte Feram obſidione premeret, Albertuſque Cardinalis in Belgium profectus, ſubſidia tenuiora obſeſſis mitteret. Inde Caletum oppidum atque arcem capit: Landreſium deditione recipit. Eodem tempore Fera ipſa tandem deditione potitur; Bullionium Mareſcallum in Batavos, atque Angliam ad fœdus cum Regina provinciiſque percuſſum jurejurando confirmandum mittit; licet tum Franciſci Draci ad Panamam, eo loco, qui *Dei nomen* vocitatur, obitu, tum navali cum Hiſpanis conflictu, navigiis Anglis aliquot quaſſatis ac demerſis, mora auxiliis innecteretur. In Armoricis, inter Mercurii Ducem atque Hiſpanos ſimultatibus obortis, Blavetum, parvaque oppida, belli reliquias, validius illi communiunt, ex omnibus is tantum, qui Henrico accederet, ſupererat; cum Mediceo Cardinali, a Pontifice legato in Galliam miſſo, jam omnino ſedatis tempeſtatibus, ampliſſimum regnum quieturum, paciſque ſpes diu inter Reges expetitæ affulgere videretut.

Maſſilienſes in Hiſpanos inſurgunt, Caſalium Conſulem interficiunt.

Albertus Auſtrius Card. Belgii præſes. Henrici Regis felicis progreſſus.

Mediceus Cardinalis, in Gallia legatus.

M. D. LXXXXVII.

1597 RES Venetas ſcribentem crebræ adeo prædonum mentionis piget; nec defuturos opinor, qui infinitam (ut ita dixerim) Venetorum patientiam admirentur, quod, qui bella cum potentiſſimis gentibus ſuſceperint, qui ſæpius terra marique acerrimos hoſtes non exhorruerint, ii hærentem prope in ſua-

ſuarum ditionum ſinu peſtem non extinxerint. Ejus rei cauſæ, quas alio loco adduximus, clarius hoc anno eluceſcent. Interea operæ pretium inſpicere eſt, Ligures, atque eoſdem Illyricos Romanam Rempublicam perplures annos exercuiſſe. In Ligures Conſules miſſi, qui cum prædura gente bellum gererent, ut ad continendum inter magnorum intervalla bellorum Romanis militarem diſciplinam natus hoſtis (ut inquit Livius) videretur, neque alia provincia militem magis ad virtutem acuit. Loca montana, aſpera; itinera ardua, anguſta, inſidiis infeſta; hoſtis levis, velox, repentinus; inops regio: nec intermiſſa unquam vel materia belli, vel cauſa, cum domeſtica inopia adacti vicinos incurſarent agros, nec unquam in ſummum rerum diſcrimen dimicaretur. Eadem peſtis Illyricum ea tempeſtate obſedit. In iis oris latrocinia maritima, navigia, quæ ſuperum mare depopularentur, aſſiduaque cum effera gente Romanis dimicatio. Eadem infamia perpetuis poſtea temporibus iiſdem in locis laboratum. Crepidines montium, maris ſinuoſi flexus, tenebræ munimento ſemper fuere. Initio hujus anni in Rovinii, Iſtriæ oppidi, portu negotiatorum ad urbem commeantium navigia ab armatis lembis, quæ noctu ſe in portum invexerant, intercepta ac direpta. Eo ſucceſſu inſtitores afflicti; civitas, ad quam ex mercaturæ negotio quæſtus, divitiæ, atque amplitudo manant, commota atque indignabunda. Hermolaus Theupolus, qui tunc Pinguenti, Iſtriæ oppidi, præfecturam gerebat, ſecundo cum ſummo imperio legatus in Illyricum deſignatur, qui, perdomitis antea piratis, ſummo terrori erat, ut, de illius electione fama pervagata, haud parum exhorruerint. Ei Senatus mandata mittuntur, quibus opportuno, quo ſibi uideatur, loco conſcendere, atque in Illyricum proficiſci jubetur. Cohortes aliquot Italorum peditum tranſmiſſæ, cum ſupra ordinarios milites quadringenti in provincia eſſent. Juſtinopolitano magiſtratui juſſum, ut ad Rovinii portus cuſtodiam pedites ordinum ducentos adhibeat; iis Italica cohors adjecta. Jadertam ſtatim Theupolus contendit: ejus præſentia trepidi ac conterriti piratæ; ejus tractus incolæ intra tutos ſinus ſe continent; ſuſpecta loca, aggeſta humo ac ſtipitibus, communiunt. Ille in omnem occaſionem intentus, cuncta accurate expedit. Verum in eo genatu acuta

1597

Uſcochi in Rovinii portu navigia Veneta diripiunt.

Hermolaus Theupolus legatus in Illyricum mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1597 febre correptus, paucos intra dies exceſſit e vita, ſummo omnium civitatis ordinum, ac præſertim Jadertinorum atque Illyricorum mœrore, qui cuncta ſibi ab ejus virtute ac fortitudine proſpera pollicebantur. Ei ſtatim Joannes Bembus, legatus in Cretam deſignatus, eſt ſuffectus; qui licet lege ad ineundum magiſtratum ob Cretæ legationem cogi non poſſet; attamen ſuam operam Reipublicæ navaturum ampliſſimis verbis pollicitus, poſtridie in provinciam proficiſcitur; claſſem firmat; acrius hoſtes obſidet, urget, inſequitur.

Hermolai Theupoli obitus.

Joannes Bembus in Illyrico legatus.

Inde cum Venetos, reliquis omnibus poſthabitis, tot damna injuriaſque vindicaturos fama eſſet; Cæſar Franciſcum Vendramenum, Reipublicæ legatum, ad ſe vocat; quanta ex iis, quæ nuper acciderant, moleſtia affectus fuerit ſignificat; ſatis Reipublicæ facere cupientem, temporum conditione impeditum: Senatui ſcribat; veteri aſſuetaque prudentia utatur; quot curis ob turcicum bellum diſtineatur, ſecum reputet; hæc ab humani generis hoſte zizania diſpergi, ut communi chriſtianæ reipublicæ bono obſiſtat, arbitrari: verumtamen prædam negotiatoribus reſtitui, incommodis obviam iri quacumque ratione curaturum. Legatus, quæ Senatus moliatur, neceſſitate ductum facere; non præclaros ejus ad gloriam impetus retardare, aut quidquam de ſua in eum obſervantia ademptum iri velle; ſubjectorum tantum fortunas, res, vitam, quorum illi Deus Optimus Maximus curam commiſerit (ut Principes juſtos decet) tueri; eoque tantum Patrum conſilia ſpectare. Clemens quoque juſtam Senatus iram ſedare nititur; æquam Reipublicæ cauſam eſſe; ſed aliis præſenti malo remediis obſiſtendum; in Cretam aliaſque orientis inſulas amandari illius gentis manum, vel aliquid ejuſmodi fieri oportere: Auſtriacam omnem familiam Patres ne laceſſerent; Cæſarem armatum Pannonicum bellum brevi conficere poſſe: non armis, ſed conſilio experirentur, hortari. Ad ea legatus, Venetorum patientiam, aſſidua damna commemorat; ſæpius a Cæſare, ut averteret ea, petitum; cunctando tempus extractum. Quis patiatur, navigia in Reipublicæ portubus magno vectigalium detrimento intercipi, ſpoliari, diripi? non in Auſtriacos hos conatus, ſed in humani generis peſtem dirigi. Eodem tempore Rodulphum Pontifex hortatur, labentibus in ea regione rebus opem ferat; neve

Rodulphi Cæſaris cum Veneto oratore de Uſcochis ſermo.

Clemens Pontif. de Uſcochis cum Senatu agit.

neve amicam Rempublicam a ſceleſtis hominibus vexari amplius patiatur; in idque, vehementibus ad illum datis literis, Joanni Franciſco Aldobrandino, nepoti, pontificii exercitus imperatori, qui tunc Pragæ erat, præcipit, nullum officii genus, quo opportune præſentibus malis proſpiciatus, prætermittat. 1597

Cæſar, cum Theupolo legato Joannem Bembum ſuffectum, claſſem copiaſque augeri cognoviſſet; veritus ne bello Pannonico Illyrici res officerent, reſtinguere Senatus ardorem nixus, Arideum Bergontium, cubicularium, Venetias mittit. Is inducias tempuſque petit, rogat, flagitat; decreta Cæſaris expectent; reſtitui prædas, ſontes plecti, damna omnia ac moleſtias in poſterum amoveri juſſurum: ſecum cogitarent, graviſſimo bello cum Turcis, perpetuis chriſtianæ reipublicæ hoſtibus, Rodulphum detineri: inde haud exigua ad Rempublicam emolumenta accedere: ne magnanima illius conſilia cogitationeſque interturbarent; eximia perſpectaque prudentia utantur; juſtas cohiberent iras; ſcelera ac facinora Cæſarem odiſſe, deteſtari; præſentem certamque opem allaturum. Bergontii officiis Clemens mirum in modum favebat: ſe Grætio a Ferdinando literas accepiſſe, quibus, quotquot prædones vivos in ſuam poteſtatem habere poſſet, ſuſpendio necari, ablata reſtitui curaturum affirmaret. Inter Cæſaris præconſultores non una ſententia erat. Quibuſdam haud parum Cæſari decori adimi videbatur, ex Sennia, veluti ex omnium malorum officina, tot monſtra prodire; in ea ſceleſtos homines, rapinæ ſpoliiſque inhiantes tutum perfugium habere: itaque Uſcochos omnes amovendos, in Pannoniæ finibus locandos, Germanorumque præſidium imponendum cenſebant. Aliis, quos privati commodi, non boni publici ratio agebat, amovendos minime arbitrabantur; ad Turcarum incurſus reprimendos neceſſariam iis in locis gentem eſſe, quæ & pro finibus ſæpe decertaret, ac, ne ſuas ditiones proferret hoſtis, acerrime contenderet. Ex ea ſententiarum diverſitate mora & cunctatio. Procuratores a Ferdinando uti pollicitus fuerat, Senniam nequaquam mittit, nuſquam res verbis reſpondere. Interea Sennienſes eo Bembi legati diligentia redacti erant, ut omnium jam rerum inopia conflictati, navigatione interclu-

Arideus Bergontius, Cæſaris orator ad Venetos.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1597 febre correptus, paucos intra dies exceſſit e vita, ſummo omnium civitatis ordinum, ac præſertim Jadertinorum atque Illyricorum mœrore, qui cuncta ſibi ab ejus virtute ac fortitudine proſpera pollicebantur. Ei ſtatim Joannes Bembus, legatus in Cretam deſignatus, eſt ſuffectus; qui licet lege ad ineundum magiſtratum ob Cretæ legationem cogi non poſſet; attamen ſuam operam Reipublicæ navaturum ampliſſimis verbis pollicitus, poſtridie in provinciam proficiſcitur; claſſem firmat; acrius hoſtes obſidet, urget, inſequitur.

Hermolai Theupoli obitus.

Joannes Bembus in Illyrico legatus.

Inde cum Venetos, reliquis omnibus poſthabitis, tot damna injuriaſque vindicaturos fama eſſet; Cæſar Franciſcum Vendramenum, Reipublicæ legatum, ad ſe vocat; quanta ex iis, quæ nuper acciderant, moleſtia affectus fuerit ſignificat; ſatis Reipublicæ facere cupientem, temporum conditione impeditum: Senatui ſcribat; veteri aſſuetaque prudentia utatur; quot curis ob turcicum bellum diſtineatur, ſecum reputet; hæc ab humani generis hoſte zizania diſpergi, ut communi chriſtianæ reipublicæ bono obſiſtat, arbitrari: verumtamen prædam negotiatoribus reſtitui, incommodis obviam iri quacumque ratione curaturum. Legatus, quæ Senatus moliatur, neceſſitate ductum facere; non præclaros ejus ad gloriam impetus retardare, aut quidquam de ſua in eum obſervantia ademptum iri velle; ſubjectorum tantum fortunas, res, vitam, quorum illi Deus Optimus Maximus curam commiſerit (ut Principes juſtos decet) tueri; eoque tantum Patrum conſilia ſpectare. Clemens quoque juſtam Senatus iram ſedare nititur; æquam Reipublicæ cauſam eſſe; ſed aliis præſenti malo remediis obſiſtendum; in Cretam aliaſque orientis inſulas amandari illius gentis manum, vel aliquid ejuſmodi fieri oportere: Auſtriacam omnem familiam Patres ne laceſſerent; Cæſarem armatum Pannonicum bellum brevi conficere poſſe: non armis, ſed conſilio experirentur, hortari. Ad ea legatus, Venetorum patientiam, aſſidua damna commemorat; ſæpius a Cæſare, ut averteret ea, petitum; cunctando tempus extractum. Quis patiatur, navigia in Reipublicæ portubus magno vectigalium detrimento intercipi, ſpoliari, diripi? non in Auſtriacos hos conatus, ſed in humani generis peſtem dirigi. Eodem tempore Rodulphum Pontifex hortatur, labentibus in ea regione rebus opem ferat; neve

Rodulphi Cæſaris ad Veneto oratore de Uſcochis ſermo.

Clemens Pontif. de Uſcochis cum Senatu agit.

neve amicam Rempublicam a ſceleſtis hominibus vexari amplius patiatur; in idque, vehementibus ad illum datis literis, Joanni Franciſco Aldobrandino, nepoti, pontificii exercitus imperatori, qui tunc Pragæ erat, præcipit, nullum officii genus, quo opportune præſentibus malis proſpiciatus, prætermittat. 1597

Cæſar, cum Theupolo legato Joannem Bembum ſuffectum, claſſem copiaſque augeri cognoviſſet; veritus ne bello Pannonico Illyrici res officerent, reſtinguere Senatus ardorem nixus, Arideum Bergontium, cubicularium, Venetias mittit. Is inducias tempuſque petit, rogat, flagitat; decreta Cæſaris expectent; reſtitui prædas, fontes plecti, damna omnia ac moleſtias in poſterum amoveri juſſurum: ſecum cogitarent, graviſſimo bello cum Turcis, perpetuis chriſtianæ reipublicæ hoſtibus, Rodulphum detineri: inde haud exigua ad Rempublicam emolumenta accedere: ne magnanima illius conſilia cogitationeſque interturbarent; eximia perſpectaque prudentia utantur; juſtas cohiberent iras; ſcelera ac facinora Cæſarem odiſſe, deteſtari; præſentem certamque opem allaturum. Bergontii officiis Clemens mirum in modum favebat: ſe Grætio a Ferdinando literas accepiſſe, quibus, quotquot prædones vivos in ſuam poteſtatem habere poſſet, ſuſpendio necari, ablata reſtitui curaturum affirmaret. Inter Cæſaris præconſultores non una ſententia erat. Quibuſdam haud parum Cæſari decori adimi videbatur, ex Sennia, veluti ex omnium malorum officina, tot monſtra prodire; in ea receleſtos homines, rapinæ ſpoliiſque inhiantes tutum perfugium habere: itaque Uſcochos omnes amovendos, in Pannoniæ finibus locandos, Germanorumque præſidium imponendum cenſebant. Aliis, quos privati commodi, non boni publici ratio agebat, amovendos minime arbitrabantur; ad Turcarum incurſus reprimendos neceſſariam iis in locis gentem eſſe, quæ & pro finibus ſæpe decertaret, ac, ne ſuæ conditiones proferret hoſtis, acerrime contenderet. Ex ea ſententiarum diverſitate mora & cunctatio. Procuratores a Ferdinando, uti poſcitus fuerat, Senniam nequaquam mittit; nuſquam res verbis reſpondere. Interea Sennienſes eo Bembi legati diligentia redacti erant, ut omnium jam rerum inopia conflictati, navigatione interclu-

Arideus Bergontius, Cæſaris orator ad Venetos.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1597 tercluſi, undique premerentur. Tum eo vehementius Bergontius pergebat urgere, rogans: legatum aliquantiſper obſidionem laxare juberent; perſancte polliceri, ſatis Reipublicæ Rodulphum facturum: turcicos apparatus, belli molem imminentem oculis objicere: Cæſaris vicem dolere, omnium mentes ad miſerationem flectere. Re a præconſultoribus agitata, in varias ſententias diſceſsum. Alii nihil de legati mandatis immutandum; arctius Sennianos totamque maritimam oram obſidendam cenſebant; id unum tot malis præſens certumque remedium eſſe. Alii contra, per aliquot dies iudulgendum, nimiæ ſeveritati parcendum, nonnihil officiis precibuſque Pontificis Cæſariſque tribuendum: ni pollicita præſtarentur, acrius mandatis inſiſtendum. Diſcrepantibus ſententiis in Senatu certatum; in quo ea tandem vicit, ut Bembo legato ſcriberetur: remiſſius per dies viginti cum Sennienſibus ageret, ut interea, quid Cæſar Ferdinanduſque ſtatuerent, pernoſceretur. Ferdinandus procuratores Senniam mittit, qui licet egregiam eo in negotio operam navaturos præſetuliſſent, re tamen parum præſtiterunt, ut non major tunc ex eorum adventu quam alias fructus perciperetur. Quapropter Bembus, acrius redintegrata obſidione, Senniam locaque finitima premit; in complures, qui in illius poteſtatem pervenerant, capite animadverti jubet; totamque æſtatem perpetuis laboribus in iis locis exegit.

Quo tempore in Pannonia, laxatis utrimque viribus, arma languere videbantur; cum interim, ab agreſtibus in dominos ſeditiome facta, immania ſcelera patrarentur, caſtella occuparentur, multo graviore periculo, niſi vi adhibita, in auctores capitali pœna vindicatum fuiſſet. Huc accedebat, quod Cardinali Cajetano, Legato, quem Clemens, ut Sarmatas adverſus Mehemetem incitaret, in eas regiones miſerat, minime audito, pacem Conventus confirmaſſet. Neque acrius Turcæ tendebant. Mehemetes Satergius, anni initio cum quinque & viginti Janizzerorum millibus in Pannoniam imperator deſignatus, niſi cuncti ſibi apparatus abunde ſuppeterent, proficiſci ad exercitum recuſabat; atque haud obſcurum in Turcis pacis deſiderium inſpiciebatur. Cum ea in re Angliæ legatus operam, licet fruſtra, adhibuiſſet, Meletius, Alexandrinus Patriarcha, ad Michaelem, Vallachiæ Principem, apud quem ſum-

Cajetanus Cardinalis in Sarmatiam a Pontifice miſſus.

Mehemetes Satergius in Pannoniam exercitus imperator deſignatus.

ſummo in honore habebatur, literas, quibus illum ad pacem hortabatur, dederat. Iis Michael reſpondit: ſe quidem ſummo pacis deſiderio cum præpotenti Rege, cui ſe ſacramento addixerat, ineundæ teneri; at ſuorum purpuratorum avaritia ac tyrannide, ut alio ſe averteret, impulſum: libenter cum Mehemete in gratiam rediturum; verum quæ mens ſit, an pollicita præſtare velit, cognoſcere primum cupere; Patriarchæ inde adventum præſtolaturum; tumque cum aliis chriſtianis Principibus acturum. Verum & id quoque irrito eventu ceſſit. Hieronymum quin etiam Capellium, Reipublicæ legatum, Turcæ conveniunt: petunt, Senatum hortetur, inter Mehemetem ac Cæſarem pacis ſanciendæ ſequeſtrem ſe adhibeat; nullum eo Principem, ob amicitiam quæ ſibi utrimque intercedat, ad tantam rem conficiendam magis idoneum. Verum Patres, ne quidquam in eo negotio ſtatuerent, multa permovere. In Albajulia quoque conventu habito, cui Adamus Popellius, Vaciæque Epiſcopus pro Cæſare interfuerant, atque a Mehemete Zauſius venerat, fruſtra de concordia actum. Itaque claſſicum denuo intonuit. Cæſareani Tattam oppidum, anno ſuperiore a Sinane occupatum, recipiunt; Pappam caſtellum capiunt. Inde Maximilianus cum exercitu movens, Javarinum obſidet; at ſubſidio a Turcis illato, digreſſus, ad Comaram inſulam ſe recipit. Turcæ, rurſus Tatta oppugnato, cum per aliquot dies ſe egregie propugnatores tutati fuiſſent, deditione potiuntur: mox Budam pergunt. Cæſareani viginti ex Auſtria agreſtium vexillis, trium e Lintſio bellatorum millium numero auſti, Vaciam contendunt; Turcaſque ad Peſtum Danubium tranſgredi, ut eis obviam fierent, cognito, ex Georgii Baſtæ ſententia, perductis aggeribus, ſe communiunt, qua occaſione oblata, tutius pugnæ copiam hoſti faciant; qui licet propius ſe adeo intuliſſet, ut minutis aliquot præliis dimicaretur, attamen in totius pugnæ diſcrimen minime ventum eſt. Nam cum Georgius Turcas ordinata acie ad prælium laceſſeret, pugnam detrectantes, ingenti cum illius laude, ſe recepere. Hæc in Pannonia.

Rex Ambianum, quod per inſidias Hiſpani occupaverunt, arcta obſidione cingebat; quod demum Alberto Cardinali Auſtrio ferre ſubſidia obſeſſis nitente, pulſo, deditione recepit.

Dum

1597

Hieronymus Capellius, legatus, a Turcis oratur, ut pacis ſequeſtrem ſe Cæſareanis ſe præbeat.

Ambianum ab Henrico receptum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1597 *Lucemburgius ab Henrico ad obedientiam Pontifici præstandam missus.*

Dum interea acriter quoque in Allobrogibus dimicaretur, Lucemburgius ab Henrico Romam legatus, ejus nomine obedientiam Clementi præstitit, eximiisque laudibus modo illius pietatem, prudentiam, egregium in Rege complectendo factum, modo Henrici religionem, constantiam, magnanimitatem extulit. Ei a Silvio Antoniano pari eloquentia ac gravitate responsum. Inde in dies magis ac magis Clementis animus ad Reges conciliandos incitabatur, quo, intestinis reipublicæ christianæ dissidiis compositis, in communem hostem arma converterentur. Generosa hæc consilia summopere Veneti commendabant, acriores stimulos addebant; quo majoribus implicitum difficultatibus negotium esset, eo insistendum ac desudandum magis; eximium laborum ac vigiliarum fructum a Deo in primis Optimo Maximo, mox præsentium posterorumque approbatione relaturum. Ejusmodi officia atque incitamenta pergrata Clementi erant, utpote qui egregium in commune bonum Senatus animum intelligeret, ejusque consilia jam inde a Gallicorum turbinum initio, quantum solidæ prudentiæ inniterentur, inspiceret. Quapropter sæpius Patrum sententiam in gravissimis rebus exquisiverat, experientia edoctus, quantum indissolubilis Venetorum cum Apostolica Sede nexus Italiæ libertati ac dignitati conduceret. Quocirca crebris amoris ac benevolentiæ significationibus Rempublicam persequebatur; atque inter cetera rosam sacram, Pontificum Romanorum munus, Maurocenæ Maurocenæ, Ducis Marini Grimani conjugi, per Claudium Grottum, intimum familiarem, dono misit; quam illi in aurea basilica, sacris peractis, Clementisque literis perlectis, de more exhibuit. Ei quingenti a Senatu aurei dono dati; latumque, ut penes Ducem ipsam, dum viveret, id munus esset; defuncta, in *sanctuarium* (ut ajunt) in quo pretiosa quæque asservantur, referretur. Eodem tempore, Joanne Viturio, Cretæ Archiepiscopo, ex humanis sublato, quatuor nominandorum jus, ex quibus mox ipse Antistitem seligeret, Senatui est adsensus. In eorum numero plura suffragia Thomas Contarenus, qui tunc Sapientis Consilii magistratum gerebat, tulit; vir eximia doctrina, singulari integritate, domi forisque in publicis muneribus ac legationibus insignis. Eum Clemens Cretæ Archiepiscopum pronuntiavit.

Maurocenæ Maurocenæ, Grimani Ducis uxori, a Pontifice sacra rosa dono data.

Thomas Contarenus Creta Archiepiscopus eligitur.

Neque

1597

Neque vero eo anno inter minimas curas Ferrariensium ac Venetorum veteres de finibus controversiæ erant; ad quas tollendas Aloysius Mocenicus, multo ante a Senatu Procurator designatus, missus; ut una cum Alphonsi sequestribus, inspectis locis, concordiæ ratio in perpetuum iniretur. Verum dum in eo versantur, negotiumque aggrediuntur, morbo Alphonsus correptus, paucis diebus ex humanis excessit; Mocenicus in patriam rediit. Ex Alphonsi Estensis obitu ingens contentionum seges in Italia suboritura videbatur. Eo namque sine legitima prole defuncto, ad Ecclesiam, cujus beneficio Ferraria circumjectisque regionibus potiebatur, ditiones illas perveniisse, constans opinio erat. Contra Alphonsus ex testamento Cæsarem, Alphonsi patruelis filium, sed ante nuptias initas procreatum, omnium suarum ditionum heredem reliquerat; qui statim nobilium civium ac plebis consensu & plausu, maxima pompa ducatus insignia susceperat. Inde omnium Principum hærebant animi; variæ hominum pro cuisque voluntate animique affectu sententiæ. Nam etsi Pontificum amplitudo catholicæ religionis causa maxime optanda videretur; attamen eos viribus atque imperio augeri, non æque omnibus gratum erat, cum magnum Principum incrementum finitimis semper suspectum ac formidolosum habeatur. Hispanis quidem, Italiæ peramplam obtinentibus partem, quibus tot regiones parerent, Pontificum potentia minime pertimescenda erat; sed, ne viribus aucti quidpiam in Neapolitanum regnum, quod Ecclesiæ jure possident, molirentur, quos aliquando hostes experti forent, merito verebantur. Neque minus Pontificum incrementum Magnis Hetruriæ Ducibus officere existimabatur, quod sæpius gravissimæ de finibus inter Hetruscos ac Romanos controversiæ inciderent, si se occasio daret, in bellum quoque exarsuræ. Verum præter ceteros eam mutationem Venetos moleste laturos videbatur, qui pro Estensibus Principibus Pontifices, summa auctoritate, haud contemnendis viribus, finitimos essent habituri: inde frequentes finium contentiones propinquæ dissidiorum causæ, quibus aliquando Pontificum mutua cum Venetis conjunctio turbaretur. Præterita quoque memoria repetebantur; anno M. CCCC. LXXXI. dum Xysti IIII. Romani Pontificis impulsu terrestribus maritimisque co-

Alphonsi Ferrariæ Ducis obitus.

Cæsar Estensis heres ab Alphonso dictus, insignia ducatus suscipit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1597 copiis eam civitatem aggressi essent, in victoriæ cursu anathemate perculsos, fructum interceptum; superioribus quoque temporibus Frescum Estensem a populo expulsum, in avitum imperium restituere conantes, Clementis V. severitatem expertos fuisse. Hinc Patres ut in gravissimo negotio singula attentissime prospicerent, monebantur. Estensis, qui magnam spem in Venetorum ope collocaverat, Alphonso defuncto, susceptis gubernaculis, Herculem Cattum, equitem, consiliarium suum, Venetias miserat, qui successionem significaret, imperium fortunasque deferret, consilium & opem posceret: cum Clemente Senatus ageret, ut, summoto armorum strepitu, amice causam agitari permitteret; interim ipse in Ferrariæ possessione permaneret. Senatu consulto Catto responsum: quæcumque felicia Cæsari Estensi obtigissent, ea Reipublicæ pergrata fore; nihil Senatum prætermissurum, ut Clementem a belli consiliis ad concordiam traduceret.

Cæsar Estensis Herculem Cattum oratorem ad Venetos mittit.

Clementis Pontificis in Cæsarem Estensem indignatio.

At vero Clemens, ubi Cæsarem Ferrariæ Ducem pronuntiatum inauguratumque cognovit, ingenti correptus ira, fremere, factum detestari: tantumne ausum Cæsarem fuisse, ut, neglectis proculcatisque Ecclesiæ juribus, propria auctoritate Ferrariensem ducatum, qui lege ad Apostolicam Sedem devolvebatur, temere invasisset. Extemplo, Cardinalium aliquot Concilio advocato, quæ gesta fuerint exponit: Ecclesiastico imperio Ferrariam (uti æquum erat) adjungere sibi statutum atque immotum esse, inquit; in id auctoritatem, vires, thesauros collaturum; id ut ordine ac lege conficeretur, monitorias primum literas ad Estensem mittendas censere, quibus statim ab occupatis ditionibus discedere jubeatur; ni pareat, illico ad arma deveniendum; sex majores militiæ præfectos eligendos, quorum singuli tria peditum millia, ducentos equites conscribant; ut in universum copiæ mille ac ducentorum equitum, octodecim peditum millium numerum expleant; quibus mox quatuor adjiciantur: ad omnes christianos Principes certos homines mittendos, qui, Ecclesiæ causa exposita, opem implorent, ut, si minus auxilia ferre velint, Estensi saltem minime faveant. Hæc a Clemente pronuntiata, multis excepta, ut assolet, laudibus fuere: prudentia, pietas, atque egregia in propagando augendoque ecclesiastico imperio constantia summis

mis concelebrata præconiis: facile voti compotem futurum 1597
nullo negotio Ferrariam in suam potestatem redacturum; mitrati Pontificis, Purpuratorumque sacras induentium vestes, Ferrariam accedentium aspectu perterritum Estensem, civitate imperioque cessurum. Unus Sfondratus Cardinalis, ab aliorum assentatione dissentiens, rationes, quibus specie suam causam tueatur, Cæsari non defuturas, ajebat; cum ingentem auri vim in iis ditionibus vel sarciendis vel augendis ab Alphonso, cujus heres ex testamento esset, erogatam, repetere posse videretur; neque, ut alii rebantur; occupatu facilem adeo Ferrariam esse arbitrari, vel urbis situ, vel amplitudine, vel auxiliis, quæ, si semel ad arma ventum fuerit, multis e regionibus ad eam confluxura sint. Verum is erat Pontificis ardor, is Cardinalium, aulæ omnis consensus, ut brevis quæque cunctatio turpis exitialisque judicaretur. Neque levis interim industria in cogendis undique pecuniis, ne thesauri in arce conditi diffluerent, adhibebatur: a mercatoribus annuis pensionibus aurum elicere; propositis censu præmiis, privatos ad conferendum in ærarium excitare, ut saltem quindecies centena aureorum millia corrogarentur.

Clementis & Cardinalium ardor ad Ferrariam obtinendam.

Dum hæc fiunt, Senatus Joanni Delphino, legato, quæ præsentium temporum conditio posceret, Clementi exponere jubet: *Summum tuendæ in Italia pacis quietisque studium semper in Republica viguisse; ea ne aliquo eventu interturbaretur, sedulo excubasse: cum satis constaret, parvis initiis exiguisque favillis ingentia sæpius incendia, quæ passim cuncta depascantur, oriri; peropportune contigisse Senatum arbitrari, ut eo potissimum tempore Alphonsus Ferrariæ Dux obierit, quo ipse summum pontificatum gereret, qui exacta rerum cognitione atque prudentia præcellens, religionis, pietatis, magnanimitatis egregia toto orbi documenta edidisset: hortari, rogare, publicæ paci in primis studeret, quæ semel turbata, Divina omnia humanaque permisceantur: unicum ad eam hac tempestate conservandam præsidium esse, si cuncta prius consilio, quam armis experiatur; Estensem audiat, extremum omnium bellum putet.* Clemens de propenso in publicam quietem studio, officiisque Senatui gratias agit, acerbe in Cæsarem invehitur, quod Ducis titulos arripuerit, quod ad tui-

Senatus mandata ad Joannem Delphinum legatum.

Clementis Pont. ad Venetos responsum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1597 tuitionem se comparet, quod iniquam causam vi propugnare velit, quod se Ecclesiamque contemnat : primum Ferraria decedat ; si jus poposcerit, restituturum ; interea belli apparatus non intermissurum : ni sponte cedat, armis coacturum. Ad ea Delphinus cum nihil ad Clementem flectendum prætermisisset, tandem ut eum audiret, obtinuit. Cæsar itaque Hieronymum Giliolum, oratorem, ad Clementem mittit, qui & Alphonsi obitum, & suum in Apostolicam Sedem obsequium significet ; enixe oret, vel a jurisconsultis, vel ab aliis, modo in neutram partem propendeant, jura sua expendi permittat. Clemens ad se, uti feudi dominum, judicium spectare affirmat, Venetorum usus exemplo, qui superioribus annis controversias inter Antistitem Aquilejensem ac Rempublicam de feudis exortas ad se attraxerant.

Hieronymus Giliolus orator ab Estense ad Pontificem missus.

Dum in ancipiti re certatur, Senatus, ne latius incendium serperet, atque si qua via ad concordiam foret, quamprimum expediretur, Marcum Octobonum, scribam a secretis, ad Cæsarem mittit, qui gratulationis munus obeat, quodque majora in eum benevolentiæ argumenta edita non sint, conditioni temporum tribuat ; hortetur, quamprimum aliquam retinendæ pacis, controversiarumque dirimendarum rationem Clementi proponat. Cæsar statim Aloysium Montecuculum Venetias mittit, qui Principi Patribusque significet, se, licet, uti Alphonsi heredem, Ducem Ferrariæ nuncupaverit, tamen, ut jura sua disquirantur, vehementer optare ; sæpius id ad Pontificem perferendum curasse ; per Gualengum equitem efflagitasse, per Aragonium Cardinalem deprecatum esse, Philippi Hispaniarum Regis judicium non recusasse : ab iis initio non abhorrentem, mox (quanam de causa incertum) Clementem pœnituisse : inde Italum aliquem Principem sequestrem, Venetamque in primis Rempublicam postulasse : eo abnuente, ad jurisconsultos, modo ne viri sacrati, sed ab omni affectu immunes forent, descendisse : neque his Pontifice permoto, Senatus consilium, cujus inveteratam prudentiam magni faceret, amplexum, ab æquis conditionibus non discessurum ; pecuniæ vim erogaturum, affinitatis vinculo sibi Pontificis familiam conjuncturum ; demum, si ita res poscere videatur, castella agrosque tributurum. Estensis causam mi-

Marcus Octobonus Senatus mandato Ferrariam proficiscitur.

Aloysius Montecuculus, Estensis orator, ad Venetos, & ejus officium.

mirifice Senatui Montecuculus commendat, in ejus auctoritate, prudentia, ac benevolentia Cæsarem conquiescere affirmat. Demum si controversiæ (uti verendum erat) armis definiendæ sint, certiora Reipublicæ auxilia flagitat. Montecuculo Patres Senatusconsulto respondent, Cæsaris causam toto animo amplexuros, in ea non secus ac si de Republica agatur, enixuros : nihil ad ejus jura tuenda, remque ex voto conficiendam prætermissuros ; egregio in illum Rempublicam animo esse ; quidquid ad incolumitatem, atque dignitatem illius spectet, Senatum peracturum. 1597

Senatus responsum.

Clemens interea totus in belli apparatu erat ; decem Helvetiorum, tria Germanorum peditum millia conscribi jusserat, ut copiæ omnes quinquaginta peditum, equitum tria millia conficerent. Europæ Principes legationibus solicitabat : Petrum Ursinum, Aversanum Episcopum, adire Parmensem ac Mantuanum Duces, postmodum in Galliam proficisci jubet. Anconæ Antistitem, e Comitum familia, ad Urbinatem, inde ad Rempublicam mittit. Tabernæ in Hispaniam contendere præcipit. Tum monitorias literas adversus Estensem promulgat, easque in ecclesiasticæ ditionis limitibus statutis locis præfigi imperat, quibus ei anathematis pœnam, nisi statim Ferraria faceset, indicit : quindecim dierum spatio in jus Romam vocat ; ni obtemperet, e fidelium cœtu amoturum, læsæ majestatis reum declaraturum, sacris Ferrariæ, cunctisque illius ditionibus interdicturum. Quoniam vero in Philippo Hispanorum Rege magnum ad rei prosperos exitus momentum inesse noverat, illius in Italia ministros omni studio sibi conciliare conatur ; nisi ad opem Ecclesiæ ferendam Regem impellere queant, saltem neutri adhærere parti suadeant, rogat. Suessanus legatus nihil in mandatis habere, id certo scire, jus atque æquum tantum Regi cordi fore, Clementi affirmat. In privatis vero sermonibus, quod Estensis Ducis titulos suscepisset, improbare ; si id injuste fecisset, neminem defensorem habiturum dicere ; melius fortasse facturum, si jure sumptuum, quos Alphonsus in sarciendis augendisque iis ditionibus fecerat, inniteretur : Philippum æqua postulanti adfuturum. Neque deerant, qui dicerent, ea dissidia Hispanæ genti minime molesta esse, ut inde diuturno pacis

Clementis Pont. bellici apparatus.

Legationes Pont. ad Europæ Principes.

Monitoriæ literæ adversus Estensem promulgatæ

otio

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1597 otio aggesta ab Italis Principibus pecunia effunderetur. Attamen quemadmodum quid consilii initurus Philippus, ambiguum; ita quæ mens Gallorum foret, haud difficile cognitu videbatur, cum novis bellis implicari Hispanos, atque in alias regiones, quæ per tot annos Galliam afflixerant, arma traduci, illis maxime conduceret. Quocirca Lucemburgius, quæcumque ab Henrico proficisci possent, præfectos, milites, Clementi deferre; ipsum quoque Regem, si liber bello esset, egregia majorum exempla imitatum, ad opem Ecclesiæ ferendam alpes transgressurum. Cui Pontifex gratiis actis, nihil aliud ab Henrico petere ajebat, nisi ut copias e Gallia educere Estensi minime permitteret. Ceterum de eventu Regem solicitum, quocumque res inclinarent, contra nixurum Hispanis existimabatur; si Cæsari favissent, palam Pontificis patrocinium suscepturum; sin pro Clemente stetissent, ad Estensem, Maynio, Nemorosio, aliisque e Gallica nobilitate proceribus affinitate conjunctum, suis aditu permisso, belli alimenta suppeditaturum.

Henricus Rex Pontificis Gallici regni opes defert.

Patrum quoque animos humanissimis officiis ac verbis sibi adstringere Clemens nitebatur. Crebris cum Delphino sermonibus Ecclesiæ causam commendare; quantum finitimam Ecclesiam habere gratum Reipublicæ esse debeat, ostendere; ab ea omni tempore haud vulgaria beneficia accepturos: se quidem, quod ad fines attinet, quacumque in re possit, satis Reipublicæ facturum; nulla inde incommoda, nullas molestias ullo unquam tempore accepturos. Contra Patres, quibus Italiæ pace nil antiquius erat, assidue illum hortabantur, ne armis publicam tranquillitatem turbaret, ne egregie gesti pontificatus gloriam imminuere vellet: qui in remotis regionibus christianæ reipublicæ hostes consilio, pecunia, copiis oppugnasset, a nostrisque finibus summa providentia summovisset, ne modo in hanc provinciam illiceret: florentem populis, divitiis, artibus Italiam diuturni atque infausti belli sedem ne constitueret. Quoniam vero Clementem in Anconæ portu classem collocaturum afferebatur, ea avertere consilia Delphinus jubetur. In occursu pontificiarum Venetarumque triremium haud exigua incommoda evenire posse: nil molestius, nil durius Italiæ contingere. Clemens vel hisce ra-

rationibus, vel alias ob causas, vel quod paucæ illi admodum triremes essent, cœptum omisit. 1597

Estensis interea monitorias literas jam emissas conspicatus, qua ratione se tueri posset, diu noctuque meditabatur, ingruentemque fortunæ impetum intrepide excepturum præseferebat. Per Imolensem & Pacianum consiliarios Octobono significabat: firmum sibi esse, jus æquumque, quod stare a se arbitrabatur, constanter defendere; Ferraria nunquam cessurum; extrema quæque pro ea retinenda subiturum; neque ob id de sua pietate ac religione usque ad supremum spiritum servanda quidquam imminutum iri. Militiæ præfectis quinquaginta aureorum millium numerata pecunia, cogere copias quantas possint, jubet: duodecim circiter Helvetiorum millia evocare statuit; ob affinitates atque amicitias, quas in Germania habebat, haud parvam militum manum subsidio sibi futuram ratus. Ea consilia, ii conatus Principum erant. Sed quamvis cuncta armorum bellique opinione perstreperent, nondum tamen aliquid palam erumpere cœperat, cum Cæsar neque mœnia ad hostium tormentorumque impetum excipiendum sarciri, neque circumjectum urbi agrum, amotis impedimentis, complanari, neque pleraque ad ambitum urbis, qui septem millium passuum magnitudinem æquat, necessaria effici curaret. Quatuor tantum peditum ex ordinibus millia in pontificiæ ditionis finibus constituerat; Lugumque, limitaneam arcem, non absque magnis Clementis querelis, communiri jusserat, qui parem copiarum numerum iis in locis objecerat. Cum vero ea, quæ a Montecuculo proposita fuerant, ejusmodi essent, ut Pontificem ad concordiam flectere posse viderentur, Senatu consulto per eumdem Montecuculum atque Octobonum, quæ sua mens sit, ut planius atque exactius exponat, Estensem hortantur: quo majori cunctatione utatur, eo majus sibi negotium facessere. Qui cum aliquantisper tacitus hæsisset, tandem in Senatus voluntate futurum affirmat; scriptoque ad eum missio significat. Ejus hæc capita erant. Ut Ferrariæ ducatus titulos obtineret, se pecuniam ex pacto numeraturum, annuam pensionem quinta, quarta, tertiave (ea lege, ut capite eroato immunis esset) aucturum: in Flaminia Massæ principatum, Consilicem, Sanctaga-

Cæsaris Estensis bellici apparatus.

Conditiones ab Estensi Pontificis propositæ.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1597 ctagatam, trans amnem Lanternam traditurum; ni sufficiant, Bagnacavallum, & Cotiniolam daturum; Lugo quoque in finibus sito, licet ægre in id descendat, cessurum: vicissim tantum reposcere, ut quidquid inter Sanctum Albertum, ac Primarium situm esset, ad Comacli aquas arcendas tribuatur; vel aggeres obicesque ad earum incrementum atque impetum repellendum opponere permitteretur. Connubiis quoque allicit, ut nempe Joannis Francisci Aldobrandini nata filio jungatur; ea affinitate beneficii jure iisdemmet locis potiri posse ratus. Demum, ut coram minime suspectis judicibus causa agatur, flagitat: eodem tempore de concordia utilius majori cum dignitate, absque Pii V. diplomatis derogatione, tractari posse. Scripto Montecuculus postulata adnectit, ne e Reipublicæ ditionibus arma extrahi, neve pontificias copias per Venetos fines transire Senatus permittat: eadem se ab Insubrum gubernatore petiisse, neque alienum ab iis concedendis offendisse. Responsum est, opportunum eo tempore Senatum non censere, ut quidquam sigillatim decerneretur; de propensa Reipublicæ voluntate Cæsari nullum ambigendi locum esse; nihil de iis, quæ postulet, statui posse, quin Patrum fidei in negotio pertractando derogetur.

Delphinus de his omnibus certior factus, Clementem ad concordiam adducere summa ope nititur; ineundæ pacis leges proponit; quibus rejectis, tandem in hoc Pontifex persistit, ut, Ferraria ab Estense relicta, tum demum res agatur: Giliolo ejus oratori judices postulanti eadem objiciuntur, ut facile appareret, arte a Clemente tempus extrahi, quo Principum animi in ambiguo hærerent, Cæsaris constantia frangeretur, atque interea ipse, quæ ad expeditionem necessaria forent, compararet; copiis Ferrariam appropinquantibus, populum anathemate perterritum tumultuaturum, atque palam, Cæsare relicto, Ecclesiæ accessurum, existimans. Anconæ interea Antistes Venetias pervenit, atque una cum Amerino Episcopo, Pontificis legato, collegium ingressus, ut Senatum ab ope Estensi præstanda averteret, in hanc sententiam est locutus.

Anconæ Antistitis, Pont. legati, ad Venetos, oratio.

Si quis, Princeps Serenissime, Patres optimi, a Clemente octavo multa, eaque præclara & eximia in pontificatu gesta intue-

intueatur; nihil illi magis animo infixum hæsisse, in nulla alia 1597
re vehementius, quam ut Italiæ pacem quietemque tueretur, elaborasse existimabit; ad eam firmandam nihil, quod in se esset, quin cumulate præstiterit, prætermisisse. Ob id liberaliter conditos Ecclesiæ thesauros viresque, ut in Pannonia Cæsari cum Amurathe ac Mehemete dimicanti opem ferret, effudit; ob id omnium inter Italos Principes dissidiorum semina evellere studuit; sæpiusque exorientium bellorum initia restinxit. Hæc sane cuinam magis quam vobis nota exploratæque sunt; qui iisdem consiliis, nunquam discrepantibus sententiis, in id una cum Clemente incubuistis? Qui omnium illius actionum, cogitationum, & consiliorum participes fuistis? Inde eo majori molestia, & incredibili prope dolore perfunditur, Cæsarem Estensem turbarum intestinarumque dissensionum ac bellorum caput atque auctorem esse velle: omnia movere; cunctos Principes ad arma impellere, ut, publica turbata pace, qua firmis fixa radicibus per tot annos Italia floruit, huc omnium gentium fœda colluvies confluat, cunctaque Divina & humana permiscentur. Quidnam hoc rerum statu Clemens octavus faciat? an Ecclesiæ rationes, quæ illius curæ a Deo Optimo Maximo concreditæ sunt, non tueatur? an in amplissima illa constitutus sede, suarum partium suique muneris obliviscatur? an demum Ferrariæ ducatum, qui jure sibi debetur, pessimo atque exitiali in posterum exemplo, negligat? Illud certe natura comparatum est, ut omnes se suaque protegant. Quid igitur? si alia hujuscemodi se obtulerit occasio, Ecclesiæ decus, existimatio, juraque obterenda ac delenda erunt? scilicet ut hostibus ludibrio & contemptui sit? ac Pontifex, qui nunc rerum potitur, sui memoriam nominis horridam atque infaustam posteris relinquat? Neque dissimulatione ulla, neque jus æquumque deserere Clemens debet. Nullius opem implorat; nullius auxilia exposcit; nihil a Republica ipsa postulat, quamvis ab insita illius religione, majorumque in sanctissimam Sedem pietate atque obsequio, nihil non eorum, quæ ab amplitudine atque opibus Venetorum proficisci possit, sibi polliceatur. Id tantum flagitat, id unum per me rogat, ne illi impedimento sitis; ne Cæsari faveatis: cetera omnem aleam sepositi, inter ipsum atque Estensem remitti permittatis. Summa

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1597 *ma ſpe nititur, ſi reliqui Principes ſeſe abſtinuerint, brevi, propriis Eccleſiæ viribus, rem ex voto confecturum, junctiſque pontificiis ac Venetis ditionibus, arctiori nexu inter Apoſtolicam Sedem Venetamque Rempublicam benevolentiam & concordiam, ad commune bonum, Italiæ ſecuritatem, orbis chriſtiani decus, coalituram.*

Senatus reſponſum.

Anconæ Antiſtiti Senatu conſulto hunc in modum reſponſum eſt. *Summas Deo Optimo Maximo habendas referendaſque gratias, quod is potiſſimum hoc tempore Eccleſiæ præeſſet, qui pietate, prudentia, egregia in publicum bonum voluntate, Italicæque pacis deſiderio flagraret: id eo magis Senatui gratum eſſe, quod ſua conſilia, decreta, ſententiæ ad eamdem veluti metam colliment; proinde in Ferrarienſi controverſia ea officia adhibuiſſe, quæ communi iſtius provinciæ commodo magis opportuna exiſtimaverit: Clementem denuo hortari, rogare, belli pericula, dubios eventus ſibi ob oculos poneret; ſecum volutaret, primo armorum ſtrepitu tranſalpinas gentes in Italiam, veluti ad opimam prædam, catervatim confluxuras; inde, divinis humaniſque juribus permixtis, hæreſum peſtem, ingenti religionis chriſtianæ detrimento, veluti perfractis repagulis, paſſim pervagaturam, expenderet: nulla alia re inevitabilia majoraque damna accidere, nulla ſui pontificatus memoriam minus illuſtrem reddi poſſe, quam ſi ſua tempeſtate Italiæ tranquillitas turbaretur: ſperare, confidere Senatum, nil ingenti, ac prope divino pacis munere antiquius Clementi fore: ſummas ei demum haberi gratias, quod, præcipuo atque inſigni Antiſtite ad Rempublicam miſſo, ſuam in illam benevolentiam illuſtri ſignificatione teſtatus eſſet.*

Interea Pontifex ex omnibus ſuis ditionibus copias cogi juſſerat; Petrum Aldobrandinum, Cardinalem nepotem, expeditionis principem dixerat; qui Ravennam contendens, bellicos apparatus omnes, tormentariaſque machinas inſtrui curabat. Jam enim ex Anconæ atque Arimini arcibus tormenta educi Clemens præceperat, ſubjectoſque aliorum Principum ſtipendiis merentes evocaverat; ac licet varia impedimenta armorum, ſulphurei pulveris, ac bellicarum rerum inopia objicerentur, cuncta pervincere ſtudio atque induſtria Cardinalis enitebatur, ut, Faventiæ luſtratis copiis, duo ac vi-

Petrus Aldobrandinus, Cardinalis, Ferrarienſis expeditionis princeps.

Pontificiæ copiæ.

viginti peditum millia recenſita dicerentur. Eo armorum apparatu Itali incitati Principes, in ſuis ditionibus quiſque claſſicum cani juſſerant. Veneti legatum in continentem cum ſummo imperio mittere ſtatuunt. Joannes Mocenicus, Marcius Procurator, provecta jam ætate, militaribuſque magiſtratibus prudenter ac fortiter geſtis inſignis, lectus. Erant qui arbitrarentur, omnes cataphractos equites in Rhodiginam peninſulam mittendos; eo & ſubjectorum incolumitati conſultum iri, & arma averti, concordiamque, quo potiſſimum conſulta Senatus reſpiciebant, facilius iniri poſſe. Plerique, quod multa inde ſuboritura ſuſpicionum ſemina conjectarent, ſatius ducebant, quid reliqui Principes conſilii caperent; quo Hiſpanus inclinaret, primum ſpectare; cum præſertim Sueſſanus legatus, prorex Neapolitanus, Inſubrumque gubernator literas quam celerrime in Hiſpaniam perferendas curaſſent, quibus Regem, ut ſtatim ſuam ea in cauſa mentem aperiret, efflagitabant; Sueſſanuſque Delphino oratori communicaſſet, a ſe Philippo ſignificatum, Eſtenſem illi judicium permittere: quocirca in Italiam mitteret, qui pro Cæſare ſcripta ad ſe in Hiſpaniam perferret: quidquid Philippus ſtatuiſſet, Cæſarem facturum ſibi ſuadere: quem ſane ſi jure niti putaſſet, ne Ferraria amoveretur, curaturum; immo adverſus quoſcumque, qui eum opprimere tentaſſent, defenſurum. Hæc licet ad Clementem pervenirent, ne minimum quidem de ſententia amovebatur; quod Hiſpanos ancipiti Gallico ac Belgico bello diſtentos animadverteret; neque conſentaneum, ut novas turbarum occaſiones quærerent, Italicamque pacem everterent, arbitraretur.

1597

Joannes Mocenicus in continentem legatus.

Inter hæc vero cum crebris ſermonibus uſurparet, ſi quæ jura in Ferrarienſi ducatu Eſtenſis haberet, ea jam ſibi oſtenſurum, orbique promulgaturum fuiſſe; Cæſarem Senatus hortatur, ne in iis proferendis amplius cunctatione utatur, id & ad hominum ſibi opinionem conciliandam, & ad tempus captandum, quo ſe ad impetum excipiendum, atque ad aliorum vires conatuſque obtundendos compararet, opportunum fore. At jura ſcripto exarata recipere cum Clemens abnueret, Herculem Rondinellium, qui illum ad ea pernoſcenda adigere niteretur, Romam miſit. Eodem tempore, cum fama

Hercules Rondinellius Eſtenſis jura ad Pontificem perfert.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1597 eſſet, jam exacto admonitionis termino, ſententiam Pontificem laturum, anathematiſque fulmen emiſſurum, enixe Eſtenſis a Senatu petebat, ut quantum opera, officio, ſtudio poſſet, rem extrahendam curaret; a quo ſane minime alienus Pontifex videbatur, licet modeſte admodum conquereretur, arma Cæſarem e Venetis ditionibus capere, Reipublicæ ſubjectos ad eum tranſire; facultatem vero exportandi arma ſe petente, ut illius artis opifices Reipublicæ tantum operam ſuam præſtarent, edicto cautum fuiſſe. Cui Delphinus, quin clam atque ſeorſum in Ferrariæ fines ſubjecti tranſirent, cum præſertim multas affinitates & clientelas iis in locis haberent, efficere Senatum non poſſe; armorum decretum ſæpius in Venetis aliorumque Principum ditionibus promulgari ſolitum. Interea Rondinellius Romam pervenit, preloque excuſa Eſtenſis jura attulit, quibus agnationis lineam minime extinctam, atque proinde ad Eccleſiam feudum devolutum non eſſe, oſtendere nitebatur. Pontifex Purpuratos, quibus Ferrarienſe negotium mandaverat, ad ſe vocat; ex iis quatuor, qui Eſtenſis rationes inſpiciant, deligendos, ut deinde, quid juris ſit, decernatur, proponit. Huic ſententiæ acriter Alexandrinus Cardinalis obſiſtit: id manifeſtis Eccleſiæ juribus nimium officere; omni ſublata mora, ad cenſurarum promulgationem deveniendum; Eſtenſis ſcripta falſa, captioſa, minime admitti oportere; ad diem ducendam, pontificiaque decreta infringenda, excogitata atque inventa. Duodecim ex eo concilio Alexandrino adſtripulantur, tres tantum Pontificis ſententiæ accedunt.

Itaque communi conſenſu rem prolatandam non amplius arbitrati: x. kal. januarii anathema in Cæſarem Eſtenſem, atque in eos, qui ei conſilio, ope faviſſent, quive adhæſiſſent, pronuntiatur. In eo amplo verborum circuitu Clemens ſeſe excuſabat: *Ingenti dolore, atque animi moleſtia, non affectu, non privata ratione ductum; verum Pontificis munere, omnium ſacramento, Eccleſiarum cura, ac Romanæ præſertim, a Deo Optimo Maximo ſibi concredita, impulſum id conſilium cepiſſe; cui cum, nuper extinctis Alphonſi Ducis agnatis, Ferraria, quæ in priſca ejus poſſeſſione fuerat, quam ſui deceſſores auxerant, protexerant, devolveretur, rationi atque æquitati*

Anathema in Eſtenſem pronuntiatum.

tati conſentaneum exiſtimaſſe, ut reliquis eccleſiaſticis ditionibus adnecteretur: unum Cæſarem, quem antea dilexerat, atque uti ex Eſtenſi familia prognatum multis officiis proſequutus fuerat, obſtitiſſe; inconſulta atque inſcia Apoſtolica Sede, inſignia gubernaculaque ducatus ſumpta, arma ſuſcepta, oppida munita, in arcibus præſidia militum impoſita; quæ ne legitimis quidem dominis facere licuiſſet, omnia feciſſe: ab his conſiliis actionibuſque ut illum quacumque ratione averteret, pridie nonas novembris monitoriis datis literis, tempus, quo indebite occupatis cederet, præfiniſſe; obfirmato ac reluctante, equeſtres ac pedeſtres copias comparaſſe; ni ſecus poſſet, vim adhibiturum; extremum tamen id antea experiri voluiſſe, ſi forte pœnæ cenſurarumque terrore adactus, rationi ac juri obtemperaret: Itaque, Eſtenſibus extinctis, eccleſiaſtici juris Ferrariam effectam decernere; qui eam occuparent, refractarios ac perduelles pronuntiare; omnique conatu Cæſarem pellendum, fructus ab Alphonſi obitu perceptos, belli impenſas damnaque in iis ditionibus recuperandis ab eo ſarcienda ac ſolvenda ſtatuere: neque, quod judices non ſuſpectos ſcripto petiiſſet, ei quidquam profuturum, cum ad ſe tantum, uti feudi dominum, judicium ſpectare ſanciverit: quin etiam quod typis Cæſar promulgaſſet, caſum (ut ajunt) feudi caducitatis non adveniſſe, manifeſte falſum eſse; Alphonſum ſiquidem, poſtremum Ducem, ut in eos, quos nuncupaſſet, ducatus tituli tranſmitterentur, ſupplicem a Summis Pontificibus efflagitaſſe; Romam Principum favore ſubnixum acceſſiſſe; quod maxime expetiverat, conſequi non potuiſſe: ex his quantam Cæſar injuriam Eccleſiæ inferre nitatur, quam iniquam cauſam tueatur, conſtare. Quapropter, quindecim adhuc dierum ſpatium tribuere: ni Ferrariæ aliiſque ſubjectis ditionibus faceſſat, extra fidelium cœtum ſubmotum, cunctis titulis, beneficiis, dignitatibus exutum. Eccleſiæ hoſtem ac rebellem jam tum renuntiare; triduo inde elapſo, urbi, oppidis, omnique ditioni ſacris interdicere; alteris totidem diebus tranſactis, ſacramento ſubjectos exſolvere, bona Cæſaris, aſſeclarum fautorumque occupantibus concedere, privatos omnes, Imperatorem, Reges, Reſpublicas, alioſque chriſtianos Principes ad Eccleſiæ opem ferendam

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1597 *cohortari*, *invitare*: *iis*, *qui pro felici iſtius expeditionis eventu Deum Optimum Maximum oraverint*, *expiatis animi ſordibus*, *cæleſti pane refecti fuerint*, *plenam* (*ut ajunt*) *indulgentiam impertiri*; *pollicita*, *contractus*, *fœdera*, *jusjurandum*, *ſi quis Princeps iis ſe Cæſari obſtrinxiſſet*, *abrogare*, *infringere*; *Imperatorem*, *Reges*, *Reſpublicas*, *Principes*, *qui ei faviſſent*, *per eorum ditiones tranſitum copiis permiſiſſent*, *anathemati ſubjicere*. Multa præterea, ut tremendo fulmen tumultu rueret, ſumma cura ac ſtudio elaborata adjicit. Clemens pontificio habitu indutus, una cum Purpuratis divi Petri aulam aſcendit, a divi Cæſarei Cardinali diploma perlegi & vulgari jubet; perlecto, accenſum ingentem cereum in ſubjectam plateam projicit; Cardinales pariter minores ardentes candelas de more jaciunt. Extemplo magnus tympanorum ac tubarum clangor ſubſequitur; arcis tormenta, veluti belli præludia, diſploduntur; diploma in quatuor præcipuis urbis locis, divi Petri, divique Joannis Laterani baſilicis, in publico tabulario, & Campo Floræ affigitur; Bononiæ & Cerviæ promulgari jubetur.

Eſtenſis, qui nunquam Ferraria ceſſurum conſtanter affirmaverat, licet urbis ſitu, imis ac paluſtribus locis, horrida hyeme, auxiliorum ſpe ſuffultus, quæ novem peditum ex ordinibus millium, mille ac quadringentorum equitum, peregrino quatuor millium equitatu ſubnixus; promulgati in ſe anathematis nuntio perculſus, aliquantiſper priſtinum vigorem animi remittere viſus eſt. Non ita ſe paratum eſſe, ut ingruentem impetum exciperet, affirmare; non ſibi ingentes illos theſauros, quos diuturna pace collegiſſe Alphonſus ferebatur, adeſſe: itaque pecuniam flagitare: ſe tandem, ni aliter poſſit, in Hiſpanorum voluntate futurum.

M. D. LXXXXVIII.

1598 AT Clemens emiſſum diploma in omnes chriſtiani orbis partes perferri, in Italia præſertim, Venetiſque ditionibus promulgari curat; ejus exemplar Laurentio Priolo, Cardinali, Venetiarum Patriarchæ, aliiſque urbium Epiſcopis mittit. Priolus, vir in Republica legationibuſque apud Europæ Prin-

Principes obeundis antea verſatus, in ſummi momenti negotio nihil præpropere agendum ratus, quæ ſibi Clemens præceperit, Patribus ſignificat. Nicolaus Sagredus ac Petrus Duodus, continentis Sapientes, mittuntur, qui mentem ejus pernoſcant, Senatuique nuntient. Priolus, ut ſtatim edictum in Eſtenſem pronuntiet, juberi ſibi ait; quid ea in re Senatus cenſeat, poſcere; ſperare ſumma Patrum prudentia iniri viam poſſe, qua & publicis rationibus, & Pontifici, cui ipſe ex munere devinctus ſit, ſatisfiat. Antiſtiti gratiæ actæ. Delphino legato juſſum, ut edicto in Reipublicæ ditionibus promulgando tempus flagitet: *Inſuetum id eſſe*; *nihil id ad Rempublicam diploma ſpectare*: *in chriſtiani orbis præcipua urbe promulgatione abunde ſatisfactum*; *nunquam in Venetorum imperio ejuſmodi literas pronuntiatas*, *quibus vulgi mentes ambiguo ac perplexo timore percellerentur*. At neque rationibus neque precibus a Delphino Clemens flectitur: *Cur tantum ea in re ſibi obſiſteretur*, *ignorare*: *an non Neapoli promulgatum*, *indictum*? *cur tanto opere Senatus obniteretur*? *ſe*, *quid faciendum ſit*, *cogitaturum*; *id conſilii*, *quod Deus Optimus Maximus immiſiſſent* (reſponſum id in gravioribus cauſis Clementi familiare erat) *capturum*. Joannes porro Carolus Scaramellius, Senatus apud Neapolitanum Proregem a ſecretis, ſcriba, ſignificabat, *Collaterale* (ut vocant) *concilium* edicti pronuntiandi facultatem mandato (*quod exequatur* vocant) permittere noluiſſe: a Martha regente, dum a ſacerdote quodam exhiberetur, diſcerptum: inde Pontificis Internuntium perturbatum acriterque conqueſtum, nihil intentatum reliquiſſe; ubi vero de negotio conſultum eſſet, cum Philippum Hiſpaniarum Regem diplomate, quo ſibi Neapolitanum regnum deferebatur, nunquam Pontifici adverſaturum, immo ad Eccleſiæ ſpectantia, Ferrariamque præſertim recuperandam opem laturum, ſacramento obſtringi compertum fuiſſet; tandem ut edictum pronuntiaretur, impetraſſe. At Veneti Antiſtites de publicis rationibus edocti, cunctatione utebantur. Solus inter ceteros Franciſcus Molinus, Tarviſii Epiſcopus, octavo idus januarii ſub veſperam, quinque tantum adſtantibus, in cathedrali baſilica pronuntiaverat, ſumma Senatus omniumque civitatis ordinum indignatione; eoque facto magna ex parte comparatam

in

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1598 in aliis pro patria actionibus laudem corrupiſse viſus eſt. Idem Milanius, Bergomi Antiſtes, Theatini ordinis, Venetus civis, alioqui patriæ ſtudioſiſſimus, urgentibus pontificiis mandatis, cenſurarumque minis territus, facturus videbatur, niſi ejus rei ſtatim Bergomi magiſtratus Senatum certiorem feciſset; licet quæ poſtea accidere, omnem ulterius ea in re tendendi occaſionem abſtulerint.

Pontifex interea anathematis ſpiculo arma quoque jungebat. Aldobrandinus nepos quamcelerrime Ferrariam verſus moturus, copias cogit, haud exigua ſpe, ambiguis ſuſpenſiſque Principum animis, nec dum Philippi mente cognita, terrifico execrationis fulmine, repentino armorum ſtrepitu plebem concitatum iri; niſi Ferrariam Cæſar relinquat, concordiæ omnes conditiones abnuere ſtatuens: quod Rupertus Lius, Senatus ab arcanis ſcriba, officii cauſa ad eum miſſus, Patribus ſignificabat; affirmare nempe Aldobrandinum, aliud conſilium ſe patruo nunquam daturum, ſe Cardinaliciam dignitatem, vitam quoque ipſam potius effuſurum. Per eoſdem dies Jacobus Mazzonius, elegantis ingenii, atque haud vulgaris doctrinæ vir, ab eo Venetias miſſus, Senatui gratiis actis, egregium Cardinalis in Rempublicam animum oratione accurata patefacit. Inde, quæ paſſim ſermonibus diſſipentur, Ferraria Pontificem potiri, Patribus acerbum eſſe, occulta auxilia Eſtenſi ſuppeditari, quam moleſta Cardinali ſint, exponit: quæ cum a Veneta generoſitate atque amplitudine aliena valde exiſtimet, ut re ipſa ejuſmodi inventa refellant, quam inania falſaque ſint, aperte Patres ſignificent, efflagitat. Mazzonio Senatu conſulto reſponſum: Cardinali gratiæ actæ, publica benevolentia teſtata, cuncta felicia proſperaque Clementi exoptata, Italiæ quietis ac tranquillitatis ſtudium expoſitum. Ceterum cuncta in dies magis incerta ac difficilia Cæſari erant, dejectæ ſuorum mentes, ejus militiæ plerique ægre accedere, alii dilabi; nutantem fortunam nemo vel auctoritate vel vi ſiſtere; pecunia in belli ſumptus deficere; ex Principibus nemo palam favere; conſultores perterriti, ancipites, non omnes ſinceræ fidei. Ipſe vero magnis tractandis rebus nondum aſſuetus, ea tempeſtate clavum tenebat, quo & ingenti animi vigore, & obſtinata ad

Rubertus Lius a Venetis ad Aldobrandinū Card. miſſus.

Jacobus Mazzonius, Cardinalis Aldobrandini nuntius ad Venetos.

omnes

omnes moleſtias atque acerbitates perferendas mente opus fuiſſet. Itaque ſenſim ad concordiam inclinare animum, occulto- 1598
que per Franciſci Mariæ Urbinatum Ducis uxorem, Alphonſi nuper defuncti ſororem, cum Aldobrandino agere de illa cœpit.

Anconæ Epiſcopus Venetiis antea digreſſus, cum Pragam perveniſſet, a Cæſare enixe Clementis nomine flagitabat, ut, qui princeps totius reipublicæ chriſtianæ ſit, Eccleſiæ cauſam tueretur. Rodulphus, Eſtenſi opem minime laturum (quippe qui immenſa prope in ſe Apoſtolicæ Sedis, Clementiſque Pontificis merita norit) pollicitus; id cupere vehementer ajebat, ne in Italia bellum exoriretur, ex quo ingentia atque irreparabilia Chriſtianorum in Pannonia rebus damna obventura conjectaret. Ea omnia Senatui per literas ſignificat; hortatur, aliquam concordiæ viam inter Clementem atque Eſtenſem inveniat; armorum motus ſua auctoritate compeſcat, ne flamma in Italia ſuborta, Pannonicæ res corripiantur. Corradutius ac Barvicius proceres, Rodulphi juſſu ad Franciſcum Vendramenum, legatum, adeuntes eadem petunt. Patres egregiam Rodulphi Cæſaris mentem commendant; nihil, quod in rem communem, atque ad pacem in Italia ſervandam attineat, prætermiſiſſe, commemorant. Verum Eſtenſis eodem tempore, quo de concordiæ legibus cum Clemente agitabat, ſive, ut melius ſuis conſuleret rebus, ſive ut in omnem eventum paratior evaderet, auxilia enixius a Senatu efflagitabat; multa in ſpeciem proponebat; quæ dum exacte penſitantur, ecce aliæ ab Octobono ſcriba literæ ſuperveniunt: ſibi per Pacianum conſiliarium Eſtenſem ſignificaſſe, dubia, nutantia, ſuſpecta ſibi omnia eſſe, neceſſitate ad concordiam adigi. Eam vero ſedulo pertractari, Cæſarique omnino conſtitutum eſſe, moleſtiis atque acerbitatibus ſe eximere. Ferrariamque deſerere cum jam nuntiaretur, poſtremo Senatus conſulto reſponderetur, gravi ob anguſtias, quibus undique premeretur, ſollicitudine Patres commoveri; ingenti dolore affici, quod officia ad commune bonum non minus, quam ad ſuus dignitatem atque incrementum adhibita, ubi maxime exoptaverant, minus ponderis habuerint. Ille cumulatiſſime Senatui gratias egit, Reipublicæ officia ac merita, alta mente infixa, æterna memoria culturum.

Fa-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1598 Faventiæ tandem inter Urbini Ducis ſororem Gualengumque equitem a Cæſare, Petrum Aldobrandinum a Clemente re agitata, tertio idus januarii ſancita concordia; cui antequam Eſtenſis ſubſcriberet, Sapientum judicem (qui præcipuus Ferrariæ magiſtratus habetur) una cum ſelectis undecim ad ſe vocat; quo loco res ſint, exponit: *trium optionem eſſe, earum quid malint enixiſſime petit: primum, ut, reliquis ditionibus relictis, Ferrariæ mœnium ambitu ſe ſe includant, extremum periculum in ea civitate tuenda ſubituri; alterum, ut in Principis ſe alicujus clientelam committant, ejus auctoritate ac viribus nixi, muniendæ interea urbi incumbant, ſeque ad defenſionem comparent; poſtremum, ut neceſſitati obtemperent, ingruenti magno impetu fortunæ cedant, tutioribuſque conſiliis, labentibus rebus, utantur, quo reliquis ditionibus, atque Eſtenſis familiæ decori ac firmamento conſulatur: quamprimum his de rebus ſtatuendum, diutius eo loco res conſiſtere non poſſe.* Hæc Eſtenſis. Tum Sapientum judex, *ſi quæ ejus ſit ſententia quæratur*, inquit, *poſtremam amplecti: id & tutius, & præſenti rerum ſtatui neceſſarium eſſe.* Judicis ſententiam alii ſequuntur, quos forte quæ mens Cæſaris eſſet, minime latebat. Itaque Eſtenſis ſe conſilia ex eorum voluntate ac ſententia capturum affirmat, accerſitoque Scribæ imperat, Ferrariæ ceſſionem in ſcriptis redigat. Præcipuæ concordiæ leges fuere. I. *Eſtenſis Ferrariæ civitate, arce, atque omni agro, qui Pado objicitur, cedat.* II. *Plebem ac Centum, Romandiolæ oppidum, familiæ licet Eſtenſis ſint, Pontifici concedat.* III. *Tormentorum, quæ in ditione Ferrarienſi ſunt, dimidium dimittat.* IIII. *Pro Plebe ac Cento quatuor ei in Bononienſi agro vici reponantur. Familiæ bona in Ferrarienſi ditione, aliiſque locis ſita* (*quæ* allodialia *vocantur*) *permaneant.* V. *Anathematis vinculo una cum ſuis exſolvatur.* VI. *Mutinæ ac Regii Ducis titulos obtineat.* Hæc præcipua capita. Priuſquam vero Ferraria digrederetur, noctu ſcribam Reipublicæ Cæſar adcerſit; denuo actis Senatui gratiis, quæcumque ab ſe atque Eſtenſi familia proficiſci poſſint, Reipublicæ defert; ſi ſe occaſio daret, imperium vitamque ipſam pro ea objecturum.

Concordia inter Eccleſiaſticos & Eſtenſem ſancitur.

Pacta de Ferraria Pontifici tradenda.

Is Ferrariæ exitus fuit, pro qua cum ſuperioribus tempeſtatibus acerbæ contentiones, difficillima bella exorta eſſent, modo,

do, præter omnium opinionem, brevi temporis ſpatio, omnibus Principibus veluti ſtupore defixis, in pontificiam ditionem conceſſit. Ac ne quid in tanta re ad illius fortunæ felicitatem addi poſſet, ab Alphonſi Ducis ſorore, atque a Gualengo equite negotium actum: illa parum ſemper in Cæſarem fuerat propenſa; hic decennii exilio mulctatus, atque in Alphonſi Cæſaris patris gratiam procul Ferraria ſubmotus. Bandini Cardinalis in Comaclum ingreſſu cumulus acceſſit; qua ex re licet Rodulphus Imperator acerbitatis haud parum contraxiſſet, quod ſuæ ditionis civitatem (uti ajebat) pontificii occupaſſent; attamen temporum conditione, bello Pannonico diſtentus, verbo tenus eſt conqueſtus. Felici Ferrariæ ſucceſſu ingentia Romæ atque in pontificiis ditionibus publica lætitiæ ſigna edita. Officii atque honoris plenas Pontifex ad Senatum literas dedit, quibus ſuo pontificatus tempore tantum incrementum Eccleſiæ acceſſiſſe gratulabatur; illius religionem ac pietatem efferebat; quidquid ex ea finium conjunctione commodi ad Rempublicam pervenire poſſet, ultro pollicebatur. Clementi congratulantes Patres reſponderunt; prudentiam ac pietatem ſummis extulerunt laudibus, quod abſque armis ſanguiniſque effuſione, tam egregiam rem, ex qua illi in omnem poſteritatem nominis fama & concelebritas manebat, confeciſſet. Hæc in Italia.

Comaclum a Pont. occupatum.

Uſcochi ad Curictam inſulam triremes Venetas & epiroras aggrediuntur.

Annus Uſcochorum moleſtiis vacuus non fuit. Menſe martio quingenti ad Curictam inſulam delati, trecentis, qui jam exſcenderant, ſibi adjunctis, in quinque Epirotarum longa navigia, quæ una cum duabus triremibus in portu erant, Marco Antonio Canalio, ac Petro Mauroceno trierarchis abſentibus, impetum faciunt, Epirotas obtruncant; nihil in infeſtam ſibi gentem crudele, ac barbarum prætermittunt. Ob id, ut reliquis claſſis copiis mille ac quingenti adjicerentur milites, latum. Legato, ut in trierarchos, qui negligentius cuſtodias obiverant, animadverteret, juſſum: ambobus publico munere exutis, triremes adempræ. Inde gravioribus damnis circumjectas oras, in quibus prædonibus tutus receptus erat, Bembus afflixit, multis cæſis ac deletis; Novium, caſtellum in litoribus Senniæ propinquis ſitum, aggreditur; tormentis quatit, mœniaque proſternit. Italico ſubmiſſo pedita-

Novium a Joanne Bembo captum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1598 ditatu, Uſcochis licet acriter ſe tuentibus, non ſine ingenti eorum cæde, finitimorumque terrore expugnat. Ac licet eo ſucceſſu vehementer Cæſareani conquerentur, attamen invitum, neceſſitateque compulſum ad ea deſcendere Senatum cognoſcentes, cur tot incommodis obviam non irent, Pannonico bello tribuebant.

Jaurinum a Cæſareanis receptum.

Atque eodem tempore lætum Jaurini, Adolphi comitis Suarcemburgenſis, Comari præfecti, pernobili ac felici aſtu recuperati, nuntium Patribus afferebant. Is ſane una cum Palfio, ſex mille circiter partim peditibus, partim equitibus coactis, noctu Jaurinum propius intulere, ſub auroram machina (quam *petardum* vocant) portam proſternere, inde ingredi urbem poſſe rati. Sed cum portæ, arcis ponti, quo in urbem itur, propinquæ, fruſtra applicuiſſent, denuo a Gallo quodam urbis portæ fuit admota; qua ingenti fragore, tonitrui inſtar, dejecta ac proſtrata, aditus Cæſareanis eſt factus. Novitate rei, tenebris, armorum ac ſcloppettorum ſtrepitu ex compoſito diverſis in locis circa urbis mœnia excitato, perculſi & perterriti Turcæ, pars ad muros, pars ad portas accurrunt. Cæſareani urbem ingreſſi, mille ac trecentis una cum Baſſa aliiſque inſignibus præfectis cæſis, ducentis tantum Chriſtianis deſideratis, Jaurino potiuntur. Felicem rei exitum Cæſari Senatus gratulatur. At Hibraimo in Pannonia exercitus imperatore a Mehemete declarato, cum, inter Janizzeros ac Spachos exortis diſſenſionibus, tempus extraheretur, in ſuperiori Pannonia Georgius Baſta, Epirotico genere Neapoli ortus; in inferiori Suarcemburgius duces creantur. Buda a Suarcemburgio tentata, urbs ipſa occupata, arx fruſtra oppugnata. Ab Sardare Baſſa eodem tempore Varadinum, ſuperioris Pannoniæ oppidum, immani conatu obſeſſum. Interea Michael Vaivoda cum ſuis copiis in turcicos fines irrumpens, centum paſſuum millia cuncta depopulando emenſus, Coronam uſque progreditur; qua ex re Mehemetes permotus, Dautem Baſſam magno militum numero Hadrianopolim mittit, qui ibi hyemare ſtatuit, ut inſequentis anni initio Satergio Baſſæ junctus, quem Michael inſequutus Belgradum uſque propulerat, eas regiones propugnaret. Ita eo anno in Pannonia dimicatum, Cæſareanorum, ob Jaurinum recuperatum, ſuperiore fortuna, nec

Hibraimus Turcarum exercitus in Pannonia imperator.

Buda a Cæſareanis capta.

nec inferiori ſpe, quod, inter Hiſpaniæ ac Galliæ Reges pace ſancita, orbi chriſtiano ſpes affulgere videbatur; ut ea arma, quibus per tot annos in reipublicæ chriſtianæ perniciem depugnatum fuerat, in barbarorum pectora conderentur. Qua in re magnus in Clemente ardor, ingens ſolicitudo extitit, veluti felici nuper eventu, ad majora multo atque ampliora raperetur. 1598

Inter hæc novæ ditionis deſiderio viſendæ Ferrariam proficiſci ſtatuit, cujus antea nepos gubernaculis ſuſceptis, vectigalibus aliquot abrogatis, beneficiis immunitatibuſque conceſſis, annonæ ubertate curata, populi ſibi gratiam ſtudiaque conciliaverat. Clemens vero, religioſa pietate Deo Optimo Maximo Deiparæque Virgini civitate conſecrata, ſanxit, ne in poſterum eæ ditiones concedi beneficiario jure, aliave ratione tradi alicui poſſent, ſed perpetuo in Eccleſiæ imperio retinerentur. Iter ſumma pompa, univerſa aula, omnibuſque fere Purpuratis comitantibus, per Umbriam, Aemiliam, Flaminiam, undique rei novitate effuſis populis, habuit, quod multis ab inde annis Roma circumjectiſque locis Pontifices minime digreſſi fuiſſent. Complures Principum legatione Ferrariam ad Clementem ſalutandum recenſque imperium gratulandum confluxere. Lecta quoque ad id inſignium Senatorum a Venetis legatio, in qua fuere Jacobus Fuſcarenus, Joannes Superantius, Leonardus Donatus, Paulus Paruta, cuncti equeſtris ac procuratorii ordinis; cum iis una Joannes Mocenicus, Delphino in ordinaria legatione ſucceſſor, eſt profectus. Publico nomine Clementi gratulati, obſequium Reipublicæ in Apoſtolicam Sedem, atque in eumdemmet Pontificem amplifſimis verbis teſtati ſunt: nulla in eos vel benevolentiæ vel honoris argumenta a Clemente prætermiſſa. Jngens tota Italia Ferrariam concurſus, ut ex ea mutatione decoris dignitatiſque incrementum ſuſcepiſſe videretur. Ac veluti nemo fere Venetiis fuit, qui ad pontificiam majeſtatem, Romamque curiæ adſpectum eo non convenerit; ita ex Purpuratorum numero vix unus aut alter extitere, qui Venetias non acceſſerit, ut inſuetam circumfuſamque aquis urbis faciem intueretur; quorum plerique omnes qui antea non viderant, ſitu, populi frequentia, baſilicarum templorumque religioſo cultu, navalibus aliiſque

Clementis Pont. decretum de Ferraria nunquam alienanda.

Clemens Pont. Ferrariam proficiſcitur. Legati Veneti ad Clementem Pontif. Ferrariæ degentem.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1598 aliisque eximiis rebus inspectis, summa admiratione capiebantur. In eos nihil publicæ liberalitatis decreto Senatus omissum.

Controversiæ inter pontificios & Venetos de finibus.

Mutuas hasce benevolentiæ significationes aliqua ex parte finium exortæ contentiones turbavere, cum pontificii, aliquot Reipublicæ subjectos, in Gauri aquis Venetæ ditionis piscatui operam dantes, detinuissent; nostri injuriam sarcire, atque possessionem retinere adnixi, eorum ausus repressissent; in nonnullos, qui metu, ut a Ferrariensium injuriis se eximerent, ab iis piscationis jura coemerant, ab aquarum præfectis animadversum. At cum Ferrarienses denuo alios iisdem in locis cum lintribtis retibusque commorantes comprehendissent; id minime ferendum Patres rati, acerbe admodum cum Clemente conquesti, triremes aliquot evocarunt, quibus & jura publica tuerentur, & turbatoribus obsisterent. Verum Aldobrandinus Cardinalis, qui mutuam inter patruum ac Rempublicam coalescere augerique amicitiam studebat, ne a parvis initiis acriora dissidia suborirentur, veritus, ut satis Reipublicæ fieret, contendit, capitivosque dimitti jussit.

Ferrariæ Clemente commorante, pacis inter Reges sancitæ nuntius advenit. Nam cum, Armoricis exceptis, Gallia omni Henricus potiretur, atque cum Mercurii Duce, qui iis in locis bellum gesserat, certis conditionibus pactus, eas sibi regiones adjunxisset; & spe, qua superioribus annis subnixi fuerant, Hispani dejecti, magis propensi in concordiam censerentur: Clemens, ut, si qua ratione posset, Reges conciliaret, Bonaventuram Calatogirnum, Franciscani ordinis præsidem, natione Siculum, in Hispaniam miserat, specie ad illius ordinis religiosos invisendos, re, ut quis Philippi animus esset, exploraret. Is inclinantem ad concordiam Regem invenit: exacta ætas; filii iuventa, cui connubio juncto, quietum regnum relinquere satagebat; major natu filia Alberto Austrio, qui tunc in Purpuratorum numero erat, inferioris Germaniæ dote destinata, ad pacem amplexandam hortabantur. Ea cum Clemens cognovisset, Præsidem in Galliam proficisci, atque in id una cum Alexandro Mediceo, legato, omnes ingenii nervos contendere jubet. Ambo Henricum ad-

Bonaventura, franciscani ordinis præses, in Hispaniam a Pontifice missus.

adeunt; pacem tot annorum curriculo intestinis dissidiis vexato necessariam, universæ christianæ reipublicæ salutarem, sibi glorioſam, suadent. De concordiæ legibus Pomponius Belleurius, consiliarius, Nicolaus Brulardus, Selleri dominus, curiæ Parisiensis præses, Henrici; Philippi vero nomine Joannes Ricciardottus, privati ac politici consilii princeps, Joannes Baptista Tassius, Aloysius Henrichius pertractant. Tandem Vervini quarto nonas junii pax iis conditionibus sancita, *ut, præteritarum rerum memoria deleta, concordia, quæ anno* M.D.LVIIII. *Cambresii inter Henricum secundum atque eumdem Philippum Hispaniæ Regem icta fuerat, confirmetur: ab eo tempore utrimque occupata duorum mensium spatio restituantur: Galliæ atque Hispaniæ regibus Isabellæ, Philippi majori natu filiæ, jura, quibus vel ipsi, vel illorum decessores expresse non renuntiarint, intacta maneant; si quæ difficultates intercedant, vel per sequestres, vel per judices dirimantur. Sabaudus ea pace comprehendatur; civitatem arcemque Beræ in Provincia sitam, ac si qua inde tormenta asportata fuerint, bimestri spatio restituat: inter ipsum atque Henricum controversiæ Clementis Summi Pontificis judicio infra annum definiendæ permittantur: eo facto Carolus Emanuel medius, amborumque Regum amicus sit: a promulgationis die liberi utrimque aditus, tuta commercia inter provincias subjectosque maneant.* In ea pace ab Henrico nuncupati Clemens Pontifex Maximus; Rodulphus Cæsar; Electores, Principes Imperii civitates, præcipue vero Comes Palatinus Elector, Marchio Brandeburgensis, Dux Vittembergensis, Assiæ Lantgravius, Anspachi Marchio, Frisiæ orientalis Comites; maritimæ civitates fœderatæ, quas vulgo *Anseaticas* vocant; Reges regnaque Scotiæ, Sarmatiæ, Danimarchæ, Suetiæ, ac Respublica Venetorum; Helvetii, tria Ræthorum, cum eorumdem sociis fœdera; Lotharingiæ, Florentiæ, Mantuæ Duces; Lucensis respublica; Mediomatricum, Tullensium, ac Verodunorum Antistites & Canonici; Corcyræ Abbas, Sedani Domini ac Mirandulæ Comes. A Philippo comprehensi Summus Pontifex; Cæsar, Archiduces ejus fratres ac consobrini; Electores, Principes, civitates, Imperiique aditiones; Bajoariæ ac Menapiorum Duces; Leodiensis Episcopus; Hostfrisiæ fœde-

Pax inter Gallos & Hispanos Vervini inita, & ejus pacta

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1598 fœderumque ſuperioris Germaniæ Comites; Ræthorum fœdera ac ſocii; Sarmatiæ, Suetiæ, Scotiæ, Danimarchæ Reges; Dux Venetorumque Reſpublica; Lotharingiæ, itidem Hetruriæ Duces; Genuenſis Lucenſiſque reſpublicæ; Parmæ Dux una cum Farneſio Cardinali fratre; Mantuæ, Urbini, Sabionetæ Duces; Columnæ atque Urſinæ familiarum Principes; Finalis Maſſæque Marchiones; Salæ atque Colorni Comites; Monaci ac Populoniæ Domini. Cautum inſuper, ne Reges quempiam ex iis, qui utrimque nuncupati ſint, directe aut indirecte, per ſe vel per alios lædant: ſi quid repoſcendum exiſtiment, jure, non vi agatur. Sex menſibus ad alios utrimque amicos nominandos datis, ut menſis ſpatio jurejurando ea confirmarentur, ſtatutum. Albertus Cardinalis, Philippi Regis nomine, Areſcoti Ducem, Tarraconenſemque Admirantem eam ob rem Lutetiam mittit. In Deiparæ baſilica Henricus, quæ pacis legibus continebantur, inviolabiliter ſervaturum, Cruce Euangeliiſque de more tactis, ſolemni jurejurando ſanciit: Bironium, equitum tribunum, Ducem Paremque Galliæ creatum, ut Alberti Cardinalis Hiſpaniarum Regis nomine ſacramento ſolemni ritu præſtando Bruxellis interſit, in Belgium proficiſci jubet. Hinc atque inde oppida reſtituuntur. Philippo Comitatus Caroloenſis, ſupremæ Gallorum juriſdictioni addictus, ceſſit. Henricus Caletum, Andreſium, Caſtellettum, Montem Hulinum, Dorlanum, Capellam, Blavetum recepit.

Henricus Oſſatum Renenſem de pace Venetias nuntium mittit, & ejus expoſitio.

Inde Oſſatum, Renenſem Epiſcopum, qui confectam pacem ſignificet, Venetias mittit. Is cauſas, quæ Henricum ad eam ſanciendam impulerint, exponit: *Fortiſſimum ac prudentiſſimum Regem, poſt octo ac triginta annorum ſpatium, quo varie Gallia afflicta ac jactata fuerat, tandem quieti conſulendum, iiſque præſertim conditionibus, quæ non minori utilitati ſibi, quam decori ſint, pacem amplexandam exiſtimaſſe, religionis cauſa ductum, quæ præteritis bellorum tumultibus ac turbis ingentem jacturam perpeſſa, priſtino ſplendori reſtitui, niſi depoſitis armis, concordiaque inita, non poterat; juſtitiæ deſiderio permotum, quæ inter armorum ſtrepitus, bellicaſque actiones haud parum priſtini vigoris amiſerat: plebe preſſa, a potentioribus afflicta, fruſtraque tribunalia magiſtratuſque adeunte, cum omnia potentia, non æquitate & ratione*

ne adminiſtrarentur: proventuum ac vectigalium regni conditione impulſum, quæ ſæpius privatæ avaritiæ & commodo, quam publicæ utilitati inſervierint: magnum illi incitamentum, auctoritate & adhortationibus Clementis Pontificis additum, cui plurimum ſe debere cum fateretur, in re juſta atque æqua obtemperandum cenſuiſſe; eoque magis quod a concordiæ conditionibus ſummum ſibi cum utilitate junctum decus accederet. Duorum menſium ſpatio ſpectantia ad ſe oppida recepturum; trimeſtri inde elapſo, Blavetum in Armoricis, ſummi momenti arcem, poſt dirutas Hiſpanorum munitiones, ſibi adjunctum iri. Neque vero in conficienda pace, veterum, ut plerique jactabant, amicorum (Angliæ Reginam Batavoſque innuit) *Henricum oblitum; at præſentium rerum ſtatu, cum illi a concordia abhorrerent, perhonorificam hujuſcemodi occaſionem ad regnum ſtabiliendum, ejuſque confirmandas vires prætermittere noluiſſe: ſed ut aliqua etiam cum iis concordiæ ratio inveniatur, enixe operam daturum, nullis rerum aut fortunæ caſibus amicos deſtituturum. His de rebus Rempublicam certiorem facere Henricum voluiſſe, utpote qui illi arctiſſima neceſſitudine jungeretur, quamque præter ceteros diligeret, illarum literarum memor, quas undique circumvento, atque ab omnibus deſerto Senatus dederat, quaſque ille, ut egregium argumentum, atque rerum, quæ poſtea contigere, præſagium ſuſcepiſſet: in iis Chriſtianiſſimi illo titulo, Galliæ Regum veluti charactere, inſignitus; ejus regni, cum quo exorta Reſpublica per tot ſæculorum ſeries indiſſolubili nexu conjuncta fuerat, ſociis armis multa, eaque præclara geſſerat, quorum memoriam nullum tempus delere, nulla ætas conticeſcere poterit.* Inde in Venetæ Reipublicæ laudes effuſus, ab antiquitate, regiminis forma, prudentia, imperio, viribus commendat. Hæc prolixa atque eleganti oratione ab Oſſato enuntiata. Senatu conſulto Henrico gratiæ actæ, quod perilluſtri legatione ſummam benevolentiam, atque egregium in Rempublicam animum expreſſerit; perhonorifice initam pacem gratulari, omnia proſpera ac felicia Patres comprecati ſunt. Ad publicam lætitiam ſignificandam, juſſum, ut Deo Optimo Maximo Cælitibuſque gratiæ agerentur in aurea baſilica, Principe ac

Senatus reſponſum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1598 Patribus adſtantibus, ſacra pompa celebri peracta : ſeptimo kal. auguſti ſupplicationes magnifico apparatu frequentiaque habitæ.

Inicus Mĕdozza Hiſpanus orator, Venetis pacem initã ſignificat.

Ceterum nulla ab Hiſpanis gaudii, ut aſſolet, ſigna edita. Inicus Mendozza, Philippi legatus, Alberti tantum Archiducis exhibitis literis, ſancitam pacem Patribus ſero admodum expoſuit, more excuſatione efficta, quod ea de re nihil ab Rege in mandatis habuiſſet: neque id mirum eſſe, quod inter Burgundicam atque Andegavenſem familiam tantum conveniſſet. Ab Senatu legationes in Galliam atque Hiſpaniam decretæ : Franciſcus Vendramenus, jam Cæſarea legatione perfunctus, ad Henricum ; Aloyſius Venerius ad Philippum deſignati ; Venerius ob Philippi obitum illam non obivit. Oratoribus, qui Ferrariæ erant, ut Clementi partam ſuis laboribus ac vigiliis pacem gratularentur, injunctum.

Franciſcus Vendramenus, & Aloyſius Venerius oratores in Galliam & Hiſpaniam deſignati.

Clemens ſane in eam incidiſſe temporum conditionem ſibi videbatur, qua, Chriſtianorum ſedatis compoſitiſque diſſidiis, ſuis de expeditione in Turcas votis conſiliiſque favere, lætoque vultu fortuna adſpirare inciperet. In Pannonia Mehemetis potentiæ obviam itum, Strigonium receptum, Agria licet amiſſa, Jaurinum recuperatum. Quo pacto, qui vix uni Cæſari obſiſtere poſſet, is omnium Chriſtianorum impetum ſuſtineret ? Neque difficile, neque immenſi operis atque impenſæ rem fore : decem Germanorum, totidem Italorum peditum, quatuor equitum millibus, ducentarum triremium claſſe, cuncta fere terra vel mari proſpere atque ad exitum perduci poſſe. Atque adeo ea ſpe provehebatur, ut Amerino Epiſcopo Legato præciperet, ad ineundam cum reliquis Principibus ſocietatem Rempublicam impelleret. Qui Principis Patrumque Collegium adiens in hanc ſententiam eſt locutus : *Clementem aſſidue de incremento atque amplitudine chriſtianæ reipublicæ, deque perpetui hoſtis oppreſſione cogitantem, in id præcipue, a die initi pontificatus, conſilia curaſque omnes contuliſſe ; copiis, pecunia in Pannonico bello Cæſarem juviſſe ; pace diſſidentes Reges conciliaſſe, ut iis veluti firmiſſimis jactis fundamentis, chriſtianorum Principum fœdus adſtrueretur. Præcipuam hac in egregia con-*

Clementis Pontif. conſilia de bello Turcis inferendo.

Amerini Epiſcopi, Pontif. Nuntii, ad Venetos oratio.

conjunctione Venetam Rempublicam cenſere ; abſque ea præclarum nihil confici poſſe ratum ; quippe quæ vel imperio maritimo, vel auri argentique vi, vel claſſium robore, vel civium virtute ac fortitudine, vel rerum præteritarum, ac præſertim ſuperioris navalis victoriæ, cujus maxima pars fuerat, exemplo præſtaret. Ejuſmodi vero hac tempeſtate opportunitatem objici, qua major nulla unquam mortalium votis exoptanda eſſet : præfectos militeſque præteritis bellis ad labores vigiliaſque perferendas duratos, audentes, fortes, infractis ad omne periculum animis ; hoſtes contra adverſis præliis fractos, diſciplina militari corrupta, nuſquam imperiis obtemperare ; Regem neque corporis neque animi viribus ad chriſtianorum Principum impetum ſuſtinendum idoneum ; corpus luxu atque ignavia obæſum, ad belli munera obeunda minime aptum, animum aſperum, crudelem, efferum, ſuis inviſum, ex quo is terror ac potius deſperatio eam gentem invaſit, ut animo dejecta ac proſtrata, omnem prorſus priſtinæ generoſitatis vim amiſiſſe videatur : toties a Cæſareanis, quos antea ſpreverat, victa ; Strigonium, præcipua Pannoniæ urbs, capta ; incredibili prope felicitate hoc anno illis Jaurinum ereptum ; ex Daci victoria, Mœſique Principis uſque in Byzantii ſubjectos agros incurſiones factæ. Quis non videat, quam egregia animorum viriumque jungendarum opportunitas ſeſe offerat, exporrigat, ad eas regiones provinciaſque, olim a barbaris ſummo nobis dedecore ac damno ablatas, recuperandas, ad Chriſti Servatoris noſtri ſepulchrum, per vim ac tyrannidem oppreſſum, in libertatem vindicandum ? Hæ cogitationes, hæc ſtudia Clementis Pontificis Maximi : ad eadem chriſtianos Principes capeſſenda, patris affectu invitos, hortatus ; Rempublicam laborum ac vigiliarum ſociam compellat atque adſciſcit. Hæc, atque alia copioſe ac graviter Amerinus diſſerebat ; quæ ſane ut præclara atque ingentia eſſent, innumeris prope difficultatibus involvebantur ; Patresque hinc Clementis intentum ad eximia quæque animum ſummis efferebant præconiis, inde ſingula expendendo, quantæ moles eſſet ingens adeo pondus ſuſtinere, quæ ſuperiori bello Reipublicæ contigerant, ſubjiciebant animis ; quibus ſane ut tanta in re mature conſulerent, monebantur, cum tutum Reipu-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1598 blicæ fore non exiſtimarent, ut, quæ latiſſimos fines cum hoſtibus haberet, eorum primos impetus exciperet.

Alberti Auſtriaci cū Philippi Regis filia nuptia.

Dum hæc geruntur, Philippus Hiſpaniæ Rex, ut tandem Iſabellam filiam Alberto Archiduci, quod antea ſtatuerat, connubio jungeret, Madritum Philippo filio accerſito, quem Velladæ Marchio, ejus alumnus, Chriſtophorus Mora, Joannes Idiaqueus, conſiliarii, Nicolaus Damanus, Brabantiæ præſes ac ſcriba, ſtipabant, decretum perlegi jubet, quo Belgium filiæ tradit: conjuges, eorumque liberos ſupremos Principes Belgii provinciarum, Franciæ Caroleique comitatuum, ac Burgundiæ conſtituit, ea lege, ut ſi, nulla relicta prole, decedant, eæ rurſus provinciæ Hiſpaniæ adnectantur. Itaque Albertus Cardinalis comitia in Belgio convocat, ſubjectoſque ſibi jurejurando adigit. Bruxellis ſeptembri menſe digreſſus, galero depoſito, Pragam contendit, de Belgii rebus cum Rodulpho Cæſare fratre acturus; inde Græcium profecturus, ut Margaretam, Archiducis Caroli filiam, Philippo Hiſpaniarum Principi conjugem deſignatam, ſecum in Hiſpaniam duceret. De filii filiæque connubio Philippus per Mendozzam Senatum certiorem facit. Eadem Albertus ſignificat, ſeque in Hiſpaniam iturum, Ferrariæ Clemente conſalutato, per ditiones Reipublicæ iter ſe habere cupere oſtendit. Ea re cognita, bini legati, qui ad Venetos fines Margaretam, Hiſpaniæ Principis ſponſam, Albertumque Archiducem excipiant & comitentur, deſignati, Paulus Paruta, Vincentius Gradonicus.

Philippi Hiſpaniæ Regis filii cum Margareta Auſtriaca nuptiæ.

Paulus Paruta, & Vincentius Gradonicus, legati ad Hiſpaniā ſponſam intra Reſpublicæ fines excipiendam.

Per eos dies literæ a Franciſco Superantio, Reipublicæ in Hiſpania legato, de Philippi Regis obitu afferuntur: exacta jam ætate, arthritide febrique correptum, divi Laurentii templum, quod regio ſumptu ſeptem a Madrito leucis ad Euſcurialem ſubſtruendum curaverat, ſummoque religionis cultu proſequebatur, perduci voluiſſe: exiguum id iter ſeptem diebus ob corporis imbecillitatem confeciſſe; ingraveſcente morbo, lethoque adventante, Eccleſiæ ſacramentis munitum, ab Clementis legato Gartiam Lojolam, cui Albertus Archidux Toletanum archiepiſcopatum reſignaverat, inſignis illius eccleſiæ Antiſtitem ſolemni ritu conſecrati juſſiſſe. Filiis, eodemmet Archiepiſcopo præſente, adcerſitis, ad Principem converſus, quonam humana amplitudo

plitudo ac gloria deciderent, contemplaretur, dixiſſe; plumbeumque loculum, quo defuncti cadaver reponendum erat, ad ſe deferri juſſiſſe, humanæ in ea conditionis ſortem, mortaliumque finem chriſtiano Rege digna pietate intuitum: filio multa præcepta ſcripto, quibus regna atque provincias ſibi ſubjectas moderaretur, exhibuiſſe; ordinemque exequiarum præſcripſiſſe: Apoſtolicam Sedem, Pontificem, catholicam religionem, Clementis adſtante Internuntio, commendaſſe; ab eodem erratorum veniam petiiſſe: ut quoad fieri poſſet, pacem in ſuis ditionibus ſervarent, optimos præfectos darent, hos præmiis ac beneficiis, malos ac ſceleſtos pœnis afficerent, liberos monuiſſe: multiſque pietatis argumentis editis, duorum ac ſeptuaginta annorum ætate confecta, e vita migraſſe; nam cum anno M. D. XXVI. ſeptimo kal. maji in lucem prodiiſſet; M. D. LXXXXVIII. idibus ſeptembris extinctus eſt: inter ſummos noſtræ ætatis Principes adnumerandus; in politicis rebus adminiſtrandis eximius; excelſo ſpiritu, conſtanti animo, in tractandis negotiis, quorum exitus mire providebat, ſolers, in hanc vel illam partem inclinante fortuna, immotus: vivente patre regnum adeptus, bis feliciter cum Gallo ad ſanctum Quintinum & ad Gravelingam per ſuos duces conflixit: ipſe minime ad arma propenſus, plura negotio & conſilio, quam Carolus bello confecit. Quater matrimonio junctus; Mariæ Luſitaniæ Principi, ex qua Carolum ſuſcepit, ejus juſſu poſtea interfectum; Mariæ Angliæ Reginæ, ex qua liberos non tulit; Eliſabethæ Henrici II. Galliæ Regis ſorori, ex qua Eliſabetham, hoc anno Alberto junctam, & Catharinam, Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis uxorem, genuit; Annæ demum Auſtriacæ, Maximiliani Cæſaris filiæ, ex qua tres filii ac filia una ſuſcepti, Carolo Laurentio tantum ſuperſtite, qui ad regnum evectus Philippi tertii nomen ſumpſit. 1598

Philippi Hiſpaniorū Regis obitus, & elogium.

Is ſtatim per Mendozzam oratorem, perque literas patris obitum, in regno ſucceſſionem ſignificavit; egregiæ voluntatis argumenta in dies patris exemplo in Rempublicam editurum pollicitus. Regiis literis reſponſum, ingentem ex Philippi ſecundi obitu, quem Reſpublica ſumma obſervantiæ ſignificatione dilexerat, dolorem cepiſſe: id ſolatio eſſe, quod is tantum

Philippus tertius Hiſpaniæ Rex Venetis patris obitum, & ſuam ſucceſſionem ſignificat.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1598 tum imperium adeptus sit, qui præstanti virtute ornatus, paternis insistens vestigiis, pacem ac tranquillitatem publicam, atque Italiæ in primis conservaturus esset. Bini exinde oratores ad eum designati, Paulus Paruta, Joannes Delphinus : Parutæ ante discessum defuncto Franciscus Molinus sublectus. Albertus, in itinere Philippi obitu cognito, profectione non intermissa, per Lucemburgium, Treviros, Palatini Comitis, Vitembergæ Ducis ditiones in Bajoariam, inde in Tirolensem comitatum pervenit. Oeniponte digressus, Margaretam, Hispaniarum Regis sponsam, una cum Maria matre, quam ex superiori Pannonia nobilium equitum manus comitabatur, obviam habuit. Una iter per Bolzanum prosequuti, Tridentum quarto kal. novembris, inde ad Venetorum fines perveniunt. Ibi Reipublicæ legati occurrunt; qui, Regina perhonorifice excepta, ad Dolcæum vicum, ad Athesim amnen perducunt; quo, instrato ponte, trajecto, in Veronensi planitie cataphractorum equitum turmis, ordinum militibus, tormentorum magistris, infinita prope populi multitudine, totaque effusa civitate, excipiuntur. Equitum duo, peditum tria millia quingenti in eo comitatu numerabantur. Per dies decem victus e publico suppeditatus; nullum publicæ in eos liberalitatis ac magnificentiæ argumentum desiderari potuit. Ab Regina Albertoque Archiduce ingentes per Mendozzam Senatui gratiæ actæ. Per Veronenses in Mantuanos profecti, Ostiam oppidum ad Padum delati, reliquum iter navigiis confecere. Ferrariæ ab Aldobrandino ac divi Clementis Cardinalibus, tribus ab urbe passuum millibus, obviam itum. Ad urbis portas Suessanus, Regis apud Pontificem legatus, occurrit : inde a Sfortia ac Montalto, pernobili peditum atque equitum comitatu, Germanorum custodia stipante, matre atque Alberto sequentibus, Regina deducitur. Pontificis exosculati pedes, summa ab eo benevolentiæ significatione excipiuntur. Die dominico, qui fuit XVIII. kal. decembris, re divina a Clemente peracta, Hispaniarum Regis ad Albertum mandato pronuntiato inter ipsum, Philippi tertii Regis nomine, ac Margaretam, Austriacam nuptiæ conclebrantur : mox ab Suessano Duce, Isabellæ mandato exhibito, inter Albertum atque Isabellam connubia conficiuntur. Rosa sacra, lætitiæ ac pacis argumen-

Joannes Delphinus, & Franciscus Molinus, oratores in Hispaniam designati.

Margareta Hispaniarum Regina in Reipublicæ finibus recepta.

Hispaniarum Regina a Pontif. Ferrariæ excipitur, & nuptiæ concelebrantur.

mento, Regina a Pontifice donata. Ferraria digressi, per 1598
Mantuanos ac Cremonenses Mediolanum perveniunt, Genua in Hispaniam iter facturi.

Clemens anni exitu Romam contendit, inundatione Tiberis afflictam urbem solatus, qui sane amnis præter morem intumescens, depressiorem urbis partem cooperuerat, complura ædificia dejecerat, insuetoque terrore cujusque generis homines repleverat. Cividali in Carnis eo anno pestifera lues ex propinquis Germaniæ locis delata sæviit : plerique ex oppidanis extincti, gravioris incendii periculo, ni Patrum sedula cura obstitisset. Senatus consulto Nicolaus Donatus, cum summa auctoritate saluti præfectus, in provinciam missus; qui summo studio in delatum munus incumbens, multis ad eam rem decretis, ac præcipue, ne attactu malum diffunderetur, ægrotorum a sanis secretione facta, mutuaque consuetudine interdicta, serpens virus dispulit, publicæque saluti consuluit : qua in re Aloysii Marcelli, urbis præfecti, virtus atque in pauperes pietas enituit : neque minor Stephani Viari, Forojulienssium prætoris, solers cura ac diligentia extitit.

Finem huic anno haud immerito res imposuerit, quæ exiguis risuque excipiendis initiis oborta, in haud parvi momenti negotium excrevit; atque per totam Europam vulgata, summos quoque Reges attigit. Ab ignoto homine, qui ad urbem pervenerat, seque Sebastianum Lusitaniæ Regem ferebat, fabula exorta. Is initio apud infimam plebem astruere sibi fidem nixus, sensim nonnullos majoris notæ in eandem ambages trahere cœpit; re ita composita, ut, quorundam amicitia contracta, conspicuis vestimentis exornatus, complura, quæ Sebastiano Regi in Africa acciderant, ad se callida oratione referendo, eam de se opinionem apud multos aut credulitate nimia, aut curiositate captos imprimeret, ut Lusitani quidam, qui Venetiis erant, Sebastianumque Regem de facie noviisse dicebant, staturam, effigiem, sermones, aliaque signa, quæ ille summo artificio simulabat, conspicati, verum suum Regem esse, fere sibi suaderent : cum præsertim adhuc apud vulgus fama vigeret, ab Africano proelio non amplius visum Sebastianum fuisse. In dies vero cum magis magisque Lusitaniæ Regem Venetiis esse vulgaretur, Dominicus Mendozza, Phi-

Clemens Pontif. Romam redit. Tiberis inundatio. Pestilentia in Carnis.

De Sebastiano, ficto Lusitaniæ Rege, narratio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1598 Philippi Regis legatus, leve ac facile Luſitanorum ingenium pernoſcens, ne obſcura initia in majus aliquid erumperent, comprehendi hominem flagitat. Erant qui ſtatim, pœna capitis indicta, exturbandum e Venetis ditionibus cenſerent. Attamen in Regis ac legati gratiam, cum ſumma hominem vafritie ac fraude Sebaſtianum olim defunctum ementiri conſtaret, Senatus juſſu una cum aliquot, qui ei faverant, carcere includi jubetur; ut, quæſtione de more habita, poſtea decerneretur. Is coram judicibus interrogatus, abſque hæſitatione ſe Sebaſtianum Luſitaniæ Regem eſſe affirmat: anno M. D. LXXVIII. in Africa prælio cum Mauris conſerto, captum, miraculo e ſervitute ereptum, complures annos ignotum victitaſſe, varias Africæ atque Aſiæ regiones peragraſſe: inde, vivido juventæ flore amiſſo, magnis incommodis ærumniſque confectum, aduſtam faciem induiſſe: in Europam redire, Principibuſque ſeſe patefacere decreviſſe; pivatimque Summum Pontificem adiiſſe. Luſitaniæ regnum, ſibi jure debitum, ab Philippo repetere velle addit; amicum ſemper Venetis fuiſſe, ſuperiore turcico bello literas, quibus propenſa in Rempublicam voluntate auxilia pollicebatur (eo ſane tempore ab Luſitano Rege literæ officiis ac promiſſis refertæ ad Senatum miſſæ fuerant) dediſſe. Signa præterea quædam corporis, quæ nonnulli in Sebaſtiano vidiſſe affirmabant, præſeferebat; commento religionem, abſtinentiam, aſſiduas preces, ſimulatam quoque ecſtaſin nectens. Iis technis, vel ſtultitia, ſcelere, nonnullos ambiguitate ſuſpenſos tenuit, alios ad mendacium credendum pellexit; inter quos Luſitanus quidam, Huneſius nomine, cum aliis ejuſdem gentis, vel quod ita rem ſe habere crederent, vel ſibi id conducere poſſe rati, nuper Sebaſtianum Regem, quem mortuum eſſe ferebatur, prodiiſſe, literis ad amicos in Luſitaniam datis, vulgavere; quibus mobilis inani ſpe erecta plebs, haud parvi momenti ſeditiones concivit. Hujus vero rei exitum opportuno loco dicemus.

Sub

M. D. LXXXXVIIII.

SUb anni proximi exordium rurſus Uſcochorum peſtis 1599
erupit; quorum ſexcenti quartodecimo kal. februarii, intempeſta nocte, navigiis longis prope Albonam delati, exſcenſione facta, qua tenebris, qua oppidanorum nihil hujuſmodi ſuſpicantium negligentia freti, ſpe prædæ oppidum adoriuntur. Incolæ, atque Italici aliquot pedites arcis præſidiarii, ſtrepitu exciti, arma capiunt, Marinoque Molino prætore incitati, prædones repellunt ac fundunt. Ii ſtatim Flanonam haud procul devecti, imparatos oſcitanteſque incolas aggreſſi, caſtellum nullo negotio occupant, diripiunt, Cæſareanorum vexilla extollunt, ſacramentum ab invitis atque exarmatis extorquent; facinore perpetrato, abſcedunt. Iis nuntiis allatis, civitas fremere, in vindictam exardeſcere: nihil hucuſque ad peſſimæ gentis reprimendam audaciam actum; nunc de fortunis non modo privatorum, ſed de publica dignitate certamen eſſe: præſtare, ſemel viribus auctis, ſubjectorum ſaluti, proprio decori naviter fortiterque conſulere, quam ſenſim aſſiduis impenſis ærarium exhauriri, claſſem copiaſque inaniter abſumi: nullius inde reprehenſionem vel cauſæ æquitate, vel Principis debito munere ſubituros. Itaque ſtatim, Senatu convocato, Nicolao Donato, qui Bembo in Illyrica legatione ſucceſſerat, præceptum, ut præter Senniam circumjectaque loca, Tergeſtinam quoque civitatem obſidione cingeret, maritimoque commercio penitus interdiceret: in terram eductis copiis, prædones inſequeretur; loca, in quibus reciperentur, diruenda complanandaque curaret: eadem in regionum illarum incolas, quæcumque illi in noſtros facerent, moliretur. Subinde latum, ut quatuor peditum in Italia millia conſcribantur, ac quamprimum in Illyricum mittantur. Horum eventuum atque apparatuum rumore permotus Ferdinandus, veritusque, ne Veneti tot incommodis fatigati in ſe tandem arma converterent, quod ex ſuis ditionibus veluti ex ſentina, atrocia adeo ſcelera erumperent, cum Italis Principibus enixe agit, ne ſibi ſubjectos in Venetam militiam nomina dare ſinant; eo facilius id impetra-

Uſcochi ab Albona rejecti.

Flanona ab Uſcochis capta.

Senatus mandata ad Nicolaum Donatum, in Illyrico legatum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1599 traturum ratus, quod nova affinitate Hiſpaniarum Regi conjunctus eſſet; quodque privatæ publicam cauſam prætexeret, armorum tumultu iis in locis excitato, Cæſari in Pannonia adſpirantem fortunam averti poſſe. Quocirca Principum nonnulli Hiſpanis devincti, palam milites pernegare, alii cunctatione uti, moraſque innectere.

Itali Principes Venetis militum delectum in ſuis ditionibus prohibent.

Joſephus Rebata a Ferdinando Venetias mittitur.

Eodem tempore Joſephum Rebatam, legatum, Ferdinandus Venetias mittit, ſi forte apparatus remorando, diſceptationibus tempus extrahendo, animorum fervorem atque impetum reprimere poſſet. *Multis maximiſque beneficiis Reipublicæ Ferdinandum devinctum eſſe*, Rebata inquit, *quod ſuperioribus annis Venetias accedens, liberaliter exceptus; quod anno elapſo ſoror Philippo nupta, in Hiſpaniam proficiſcens, in Venetis ditionibus ſummis honoribus ſit exculta. Ingentem ex Uſcochorum audacia, ac præcipue ex iis, quæ nuper contigerant, moleſtiam percipere, facinora exhorreſcere, ſcelera deteſtari; ceterum nec culpam penes ſe, neque remedium eſſe; Senniam omnium malorum fontem in Cæſaris Pannoniæ Regis ditione contineri; nulla porro in re ſibi ſubjectos delinquere, licet multa damna atque injuriæ ad innoxios perveniant; Uranam in Iſtria oppidum direptum, navigia ſuorum intercepta, eorum aliquot ad triremium tranſtra ablegatos, quæ ſane parum ſuæ cum Republica amicitiæ reſpondeant. Quam motus hi chriſtianis rebus officiant; quam facile pax in Pannonia cum Mehemete, Reipublicæ quoque rationibus adverſa, inde oriri poſſit, Patres expenderent; ſecum reputarent, quantam auri vim in ſuis finibus, quæ munimento Reipublicæ ſint, adverſus Turcas tutandis inſumere Ferdinandus cogeretur: reſpicerent, quo pietatis ardore in catholicæ religionis incrementum, hæreticiſque excindendis incumberet: ne ab egregiis præclariſque actionibus ad ſublimia quæque natum Principem deterrerent: Principem, inquam, Reipublicæ amicum, finitimum, eximia probitate præditum, affinitate præcipuis chriſtianæ reipublicæ Principibus junctum: ad Cæſarem excitandum, ad quem negotium id ſpectaret, omnem operam ſtudiumque Reipublicæ navaturum; ac ſi quid Senatus vel proponeret vel poſtularet, pro virili, ut voti compos fieret, enixurum: petere interea, rogare, ut cœpti apparatus intermittantur, remque po-*

potius quiete tranſigi, quam armis malint. Hæc Rebatæ ſumma orationis fuit, qua incenſi magis animi, quam ulla in parte decreta mitigata ſunt. Itaque ei Senatu conſulto reſponſum: *Quæ ab Ferdinando Rebata attulerit, minime ſatisfacere: opportunum ſolidumque remedium tot malis jampridem expectantibus, inania tantum verba data: damna vero injuriaſque ad ſummum, ut intoleranda ſint, excreviſſe: Ferdinandi amicitiam a Patribus magnifieri; felicia ac proſpera cuncta Cæſari exoptare: a cœptis deſiſtere neque poſſe neque Senatum velle, ut, quoquo modo liceat, tot malis amotis, afflictis populis, remediaque poſcentibus opem ferat*. Eo reſponſo perculſus licet Rebata, nihil tamen, quo negotium extrahat, omittit; privatis ſermonibus egregiam Ferdinandi voluntatem teſtatur: multa habere ſe, inquit, quibus cumulate ſatis Reipublicæ fieri poſſit. 1599

Clemens quin etiam hinc Venetos rogat: quæ temporum conditio patiatur, iis contenti ſit; ſi vim adhibeant, pacem in Pannonia confectum iri. Inde Cæſarem hortatur, jam malis obviam ire velit; jam ſatis damna ac moleſtias ſceleratæ gentis Venetorum ſubjectos perpeſſos; non amplius verbis agi poſſe; victa prope immenſa patientia, copias claſſemque comparari: ni cito ſuccurratur, vim adhibituros, quo exitu incertum: ex parvis initiis ingentia quandoque præter omnium opinionem proficiſci. Mendozza quoque, Philippi legatus, vehementi animi ardore, ut a belli curis ſuperſederetur petebat: feliciori exitu rem conſilio confici poſſe affirmabat. Sed cum de ſententia Senatum dimovere fruſtra adnixum ſe intelligeret, abſque apparatuum intermiſſione negotium agitari flagitabat: id etiam ab hoſtibus, furente bello, armatis copiis, propinquis caſtris, fieri conſueviſſe, ſepius inter armorum ſtrepitus ac propinquas præliorum cædes pacem exortam. Rebata cum nihil cunctando aſſequeretur, denuo ſe audiri, binos Senatores, quibus ſummi momenti pleraque communicaret, flagitabat. Id cum non impetraret; nihil, quid ab eo Senatus velit, munere legationis perfunctum diſceſſurum ſignificat; atque eodem tempore poſtulatis non diſtitit, eaque per amicos ad Senatum deferenda curat. Pernegantibus collegii Patribus, ac nihil ſuperioribus Senatus conſultis ad-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1599 addentibus, Leonardus Donatus, Marcius Procurator, ne inauditus dimittatur, ſuadet; tum ne ſpreta Ferdinandi legatio videatur, tum quod inde nullum Reſpublica detrimentum accipiat; rem integram in Patrum poteſtate fore. Duobus itaque ex Patrum numero, Jacobo nempe Fuſcareno, ac Zachariæ Contareno, ut, Rebata audito, ad Senatum referant, præcipitur.

Jacobus Fuſcarenus, & Zacharias Contarenus, ad Uſcochorum negotia cum Rebata tractanda, delecti.

Interea Italici externi pedites difficulter conſcribuntur. Prorex Neapolitanus, atque Inſubrum gubernator, nova Ferdinandi affinitate Regis cauſam agi, rati, in ſuis ditionibus milites pro Venetis deligi vetant. Sueſſanus legatus, ut idem Itali Principes efficiant, enititur. Clemens quoque, ſeveriſſimis edictis extrahi ex pontificiis ditionibus pedites, prohibet; Ferrariæ ob id præfecti aliquot Veneti carcere incluſi. Pontifex ipſe nihil adverſum Reipublicæ agere affirmat; ſibi in neutram propendere partem conſtitutum; a ſubjectis imperio ſuo bellum inter chriſtianos Principes ali, proſperos Pannoniæ eventus interturbari nolle. Verumtamen cum ſummi eſſe rem momenti, atque juſtiſſima in cauſa Reipublicæ favere æquum arbitraretur; præter literas, quas ad Cæſarem atque Archiducem vehementes dederat, Flaminium quoque Delphinum, virum rei militaris uſu præſtantem, ad Rodulphum mittere ſtatuit; ut aliquod præſentibus moleſtiis a Cæſare remedium omni officio afferri contenderet. At minores Italiæ Principes vel metu vel Hiſpanorum nexu aliorum exemplum ſequuntur. Mutinenſis præfectos aliquot in ſuis finibus milites cogere adnixos, in Brixillo oppido cuſtodiæ tradi jubet; Urbinas non modo milites pernegat, ſed alibi conſcriptis per ſuos fines tranſitu interdicit; Patrum officiis cum Brunetto abbate, ejus internuntio, ne quidquam adhibitis, qui reſponſum ſe ab Duce retuliſſe affirmabat, vigere quidem in eo jam inde a majoribus acceptam eximiam in Rempublicam nomenque Venetum obſervantiam; ſed quo minus ea in re ſatisfaceret, Principum ac præſertim Hiſpanorum officiis impediri; quod de Ferdinando, ſororio Philippi, agatur, cui nuper quindecim millium aureorum penſione (duodecim, quæ a Philippo ſecundo patre perſolvebantur, tribus additis) devinctus eſſet. Rainutius tantum, Parmæ ac

Flaminius Delphinus ob Uſcochorum negotium in Germaniam a Pontifice miſſus.

1599 ac Placentiæ Dux, egregium in Rempublicam animum pate-
Rainutius Farneſius ex Italis Principibus ſolus militi delectum in ſuis finibus Venetis permittit.

fecit, non modo aditu per ſuos fines permiſſo, ſed ſuis etiam, ut in Venetam militiam nomina darent, conceſſa facultate; literis inſuper officii atque obſervantiæ refertis ad Senatum datis; cui gratiæ actæ, perpetuoque Patrum animis ejus in Rempublicam ſtudium hæſurum teſtati ſunt. Quamvis autem præter omnium expectationem tot exorta eſſent impedimenta, nihilominus multis e locis, licet ſerius ac opus fuiſſet, ad urbem milites confluebant, atque in Illyricum ad legatum mittebantur; qui jam, Sennienſibus circumjectiſque locis magno terrore repletis, diligentiori atque acriori, quam antea unquam factitatum fuiſſet, obſidioni incumbebat, cum eo præſertim ad prædones ex iis litoribus amovendos cogi Auſtriacus poſſe exiſtimaretur.

Ea porro amotio a Rebata quoque proponebatur; qui egregium in Rempublicam animum oſtendens, Uſcochos a Sennia ac propinquis litoribus Ottozzacium (abeſt id caſtellum a Sennia diei itinere) traduci curaturum conſtanti aſſeveratione pollicebatur. Sed cum ad eam rem conficiendam auri vi opus eſſet, qua bello implicati Cæſar ac Ferdinandus laborabant, centum aureorum millia mutuo a Senatu petebat; pro iis Croatiæ nemora quædam, haud procul ab Adriatico ſita, ilicis ac quercus feracia, quæ ad triremes navigiaque extruenda ad urbem conveherentur, repoſituros. Verum licet quæ a Rebata dicebantur, minime ſpernenda viderentur; at tamen, quin confici opportune poſſent, multa obſtabant; idque præſertim, quod ipſe mandata ad ea tranſigenda ac firmanda non haberet, negotiumque Pragam ad Cæſarem deferri oporteret; qua in urbe nihil, niſi difficulter admodum ac lente, vel gentis ingenio in cunctationem prono, vel belli occupationibus, decerni poterat. Itaque poſt varias diſceptationes cum nihil certi ſtatueretur, haud exigua optati exitus ſpe injecta, omnique opera ſtudioque Patribus exhibito, Rebata diſceſſit. Eodem tempore cum Flaminius Delphinus Pragam perveniſſet, ut quam celerrime atque opportune præſentibus rebus opem Cæſar afferret, contendebat. At pollicitis nuſquam eventus reſpondebant, ita ut Vendrameno legato certo ſe deprehendiſſe Delphinus ſignificaret, nihil co-

Omnia infecto negotio Venetiis diſcedit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1599 eorum, quæ Clementis nomine petierat, impetratum iri : aliquid ſane, urgente neceſſitate, uti alias conſueverant, Cæſareanos effecturos; verum de hujuſce morbi radicibus penitus evellendis atque extirpandis parum cogitare. Miſſis magna omnium expectatione, magnis pollicitis ab Ferdinando Seniam procuratoribus, rei exitus ab iis, quæ ſuperioribus annis contigerant, haud valde diſſimilis extitit.

At Donatus in omnia aſſidue intentus, triremibus longiſque lintribus milite atque bellico apparatu apprime inſtructis, nuſquam muneri deerat. Qua obſidendo, qua inſequendo complures interfecti; aliquando propius magna cum prædonum internecione pugnatum : nulla in eo viro prudentis ac ſtrenui ducis officia deſiderata; ut ingenti terrore correpti, neque libere vagari, neque e Murlacæ freto ſeſe proripere auderent. Atque ad arctiora frena teterrimo hominum generi injicienda, litorum, receſſuum, oppidorum, illius oræ ſitu ſedulo ac diligenter inſpecto, binos ſcopulos, inter quorum anguſtias ultro citroque commeantibus Uſcochis tranſeundum erat, animadvertit, Jubæ alterum, alterum divi Marci vocitatum; iiſque in locis exigua aliqua munitione excitata, præſidioque impoſito, coerceri haud parum atque deprimi audaciam gentis poſſe ratus, cum ad Senatum ſcripſiſſet; quidquid Reipublicæ conduceret, ut ſibi opportunius videretur, conficiendi facultas tributa. Paucis itaque diebus opere perfecto, fingulis munitionibns præfecto cum viginti peditum cohorte attributo, arctiores prædonibus compedes injecit. Inter hæc quingenti Galli pedites, Franciſco Martinengio, levioris armaturæ præfecto, qui in ea externi militis difficultate ſuam operam detulerat, curante, alpes tranſgreſſi, ad urbem, exacta jam æſtate, pervenere. Horum opera, quod parum maritimis obeundis belli muneribus idonei, ægreque triremium labores atque incommoda paſſuri viderentur, minime in Illyrico utendum, ſed Palmam, ex qua, ſi occaſio poſceret, evocari facile poſſent, mittendos Senatus cenſuit.

Binæ munitiones contra Uſcochos a Donato legato erectæ.

Venetorum conſilium de externis militibus ſuis ſtipendiis adſcribendis.

Iis, quæ hoc anno contigere, excitati Patres, cum bella non abſque externo milite confici poſſe, magnamque rerum omnium mutationem in Italia ſubſecutam eſſe intelligerent, ut qui alias ex omnibus ejus provinciis certatim in Venetam mili-

militiam confluerent, modo exterorum diuturno dominatu cunctis, vel beneficiis devinctis, vel ſpe illectis, vel metu retractis, ſegnius nomina darent; quo pacto huic incommodo occurreretur, ſedulo inter ſe, variis adhibitis conſultationibus, diſceptabant; cum Franciſcus Vaudemontius, Caroli Lotharingiæ Ducis filius, per Herculem Verdelium, Cremenſem, Hieroſolymitanum equitem, qui, ut Barenſis Ducis, Caroli majoris natu filii, cum Henrici Galliæ Regis ſorore connubium Senatui ſignificaret, Venetias legatus acceſſerat, egregiam Reipublicæ voluntatem atque operam detulit; in id quoque Ferdinando, Magni Hetruriæ Ducis ſororio, adhibito. Ea res cum Lotharingorum ditionibus atque imperio, tum amicitiis & clientelis, Vaudemontiique ipſius virtute ac prudentia ejuſmodi viſa eſt, ut merito ad eam animum adjiciendum Patres arbitrarentur; atque eo libentius, quod publicis monumentis percelebris adhuc memoria ſervaretur, ſuperiore ſæculo bello Ferrarienſi eximiam a Lotharinga familia Reipublicæ operam navatam, atque ob id in nobilitatis album adſcriptam. Multos Franciſcus Vaudemontius, in Gallia graſſante bello, fortes ac ſtrenuos milites ſibi adjunxerat; complures beneficiis ac liberalitate devinxerat, ut, hinc Gallis ac Belgis, inde Germanis Lotharingia ſepta, præter indigenas, undique perſonante claſſico, bellatores quotquot vellet, elicere ac cogere, facillime poſſe cenſeretur, quos quindecim dierum tantum itinere in Italiam effunderet. Jacobo Fuſcareno, Marcio Procuratori, qui tunc in majorum præconſultorum numero erat, & continentis Sapienti, cui militiæ cura concredita eſt, injunctum, ut, Verdelio audito, ad Senatum referrent. Id cum ſedulo præſtitiſſet, Vaudemontius in Reipublicæ militiam eſt adſcriptus; tranſalpinarumque copiarum imperator creatus; iis conditionibus, ut, jubente Senatu, Gallorum, Lotharingorum, ac Vallonum quinque peditum millia, Helvetiorum quatuor aut ſex, Germanorum totidem, equitum quatuor millia daret: cum omnibus hiſce copiis, aut earum certa manu, ſi ita Senatui placeret, ipſe in Italiam deſcenderet; aut partem exercitus, quæ octo peditum millium numerum non excederet, ejuſque dimidium Galli, Lotharingi, Vallones, dimidium Helvetii ac Germani conficerent, ductoris

Franciſcus Vaudemontius tranſalpinorum militum imp. a Venetis dictus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1599 ab se designati auspiciis, qui imperatori totius exercitus pareret, in Italiam mittere teneretur: ipse vero Vaudemontius Reipublicæ tantum exgente patricia legato obtemperaret: duodecim aureorum millium pensio attributa. Adversus quoscumque, licet suprema dignitate insigniti essent, arma pro Republica susciperet; per septennium Reipublicæ operam præstaret; duo postremi tamen in Senatus voluntate essent; mensis spatio ea omnia a fratre Barensi Duce, Upontiique Marchione, uti a Carolo patre factum fuerat, confirmarentur. Vaudemontio in reipublicæ militiam cooptato, Senatus prudentia a cunctis sublata laudibus, quod constantem in Reipublicæ dignitate ac libertate tuenda se patefecisset; quod neque sumptui neque labori parcendo, accitis undequaque copiis, pristinumque Italici nominis splendorem, reliquis veluti veterno correptis, mordicus retineret.

At eo non contenti Patres, adjungere sibi Rhætos statuunt, ut e finitima regione, nullo impedimento, per Volturenam vallem in Bergomates copiæ traduceretur. Quamvis enim ob amicitias ac clientelas, quas iis in locis haberet, nunquam intercluſum in Venetos fines aditum iri, Vaudemontius sibi polliceretur; attamen majori vinculo gentem adstringere, ac de fœdere, uti alias actum fuerat, agi satius arbitrabantur. Itaque, uno Antonio Caballio, consilii Sapiente, dissentiente, reliqui præconsultores, ut, de sanciendo cum Rhætis fœdere Senatus consultum fiat, proponunt. Re in utramque partem solerter expensa, de fœdere cum Rhætis agendum, tribus tantummodo adversis suffragiis (quod perraro contingere solet) Senatus censuit. In Rhætos Alexander Aleardus, Bergomas eques, missus, cui multæ iis in locis clientelæ atque amicitiæ erant, ut, primorum conciliatis animis, ad amplexandum cum Republica fœdus suaderet. Ad Hieronymum Cornelium, Bergomi prætorem, datæ literæ, ut civium Bergomatum cum ea gente affinitatibus, eorumque, qui inter Rhætos in nomen Venetum propensi erant, amicitiis negotium juvaret. Res initio feliciter adeo processerat, ut facile confici posse videretur. Verum a malevolis, Reipublicæque infensis hominibus detecta, vario officiorum genere certatum; ex quo primus ille plebis fervor ita elanguit, ut tandem re infecta Aleardus Bergomum rediret. Haud absimili eventu

apud Cæsarem de Uscochis Sennia amovendis, licet Flami- 1599
nius Delphinus vehementer urgeret, agebatur. Cæsareani Germanorum præsidio Senniam tueri se velle affirmabant; sed cum pecuniæ angustia obstaret, aliquam in id a Venetis argenti summam conferri subobscure postulabant, aperte petere non audebant; neque id æquum Senatus arbitrabatur. Ab Rodulpho, ut procuratores ad fontes plectendos Senniam mitteret, ad Ferdinandum datæ literæ. Missi, nihil, quod ad pestem amovendam conduceret, egere. Delphinus, nulla re impetrata, Praga excessit, Cæsareanis bellum turcicum obtendentibus; eo impediri, quo minus satis Reipublicæ facerent.

Cæsareanorum ad Budam & Albam Regalem gesta.

In eo spei exitus impares hoc anno fuere; nihil ad summam rei gestum, quo vel accessio imperii Cesari fieret, vel ad pacem aditus utrimque exoptatam aperiretur. Buda frustra tentata, multis licet hostium cæsis, ac Bassa, qui urbe egressus fuerat, intercepto. Albam regalem pari fortuna Comes Suarcemburgius aggressus, urbe capta, hoste in arcem recepto, flammis absumpta, discessit. In Dacia magni tumultus ac mutationes sequutæ; nam cum Sigismundus Battoreus Andreæ Battoreo Cardinali certis legibus eam provinciam concessisset, Mœsiæ Regulus, qui haud parva militum manu gravia Turcis damna intulerat, Andreæ infensus, fines ingressus, prælio victor, Daciam occupaverat; post triduum ab inito certamine, Cardinalis capite ad eum delato, Claudiopoli potitus, gubernacula susceperat, easque ditiones auspiciis Cæsaris tenere se, ingentibus Turcarum spretis pollicitis, vulgaverat; qui hoc anno infeliciter Pappa, oppido in Pannonia, tentato, sæpius a Cæsareanis obtriti, in hyberna concessere; cum præsertim magnorum in Asia motuum initia suborirentur. Nam Cussainus, Ciliciæ Bassa, excusso Ottomanorum jugo, ingenti peditum atque equitum numero stipatus, Cilicia excursionibus deformata, Iconium præcipuam urbem ceperat. His intestinæ Principum dissensiones, corruptæque per luxum leges addebantur, et quibus licentiæ atque effrenata licentia, prolapsa militari disciplina, in dies in provinciis Turcarum imperio subjectis non modo, verum Byzantii ingentes turbationes excitabantur, ut propemodum mole sua oppressa immensi imperii vis collabi videretur.

In Dacia mutationes.

Andreas Battoreus Cardinalis a Tolacco interficitur.

Cussainus Ciliciæ Bassa a Turcarum imperio desciit, Iconium occupat.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1599 Inde illud quoque contigerat, ut, maritimarum rerum cura neglecta, litoralia loca incursionibus paterent; quo fiebat, ut Ferdinandus, Magnus Hetruriæ Dux, post direptas præteritis annis Patras, triremes quinque, tormentis, scalis, ligonibus, atque aliis ad arces oppugnandas egregie instructas, Virginii Ursini nepotis ductu emitteret; qui in Aegæum delatus, in insulam Chium trecentis circiter militibus eductis, urbem improviso adortus, Turcis perterrefactis, atque in montes propinquos diffugientibus, occupavit; licet mox de paucitate hostium edocti, ingenti impetu ruentes, centum cæsis, plerisque sauciatis, Hetruscos in triremes compellerent; qui, aliquot paucis Christianis in libertatem vindicatis, abscessere. Harum rerum successus licet Byzantium perlati Mehemetem maxime commoverent, nihil tamen vel ad obsistendum, vel ad impediendum parabatur; eo anno triginta tantum triremibus e navalibus emissis, quarum viginti in Euxinum, decem sub Assano Cicala præfecto in Aegæum mare missæ sunt.

Chios a Virginio Ursino cum Hetrusco milite capta.

Per eos dies Hieronymi Capellii, Reipublicæ ad Mehemetem legati, literæ ad Senatum allatæ: ex Hispania Bætica provincia Mahumetanæ superstitionis hominem ad regiam perveniisse, qui, ut mos leviſſimæ & credulæ gentis est, cum ad suos a servitute eximendos auxilia a Turcis facile impetrari posse sibi suasisset, purpuratorum atque aliorum turcicæ gentis procerum animos ad Mauros, qui in Bætica provincia erant, liberandos variis rationibus incitabat: id in primis, quod christianis sacris per vim addicerentur, graviter conquestus. Is cum libenter initio audiretur, atque inde existimationem aliquam nactus esset, mox, vel difficultate, vel hominis levitate cognita, cum concepta opinione excidisset, rem nefariam atque teterrimam aggressus, crebris sermonibus summa asseveratione & contentione jactabat, nisi Jesu Christi sepulchrum Christianis adimeretur, franciscanæque religionis viri, quorum custodiæ concreditum erat, pellerentur, numquam de Christianis Turcas victoriam relaturos: non aliam ob causam Rodulphum Imperatorem vincere, nisi quod crebra donaria ad eum locum deferri curaret, nuper argenteis candelabris, summa arte ex argento elaboratis, eo transmissis. Ea cum supremus Bassa Regi re-

Maumethani ex Bætica regione ad auxilia petenda Byzantium mittunt.

renuntiasset, Christianorum dona inde asportari, atque franciscanorum custodiam amoveri jussit. Id cum Capellius legatus cognovisset, rei indignitate commotus, quacumque ratione, spiritum quoque pro religione effusurus, regiis mandatis obsistere decrevit. Itaque Henrici Galliæ Regis legato socio adscito, ambo Bassam adeunt; graviter conqueruntur: *Quod alias ne in mentem quidem superiorum Regum venerit, haud exigua cum Mehemetis dignitatis jactura nunc tentari, ut vetus tot annorum mos, illustribus Regum monumentis exemplisque probatus atque excultus, tolleretur, qui venerando huic monumento faverant, idque in summo honoris ac venerationis loco semper habuerant; franciscanæque religionis viris credidérant, ut eo aditus cunctis Christianis ad illud invisendum & colendum pateret: si in suscepta sententia permanere velint, ne vetus Gallorum ac Venetorum cum Ottomanis Regibus amicitia detrimentum patiatur, vereri: hujuscemodi decreto per christianum orbem vulgato, cunctos Principes vehementer in Ottomanos Reges exarsuros.* His auditis, Bassa permoveri, hærere animo; non hanc Mehemetis mentem esse, ut christianos Principes amicos a Jesu Christi monumento adeundo arceat; sed hostes tantum (Pontificem, Cæsarem, Hispaniarum Regem, Sabaudiæ atque Hetruriæ Duces innuendo) submoveat. Eodem officii genere legati cum Muphte, supremo turcicæ religionis antistite, utuntur. Eorum querelis ad Mehemetem delatis, ut regiis jussis exequendis supersederetur, impetratur. Mox cum acrius urgerent, ne quid innovaretur, franciscanæque religionis viri ex veteri instituto sacrosancti Jesu Christi sepulchri custodiæ præessent, Rex assensus. Ea est sacrorum locorum religio, ut a barbara quoque gente, christianoque nomini infensa suspiciantur & colantur. Hæc Byzantii.

1599

Hieronymus Capellius cum Gallo oratore Turcas a consilio Servatoris sepulchri Christianis custodibus adimendi removet.

Ceterum icta inter duos potentissimos Galliæ & Hispaniæ Reges pace, una cura Henrici erat, ut dissidentes suorum voluntates arctissime conglutinarentur, edicto anni M.D.LXXVII. nonnullis immutatis, ad tumultus religionis refrenandos vulgato. Nec minus in catholica religione sarcienda ac propaganda studium, usu illius in Rupellæ oppido, atque aliis urbibus & cœnobiis, in quibus supra quindecim annos abolitus fuerat,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1599 *Henrici Regis in catholica religione ſarcienda ſedulitas. Catharinæ, Henrici ſororis, cum Lotharingiæ Principe nuptiæ.*

rat, reſtituto; in Bigerronibus poſt unum ac trigeſimum annum renovato: quæ omnia Henricus Clementi ſummo animi affectu ac pietate ſignificavit. Mox Catharinam, ſororem unicam, Lotharingiæ Principi, Barenſi Duci, connubio junxit, qui ob id Lutetiam cum Franciſco Vademontio fratre acceſſit. Nuptiæ ab Rothomagenſi Archiepiſcopo, Henrici Regis fratre notho, concelebratæ. Ea vero de re cum per Villierium legatum Senatum certiorem feciſſet, Franciſco Vendrameno, apud Cæſarem legato, jam in Galliam deſignato, injunctum, ut, poſtquam Senatus ex icta pace lætitiam Henrico ſignificaſſet, inde illuſtre ſororis connubium gratularetur. Cumque Lotharingiæ Dux, ac Barenſis Princeps, per Herculem Verdelium nuptias affinitatemque regiam nuntiaſſet; eidem Vendrameno mandatum, ut Lutetia diſcedens, in Lotharingiam profectus, idem munus cum Duce ac Principe obiret; qui utraque legatione egregie perfunctus, liberaliterque habitus, multa Regis, multa Lotharingorum Principum in Rempublicam benevolentiæ ac eximiæ voluntatis argumenta retulit.

Eodem fere tempore Philippi nupta, atque Albertus Mediolano digreſſi, Genua triremibus Savonam delati, cum ibi, per aliquos dies maris tempeſtate ſæviente, ſubſtitiſſent, Herculis Monœci portus, ac Villæfrancæ litora legentes, Niceam, inde Maſſiliam pervenere; mox Barcinonem devecti, Valentiam petiere. Ibi regio apparatu nuptiæ Philippi atque Alberti celebratæ; quæ Ferrariæ geſta fuerant, ut Clemens jusſerat, coram ejus Internuntio antea confirmatis. His peractis, Philippus cum conjuge, regiam; Iſabella cum Alberto, Caroli Auriæ prætoriam; reliqui Principes ac Dinaſtæ cum aulicis, reliquas triremes, quæ duarum ac quadraginta numerum æquabant, Barcinonem denuo petituri, conſcendunt. In eo perbrevi itinere ingenti tempeſtate exorta, horrendis adeo fluctibus mare intumuit, ut, disjecta ac perturbata claſſe, non abſque naufragii periculo, magno labore, intento remigio, vix incolumes Barcinonem delati ſint. Eo cum Franciſcus Molinus & Joannes Delphinus, Marcius Procurator, Reipublicæ legati, perveniſſent, de regni ſucceſſione & connubio Regi gratulantur. Albertus atque Iſabella ſeptimo idus junii Barcinone digreſſi, octavo kal. julii Ge-

Genuam, inde Ticinum, mox Mediolanum pervenere. An- 1599
gelus Baduarius, qui Reipublicæ lætitiam ſignificaret, ad eos *Angelus Baduarius ad Alberti Auſtriti & Iſabellam legatus mittitur.*
a Senatu legatus. Ii, mox per Rhætos itinere arrepto, Halſacia, Lotharingia, Lucemburgo peragratis, cum Namurſium tandem conceſſiſſent, ad Brabantiæ fines ab ordinum ejus provinciæ legatis excipiuntur, atque ab Andrea Auſtrio, Cardinali, magiſtratu abdicato, gubernacula ſuſcipiunt. Bruxellis ingenti lætitia excipiuntur. Initio de pace cum Batavis, Rodulpho Imperatore ſequeſtre, ac per legatos fruſtra agunt. Eodem tempore in belli apparatus incumbunt; maritimo commercio genti interdicunt. Id graviter cum Batavi ferrent, in vindictam exardeſcentes, duarum ac quadraginta navium claſſe ingenti oceani ſpatio emenſo, in magnam, quam vocant, Canariam, aliaſque adjacentes inſulas exſcenſione facta, caſtella igne, direptione deformavere, populos graviſſimis cladibus affecere. At dum reditum moliuntur, pars maritimis fluctibus, pars exitialibus morbis abſumpti, pauci incolumes domum rediere.

Ceterum quo tandem Salaſſiorum negotium evaderet, Principes cuncti circumſpectabant; in Clementem, cui ex Vervinenſi pace permiſſum fuerat, converſi; apud quem cum Sillerius Henrici, Alconatus Caroli Emanuelis legati ſuorum Principum jura rationeſque expoſuiſſent, ut tandem ſententiam ferret, enixe flagitabant. Verum Pontifex cum rem exacte diſcuſſiſſet, partis alterius offenſam veritus, ne quid in tanta re ſtatueret, detinebatur. Interea Henricus ab Sabaudo Salaſſiorum ditiones petebat: qui cum certos homines, ut aliqua concordiæ ratio iniretur, ad Regem miſiſſet, neque quidquam confici poſſet; ipſemet in Galliam contendens, ad Fontem Bellaqueum Henricum convenit, atque cum eo Lutetiam profectus, utrimque negotium agitari, ac ſi quiete tranſigi poſſet, diſcuti juſſum. Quæ dum fiunt, in proceſto Paſchatis die, comitiali morbo repente correpta Belfortii Dux unice Henrico dilecta, exceſſit, dum, aura ſecunda flante, ad ingentem ſpem regni eveheretur, tribus reliquis liberis Cæſare Vandomii Comite, Alexandro, ac alia ex cujus obitu incredibili dolore Henricus affectus, defunctæ omnia honoris ac mœſtitiæ ſigna exhibuit: per literas primoribus Lutetiæ feminis

Henricus Rex Salaſſiorum regiones a Sabaudo repetit.

Sabaudiæ Dux ad Fontem Bellaqueum ad Galliæ Regem proficiſcitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1599 minis, quod decumbenti adſtitiſſent, gratiis actis; ut defunctæ luſtrales aquas, regio ſanguine prognatis feminis de more exhiberi ſolitas, impertirentur, efflagitavit.

Gallorum Regum funera.

Id officii genus antiquitatem redolens, cum inuſitati neſcio quid præſeferat, non ingratum fore arbitror, ſi brevibus ſubjiciatur. In ampla aula exquiſite inſtructa, pretioſiſque aulæis regiis exornata, lectus, ad quem tres ferebant gradus, collocatus erat. In eo ſtatua Ducem repræſentans viſebatur; caput coloribus lineamentiſque mirifice adeo effictum, ut viventis effigiem egregie imitaretur. Sedentis in morem veſte aurea amicta. Ab utroque aulæ latere aræ binæ erectæ, religioſi viri prope ipſas alternatim pſalmos, hymnos, preceſque concinebant. Ad lecti gradus duo feciales (*araldos* vocant) atratas veſtes aureis liliis intertextas ſuperinduti, ſtabant. Sub lectulo cadaver capſula incluſum. Principes viri ac feminæ ſtatuæ, ac ſi viveret, ſedulo miniſtrabant: nam exquiſito epulo in aula inſtructo, certa diei hora convenientes, cuncta illi, tamquam vere eſura foret, apponebant, coramque prandebant; fecialibus cunctos, qui aulam ingrediebantur luſtrali aqua aſpergentibus. Eo officii genere quatriduo exhibito, juſta Duci de more perſoluta.

Ejus feminæ obitu ingens deſiderium in Gallorum gente exarſit, ut innumeris pacis bellique ornamentis florentem Regem ejuſmodi connubio junctum cernerent, ex quo ampliſſimi regni ſucceſſio ad poſteros tranſmitteretur. Neque ceſſabant Principes regii ſtemmatis, conſiliarii ſenatoreſque Pariſienſes enixe ab eo petere, ut poſteritati, vel ratione ipſa vel neceſſitate cogente, conſuleret: connubium cum Margareta, Henrici tertii Regis ſorore, dirimi facile poſſe, quod tertio conſaguinitatis gradu conjuncti eſſent, quod Gregorii decimitertii literis, quibus lege ſolvebatur, juris formulæ deeſſent. Henricus, Margaretæ exquiſita ſententia, ejuſmodi reſponſum tulit: nihil ſibi Regis voluntate, Galliæque tranquilitate antiquius eſſe. Tum eadem Clementi ſignificat, a Carolo fratre & Catharina matre invitam ſe Henrico copulatam; in id verbo tantum, non animo conſenſiſſe; tertio conſanguinitatis gradu, qui a matrimonio ſacris legibus arcetur, Regi junctam eſſe: petere proinde, ut connubium a Pon-

a Pontifice dirimeretur. Eadem Henrico poſtulante, res ab 1599
Oſſato Cardinali ac Nicolao Brulardo Silerio, regiis legatis, Romæ agitata. Clemens cum negotium ad Cardinalium collegium detuliſſet, ab eo Collegio cauſa Galliæ Præſulibus delata: mandata Franciſco Jojeuſæ, Cardinali; Mutinæ Epiſcopo, Internuntio; Arelatenſi Archiepiſcopo dantur. Ii, re cognita, nullum extitiſſe inter Henricum IIII. & Margaretam matrimonium pronuntiarunt. Quod ſane magnum, & ad tuendum augendumque Galliæ regnum, & ad reipublicæ chriſtianæ, Italiæque præſertim pacem conſervandam, momentum, potentiſſimorum Regum libratis æqua lance viribus, allaturum videbatur.

Henr. Regis & Margaretæ Valeſiæ matrimonium irritum pronuntiatur.

Inter graviores hoc anno curas, ea præcipua fuit, ut de portubus deque æſtuariis, quæ firmiſſima veluti mœnia civitatem ambirent, Patres cogitarent; quam ſane non humana induſtria congeſti aggeres, ſed tenuiſſimo in hoc extremo Adriatici ſinus receſſu aſſurgentia litora a maritimis tempeſtatibus tutam reddunt. Eorum dorſo ampliſſima æſtuaria, quæ, vel mari alterno æſtu reciprocante, vel fluminum exoneratione oriuntur, imminentia, pro vaſta atque inacceſſibili foſſa ſunt. Hæc antiquitus adeo patebant, ut illuſtres in terrarum orbe civitates earum ſinu exciperentur. Aquileja, nobilis reipublicæ Romanæ colonia, caput orientis in ſeptemtrionem tenebat obverſa. Parum aberant Concordia, Opitergium, Altinum, Adria a qua nonnulli hujuſce ſinus nomen deducunt. Ad auſtrum vero clariſſima Ravennæ civitate claudebantur, quæ, ut Strabo refert, in palude ſita, cum primum lignea eſſet, multiſque pontium contignationibus compacta; mox auctu baſilicis aliiſque eximiis ſubſtructionibus, quæ romani imperii majeſtatem referrent, ab Auguſto, Tiberio, Trajano, Valentiniano ornata fuerat; tandem a Theoderico, Gothorum Rege, Italici regni ſedes effecta. Aeſtuariis huc oppletis, atque in continentem redactis, modo tria circiter paſſuum millia a mari diſtat. Inter varia flumina quæ in æſtuaria influunt, ſeptem præcipua in alpibus exorta ingenti aquarum copia per varias ambages atque anfractus eliducta, ut paludes leſe exonerant. Taliaventus ac Liquentia ex Forijulii montibus manant, priſcaque nomina fere ſervant; Anaxus (modo *Pla-*

Venetorum æſtuariorum deſcriptio.

vem

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1599 *vem* vocant) ex iis, qui Belluno imminent, ſcatet. Medoaci (eo nomine *Brentam* ac *Bachilionem* Plinius complectitur) ex Tridentinis alpibus ortum ducunt. Duo tandem majores, Atheſis ac Padus, quem Eridanum priſci dixere, alter in Tridentinis ſaltibus, alter in Veſulo edito monte originem trahit. Ex hoc tot amnium confluxu, quemadmodum vel facili mercium convectione, quæ ex Italia, Germania, Gallia, Hiſpania importantur, vel ultro citroque commeandi facultate, complura ad urbem commoda important; ita ex aſſidua, quam ſecum invehunt, materia, qua æſtuaria ſiccantur & coguntur, haud exigua damna accedunt; ut quæ olim in ducenta paſſuum millia protendebantur, vix dimidiam partem obtineant; ac vigintiquinque millium latitudo ad duodecim ſit redacta. Ea eſt edacis temporis vis, ut cuncta immutet, atque e ſtatu dimoveat. Cui jacturæ pravorum hominum injuriæ acceſſere, qui dum agrorum finibus proferendis conſulunt, nihil ſancti, nihil penſi habuere, nulliſque legibus coerceri eorum potuit audacia; ut fere e mentibus deleta videri potuerint, quæ ſumma impenſa ac labore ſapientiſſimi majores noſtri ad hæc ſervanda atque augenda loca egerint; quot bella cum finitimis ſuſceperint, quantum auri ac ſanguinis effuderint; dum illi in æſtuaria proripere, eaque humo replere (nullam aliam ad invadendam civitatem viam fore rati) nituntur; hi contra protendere, ampliora efficere, ſummovere finitimos contendunt. Nec minus in ſuperanda, ut ita dicam, natura ſtudium Venetorum extitit, qui, ut a ſtagnis penitioribus fluminum lapſus averteretur, nullos quantumvis immenſos ſumptus exhorruere: Medoaco in Judaicæ canalem influente, ingenti alveo ab Daulo vico in Brunduli portum prope Foſſam Clodiam immiſſo; Tarviſini agri amnibus, Anaxoque ipſo excipiendo, alveo, quem regium vocant, excavari juſſo.

Æſtuariorum Venetorum vetus & noviſſima amplitudo.

Sæpius quoque de Pado, urbis portubus in dies magis imminente, alio amandando actum; verum aut operis magnitudine, aut difficillimorum bellorum caſibus nihil adhuc decretum fuerat. Verumtamen, in ſeptemtrionem peramplo ſibi aditu patefacto, atque aquarum illuviem haud procul ab urbe impellente Pado, attentiori cura ea de re agitatum. Ea eſt enim hujuſce amnis vis atque amplitudo, ut per ſe ſcatu-

Venetorum conſultationes de novo alveo Padi effodiendo.

ſcaturientibus atque defluentibus aquis, ingentibus multis e- 1599
gregiiſque fluminibus, Abdua, Ticino, Ollio, Mincio, aliiſque ad triginta tria in itinere auctus, poſtquam ducenta ac quinquaginta millia paſſuum confecerit, in mare Adriaticum influat; tantumque ſecum ſabuli invehat, ut, quacumque ſeſe explicet, ingentes alluviones terrarum efficiat; ac tunc rapido curſu Atheſi veluti abrepto, uſque ad Metamauchum portum excurreret. His exciti Patres, cunctandum amplius minime rati, Senatu conſulto duodecim legere, qui, ſitu naturaque locorum inſpecta, de novo conficiendo alveo, quo Padi in ſeptemtrionem curſus averteretur, alioque tranſmitteretur, concordes decernerent; ni convenirent, negotium ad Senatum deferrent. In Senatu cum diſſentientibus ſententiis certaretur, neque quidquam ſtatui poſſet, duodecim alios ex Patribus mitti placuit, qui cunctis ſuffragiis decrevere, ut ab Maripetrorum mapalibus recta per Aniani vallem, duorum paſſuum millium ſpatio tenderetur; inde per arenæ tumulos via patefacta, ad Contarenorum foſſam perveniretur, ex qua naturæ impetu in Fornacium, vel Gauri (quem vocant) ſinum in mare, uti antiquitus contigerat, Padus exoneraretur. Ejuſmodi decreto, ut Patrum ſuffragiis confirmaretur, ad Senatum delato, tres eorum, qui in prioribus duodecim fuerant, ne lex ferretur, obſtitere, Nicolaus Quirinus, Joannes Jacobus Zannius, Nicolaus Contarenus; iis potiſſimum nixi: *Inexuperabile humanæ induſtriæ opus eſſe; immenſi irritique ſumptus; vicena centena aureorum amplius millia hauſtum iri; neque, ſi perficiatur, inde commodi quidquam oriturum; varios, incertos perampli fluminis curſus nullo ingenio ad certam redigi formam poſſe; id & majorum labores, & aliorum Principum conatus teſtari, qui nuſquam firma lege fluctuantis ac rapidiſſimi amnis fluxum frenare quiverint; alios, ut novi compos Reſpublica fiat, inſiſtendum eſſe.* Contra ſingulari eloquentiæ laude pro decreto Aloyſius Georgius verba fecit, qui locorum ſitum, ſumptus, ac reliqua, quæ in ſummi momenti negotio pernoſcenda erant, probe doctus, multis actionibus in Senatu egit; quam id opus neceſſarium, quam utile publicis ac privatis rationibus foret, oſtendit. Itaque frequenti Patrum conſenſu de Pado averrendo Senatus conſultum factum: ut

Venetorum decretum de Pado Ollio avertendo. Aloyſius Georgius Padi operibus præficitur. Jumenta peſtifera lue correpta.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1599 ut ſumptus, pro tertia, publica pecunia fieret; aliis duabus portionibus privati pro commodi ratione ſufficerent. Aloyſio Georgio perficiendi operis cura commiſſa. Eodem anno fœda tabe jumenta, ac præcipue boves correpti, ut, paſſim peſtifera lue inter ipſos graſſante, innumeri deperirent: ac ne ex eorum eſu ad homines labes tranſiret; ne quis, donec morbi vis deſæviret, eorum carnibus veſceretur, certis propoſitis pœnis, vetitum.

M. D. C.

1600 *Philippus Paſchalicus in Illyrico cum imp. legatus.*

IN Illyrico Nicolao Donato, qui magiſtratu perfunctus fuerat, Philippum Paſchalicum Senatus ſuffecit, virum maritimæ diſciplinæ aſſuetum, omneſque illius militiæ gradus emenſum. Ab eo vel arcta obſidione, vel internecione debilitati fractique adeo piratarum ſpiritus, ut neque Sennia exire, neque mari ſe credere auderent, a turbandiſque finibus abſtinerent. Quapropter ſuprema deſperatione adacti, cum & rapinis proh iberentur, neque cibaria ad ſe, uxores, filioſque alendos ſuppeterent, novam rem aggreſſi, ad Iſtriam finitimam provinciam animos adjiciunt, inſuetumque aggreſſi iter, per montium prærupta atque aſpera, quibus a Germania dividitur, aditum ſibi patefacere contendunt: agrorum depopulationibus pecorum abactionibus ſupremæ neceſſitati conſulturi. Peninſulæ formam Iſtria refert; tribus a mari partibus alluitur, quod ſinuoſis flexibus modo ſeſe cogendo, modo explicando, tutiſſimis atque ampliſſimis eam portubus inſignem reddit. Ab Tergeſto civitate uſque ad divi Viti oppidum in ducentorum paſſuum millium amplitudinem extenditur. Regio neque plana prorſus, neque montana, ſed variis diſtincta ac faſtigiata collibus, ad amœnitatem proſpectu, ad commodum vel vitium vel olearum felici proventu formata; ſalis potiſſimum ferax; frumenti indigens, non agri vitio, quippe qui paſtione abundat, atque ad fruges ſerendas valde eſt opportunus, ſed incolarum infrequentia atque incuri. Formione amne ab Italia ex priſca deſcriptione ſejungitur, qui hodie *Riſanus* dicitur: Arſia, qui in fanaticum ſinum influit, a Liburnia ſecernitur. Caput provinciæ Juſtinopolis, a Juſtino

Iſtriæ deſcriptio.

ſtino Imperatore condita, cui modo totius provinciæ nomen commune: maritima oppida, atque civitates Mugla, Inſula, Piranum, Humagum, Aemona, Parentium, Orſaria, Rubinum, Juliapietas, ſancti Viti caſtellum; mediterranea Pinguentum, Montona, Portula, Chryſiniana, Bulia, ſancti Laurentii caſtrum, Bina caſtella, divi Vincentii oppidum, Vallis, Dignanum, Pameranum, Albona, Flanona, Petina, Gallignanum, Coblacum. Piſini comitatum in ea provincia Auſtriaci poſſident, cui tunc Ferdinandus, Caroli Maximiliani ſecundi Imperatoris fratris filius, imperabat. In ea regione, quæ Fanaticum ſinum reſpicit, longe altiſſimus mons aſſurgit, ob eminentiam Major vocatus. Inde ex Liburnia in Iſtriam terram penetraturis pandere ſibi iter per invios difficileſque ſaltus neceſſe eſt. Inſuetum id iter omnium rerum egeni, acrioribuſque famis ſtimulis adacti piratæ arripiunt; atque initio parva tantum manus, ſibi via patefacta, mortales aliquot exutos, atque in inſidiis circumventos male habuit; mox aucta, liberius vagari, atque in ſubjectos ferro, incendio, prædaque ſævire. 1600

Vetus multorum, qui uſu edocti erant, ſententia fuerat, nulla alia re averti gentis latrociniis aſſuetæ inſolentiam, niſi iiſdem incommodis finitimi, quæ Venetorum ſubjecti patiebantur, afficerentur; eo uno finem tot moleſtiis imponi: cunctantem Ferdinandi Archiducis animum, aſſiduis ſuorum querelis fatigatum, ad opem iis ferendam moveri ac flecti poſſe. Ab eo conſilio, quod belli initium facturum videretur, cum Patres hactenus abſtinuiſſent, modo, neceſſitate cogente, non abhorruere. Latum itaque, ut legatus in Iſtriam mitteretur, qui & prædones perſequeretur, atque iiſdem damnis moleſtiiſque, quæ Reipublicæ ſubjectis inferebantur, finitimorum agros caſtellaque afficeret. Lectus Franciſcus Cornelius, Jacobi Aloyſii filius, ætatis flore, atque Illyrica equitum præfectura notus; cohortes illi aliquot Italorum peditum tributæ, Galli quadringenti, qui ſuperiori anno alpes tranſgreſſi Julio Vitellio, Inſubre, in Gallia bellis innutrito præfecto, Palmæ detinebantur. His leviorum equitum turmæ atque incolarum militia adjectæ. Leo Ramuſatus, Piſaurenſis, magiſter ſub Cornelii legati auſpiciis, datus. Primus Cornelii in Iſtriam adventus

Senatus decretum de Uſcochorum injuriis vindican.

Franciſcus Cornelius, in Iſtria legatus.

Au-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1600 Auſtriacos, ac præcipue eos, qui Piſinum incolunt, finitimique Reipublicæ ſunt, adeo perculit, ut belli jam a Venetis adverſus Ferdinandum initium factum exiſtimarent, inopinatoque pavore demiſſis animis, ſaluti conſulerent. Legatus eorum fines excurrere, agros vaſtare, militibus facultatem prædandi facere: inde vicos quoſdam ac caſtella, nullo obſiſtente, direpta; Ciminum, tuentibus ſe ac propugnantibus oppidanis, nonnullis cæſis, captum atque everſum. Ac circumquaque accolas tanta trepidatio ac terror invaſit, ut, harum rerum ſucceſſibus ad Cæſarem ac Ferdinandum delatis, ultro ſe tot malis finem tandem impoſituros conſtanter Senatui pollicerentur.

Joſephus Rebata in Uſcochos ſtrenue animadvertit. Joſephi Rebatæ cum Paſchalico legato tranſactio.

Inde Joſephus Rebata, qui ſuperiore anno Venetias legatus acceſſerat, denuo Senniam miſſus, adeo ſevere atque acriter in ſontes animadvertit, ut complures reſte in Senniæ mœnibus ſuſpendi juberet, alios graviſſimo exilio mulctaret, edictoquæ caveret, ne Reipublicæ extorres Sennia atque aliis litoralibus locis exciperentur. Mox cum Philippo Paſchalico, legato, tranſegit, perſancteque ſe obſtrinxit, abſque magiſtratuum Reipublicæ permiſſu ex Murlacæ euripis Uſcochos (quod in primis optandum videbatur) non egreſſuros; tuta enim per Adriaticum ſinum navigatione, neque ſubjectis damna, neque Turcis querelæ, atque occaſiones Venetos turbandi fines, claſſes in ſinum inferendi, aderant. Ita demum quietis ſpecies Illyrici populis affulſit; ac ni penitus extincta, ſopita tamen per aliquod tempus ejuſce peſtis ſemina, quæ diu per innoxios populos graſſata fuerant, extitere. Verumtamen Rebata induſtriæ ac virtutis longe imparem exitum habuit. Nam cum ob egregiam ſuis Principibus Reipublicæque in re difficillima navatam operam, torque aureo ab Paſchalico legato Senatus juſſu donatus eſſet, inde occaſione arrepta, primum in eum occultos ſermones Uſcochi ſerere, inde probris ac maledictis inceſſere, demum ob meritas illis inflictas pœnas fremere; ut tandem publicas ædes, in quas ipſe diverſabatur, aggreſſi, multis vulneribus lacerum ac confoſſum obtruncarent, Veneti Senatus ſuorumque Principum ingenti dolore, qui ob execrandum facinus juſta ira perciti, cum ulciſci teterrimum ſcelus decreviſſent, legatoſque ob id Senniam miſiſſent, attamen vel ferociſſimorum hominum perdo-

Joſephus Rebata ab Uſcochis interfectus.

man-

mandi difficultate, vel ob Pannonici belli curas, ne in finitima Turcis arce tumultus exſuſcitaretur, crimini impar vindicta fuit. Philippus vero Paſchalicus, legatione e publica dignitate atque utilitate confecta, in patriam eſt reverſus. Sennienſium rebus compoſitis, pacato mari, impenſarum vi levata civitate, aſſiduo metu negotiatoribus liberatis, Turcarum quoque querelæ deferbuere, quæ adeo hoc anno exarſerant, ut Mehemetes in Pannonia imperator Venetias cum literis regio obſignatis annulo Zauſium mitteret, quibus acerbe admodum, perpetuas injurias ac damna ab ea gente negotiatoribus Turcis ſummo ſui Regis dedecore illata, conquerebatur: cum copiarum parte ad Senniam oppugnandam venturum affirmabat; conſtitutum ſibi eſſe, peſſimum genus hominum penitus exſcindere: ad id perficiendum Venetos ſocios depoſcere, ut ab iis mari, ab ſe terra conterriti delerentur. Iis literis Senatu conſulto reſponſum fuerat: quantum ea facinora Reipublicæ diſplicerent, inde facile ſemper conjici potuiſſe, quod non militi, non triremibus, non ſumptibus peperciſſet. Quod vero de diſſidiorum cauſis amputandis cogitaret, atque ad pacem cum Republica conſervandam adeo Baſſa animatus eſſet, illi gratiæ actæ. 1600

Mehemetes Turcarum imp. de Uſcochorum incurſionibus cum Venetis conqueritur.

Senatus reſponſum.

Verum ob proſperos eo anno Turcarum in Pannonia ſucceſſus chriſtianorum Principum animi ſummis curis ſolicitabantur. Cum enim Byzantio in copiarum ſupplementum Mehemetes duodecim circiter prætorianorum millia Budam miſiſſet, Caniſium Baſſa contendit; in itinere Rebozum propugnatorum ignavia potius, quam virtute, deditione occupat. Sexto idus ſeptembris ad Caniſium caſtra locat, tormentis quatit. Cæſareani egreſſi ab aggeribus hoſtes ſummovent, tormentis aliquot claros infigunt, eorum uno intra arcem pertracto. kal. octobris Mercurii Dux, Cæſaris copiarum imperator, ad Muram amnem pervenit; eo trajecto, obſeſſis adventus ſignum edit, Baſſam ad certamen provocat. Is abſque prælio Caniſio potiri poſſe ratus, aditus omnes, quibus ſubveni Cæſareanis copiis victus poterat, intercludit, ut tandem non abſque ingenti periculo ſeſe recipere cogerentur. Quapropter oppidani, ſubſidii ſpe deſtituti, undecimo kal. novembris ſponte in hoſtium poteſta-

Mercurii Dux, Cæſareanarum copiarum in Pannonia imp.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1600 teſtatem concedunt, non abſque turpi Georgii Paraidiſerii, cui ea arx credita fuerat, nota, qui anno ſequenti perfidiæ capite pœnas luit. Acerba Cæſari, ac non minus Italis Principibus munimenti illius amiſſio, quod præcipua illa Stiriæ arx paucorum dierum itinere ab Italia diſtaret. Itaque in dies magis ſumma ratione cœptum ingens Palmæ opus a Venetis, cuncti fatebantur, atque in id eo majori ſtudio ac diligentia incumbebatur, quod jam propagare in finitimas provincias imperium ſumma felicitate Mehemetes cernebatur.

Canisium a Turcis occupatum.

Ceterum quemadmodum hiſce periculis ob ingentem Turcarum potentiam plerique commovebantur; ita alios, quod illorum adhuc procul facies erat, magis res Gallicæ angebant, cum Henricus ad Salaſſios recuperandos bellum inferre Carolo Emanueli, Sabaudiæ Duci, decreviſſet: qua ex re Italia pace per tot annos florens turbari facile poſſe videretur. Cum enim Vervini icta inter Galliæ atque Hiſpaniæ Reges concordia contineretur, ut quæ inter Henricum ac Carolum de Salaſſiis controverſiæ erant, intra annum a Pontifice definirentur; ille, ut diximus, vel rei difficultate, vel ſummorum Principum offenſam veritus, negotium condictum ultra tempus extraxerat. Inde acrius Salaſſios repetente Rege, inducias per duos menſes Clemens obtinuerat, quo tempore Carolus in Galliam profectus, tandem ſuperioris anni exitu in id cum Henrico convenerat, ut kal. junii inſequentis anni vel Salaſſios reſtitueret, vel Seguſios concederet. Verum cum dies adeſſet, cunctari, tempus proferre, ne pollicita præſtaret, occaſiones quærere nitebatur. Rex contra, ni pactis Carolus ſtaret, vi coacturum affirmabat: enixe vero petenti viginti dierum ſpatium permittit. Carolus interea infixæ menti ſententiæ hærebat; Philippum Hiſpaniæ Regem ad ſe tuendum incitabat; Salaſſiis in Gallorum poteſtate permanentibus, quantum Inſubribus, quorum finitimi ſint, periculi impendeat, oſtendebat: ſed a turbanda pace nuper inita Philippus abhorrebat. Tandem Henricus, ſuammet ipſius exiſtimationem agi ratus, ſæpius Duce admonito, atque ejus ſententia Pontifici ac Venetis per legatos communicata, termino elapſo, tertio idus auguſti ſcripto in vulgos edito, ad arma Allobrogum Duci inferenda, ut Salaſſiorum ditiones reciperet, quas Sabaudus, Henrico tertio impe-

Henrici Regis decretum de bello Allobrogi inferendo.

Henrici Regis cum Allobroge conventiones.

Henrici ſcriptum contra Allobrogem promulgatum.

1600 tertio imperante, pace inter eos vigente, Galliæ regno ademerat, coactum ſe iri, inquit; invitum ſane, ſummoque animi dolore, utpote qui pacis amicitiæque cum finitimis cupidus eſſet; ante omnia expertum, id tandem conſilii cepiſſe. Edicto promulgato, ſtatim Lugdunum profectus, ſedulo cuncta ad bellum neceſſaria parat; Bironium Mareſcallum Burgundiæ copias, Laodigherium peditatum atque equitatum Delphinatus cogere jubet; militum ſupplementum deligit; pecuniam ad Helvetios evocandos mittit; Romæum, tormentorum Magiſtrum, Lutetiam ad machinas bellicas parandas ire præcipit. Intra paucos dies militem, tormenta, pecuniam, belli apparatus in promptu habet. Carolum duabus e partibus ab Provincia, & Allobrogibus aggreſſurus, Gratianopolim venit. Extemplo Bironius Burgum occupat; Laodigherius Momilianum capit; Camberium, quod Allobrogum provinciæ caput eſt, ultro illi civibus portas aperientibus, certis deditionis legibus ingreditur. Exemplum Confluentia, quo in Centrones aditus, Mediolanum ad Iſaram amnem ſitum ſequuntur. Pari fortuna Carbonariam turrim, qua ad Murianenſem comitatum via panditur, ſubegit; inde divi Joannis oppidum, ejus ditionis caput, recipit; undequaque regiones agros Carolo ſubjectos excurrit, continuato adeo ac præpeti victoriæ curſu, ut belli celerrimo apparatu, atque inſueta felicitate cuncti in admirationem raperentur, cum minori duorum menſium ſpatio fere iis omnibus ditionibus, quæ Carolo trans Alpes parebant, potiretur; neque ab imparato impediri, coerceri, vel retardari Gallorum impetus poſſet; neque in Hiſpanis ſatis roboris ad eum tuendum tunc eſſet, licet in Auguſtæ vallem Iuæ gentis peditum tria millia miſiſſent. Carolo neque pecunia, neque milites, neque commeatus; unum in Philippo præſidium erat, qui Inſubrum imperium Petro Henriqueo, Fuentano comiti, detulerat, viro Belgica militia claro; ſed natura inſitoque gentis faſtu elato, turbidi atque inquieti admodum ingenii. Is fortunas atque decus non quietis pacisque, ſed militiæ artibus augere ſibi in animum induxerat: conſiliis præſens rerum ſtatus obſtabat, ut otioſus tantum Henrici geſtorum ſpectator eſſe cogeretur. Sabaudum interim propinqui ſubſidii ſpe, inanique ſolatio alere; nonnihil de ſuis ditionibus

Henrici Regis bellici apparatus.

Gallorum contra Allobrogem progreſſus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1600 nibus licet Henricus ſibi adjeciſſet, cuncta facillime, regiis copiis advenientibus, recuperaturum, atque ad majora aditum facturum. Carolus qua imminenti periculo, qua fallaci ac dubia ſpe circumſeptus, variis curis conficiebatur; ſe vel Gallorum jugum ſubiturum, vel penitus in Hiſpanorum poteſtatem conceſſurum; æque utrumque intolerandum veritus. Neque cupiditas Salaſſiis potiundi ſanioribus illum conſiliis uti ſinebat, quamvis eodem tempore & Gallorum potentiam, & Hiſpanorum ambitionem ferre cogeretur, qui jam tuendi illius obtentu, in Carmaniolam, præcipuam Salaſſiorum arcem, præſidia impoſuerant, copiaſque in Subalpinos traduxerant.

Eo ſtatu res Caroli erant, ejuſmodi Henrici proſperi eventus, ut brevi allapſurum Italiæ propinquum incendium videretur; cum Clemens, in pacem publicam ſummo ſtudio incumbens, ac ſi res ulterius procederet, in communem hoſtem conſilia conatuſque abruptum iri animadvertens, chriſtianæ reipublicæ cauſam ſummo animi ardore amplexus, ut inter Henricum & Carolum pax fieret, enititur; quodque, Byzantino Patriarcha adnitente, nequiverat, per Petrum Aldobrandinum, Cardinalem nepotem, experiri ſtatuit. Itaque illum ſumma cum auctoritate Legatum ad Regem mittit, qui belli initia opprimere, conjungere Henricum & Carolum conetur. Per Offredum Offredium, apud Rempublicam Internuntium, perque Joannem Mocenicum, ejuſdem Reipublicæ apud ſe oratorem, Senatui ſuadet, ut, qui difficillimis temporibus pro publica pace ac tranquillitate Italiæ excubare ſolitus ſit, nullum officii genus cum Rege prætermittat, quo illum ad pacem traducat. Senatus conſulto Franciſco Contareno, apud Regem legato, ac Marino Caballio, qui ei ſucceſſor datus fuerat, mandatum, ut Henrici animum permollire, atque ad amplexandam concordiam flectere conentur.

Petrus Aldobrandinus Cardinalis a Pont. legatus de pace ad Henricum miſſus.

Senatus mandata de pace ad Cŏtarenum & Caballium oratores.

Aldobrandinus Roma digreſſus, Auguſtam Taurinorum proficiſcitur; cum Carolo de præſenti rerum ſtatu agit; inde Lugdunum ad Regem contendit; nihil relinquit, quo diſſidentes Principum animos conciliet. Inter hos vel belli proſperos eventus, vel pacis concordiæque diſceptationes, Mariam Mediceam, Franciſci olim Magni Hetruriæ Ducis filiam, Henricus deſpondet; Alincurtiumque, Villaregii filium, qui ſponſam recipiat,

Henrici Regis cum Maria Medicea nuptiæ.

in

in Italiam mittit. Nuptiis ingenti ſplendore, ac regia magnificentia Florentiæ celebratis, Nicolaus Molinus, Reipublicæ legatus, interfuit; ejuſque nomine Reginæ gratulatur, Ferdinandique Magni Ducis filio ſacri fontis unda abluendo adſtitit. Aldobrandinus Cardinalis, qui tum Florentia tranſibat, Mariam atque Henricum, Magno Regis ſcutifero procuratore, ſtatis de more Eccleſiæ cæremoniis matrimonio junxit. Connubium, per literas Villieriumque oratorem Principe invitato, Rex Patribus ſignificavit. Senatus conſulto gratiæ actæ; bini oratores lecti Leonardus Donatus, Joannes Delphinus, Marcii Procuratores. Atque ut majus nullum in potentiſſimum invictumque Regem ab Republica benevolentiæ & obſervantiæ pignus exquiri poſſet, majoribus comitiis in patriciorum numerum præclaro ac peregregio ad poſteritatis memoriam decreto eſt adlectus. Nam cum per intimos ac familiares ſuos a Franciſco Contareno, ordinario, Franciſcoque Vendrameno, extra ordinem ob pacem ictam legato, qui tunc Lutetiæ aderat, petiiſſet, an Antonius pater, Cantabrum Rex, inter Venetos patricios cenſeretur, ejuſque rei in publicis monumentis notæ extarent, ac, ni eſſent, nobilitatis privilegium apud ſe libenter habiturum ſignificaſſet; perquiſitis advocatorii magiſtratus tabulis, cum notæ non invenirentur, a Conſiliariis, ac Quadragintavirum magiſtris majoribus comitiis latum, ut Henricus quartus, Galliæ ac Navarræ Rex, cum filiis poſteriſque ſuis patriciæ nobilitati adſcriberetur. Qua in re, quod nunquam alias accidiſſe memorabatur, contigit, ut ex mille quadringentis novem ac triginta ſuffragiis, duo tantum lex adverſa tulerit, quæ caſu in viridem urnam cecidiſſe credendum eſt. Anni exitus inſignis maris inſueto æſtu fuit, quod ingenti adeo impetu ac furore intumuit, ut multis in locis, litoribus disjectis ac divulſis, mare in æſtuaria influxerit, aſſuetoſque terminos tranſilierit, gravioris jacturæ periculo, ni tempeſtas ventique vis cito concidiſſet. Ut quam celerrime litora ſarcirentur, Senatus decrevit: miſſi Senatores duodecim, qui loca inſpicerent, quave ratione inſtaurari, firmoraque reddi poſſent, decernerent. Perficiendi munus aquarum magiſtratui mandatum.

1600

Nicolaus Molinus in Hetruriam orator

Leonardus Donatus & Joannes Delphinus, in Galliam oratores.

Henricus Rex inter Venetos patricios a Venetis recenſitus.

Finis Libri Decimiquinti.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

EPITOME.

POst conciliatam inter Gallum & Sabaudum pacem, cum bellici nihilominus apparatus ab Hiſpanis in Inſubria fierent, ad avertendum novum in Italia bellum nihil operae & conſilii a Veneto praetermiſſum, donec oborta ſuſpicio diſcuſſa eſt. Andreas Auria, maxima comparata claſſe, in Africam trajiciens, cum vix ſe in Algerii conſpectum dediſſet, irrito incepto revertit. Neapolitani ac Siculi Proregum piraticae artes Philippi III. juſſu coercitae ſunt. De Venetiarum Patriarcha (Patrum ſuffragiis deſignatus erat Matthaeus Zannius) Romam mittendo, ut de ejus doctrina coram Pontifice periculum fieret, Clementis ac Senatus jurgium fuit: tandem Zannio cum bona Senatus venia Romam profecto, Clemens cum ipſi, tum Reipublicae plurima dedit atque honeſtiſſima voluntatis ſuae teſtimonia. Pſeudoſebaſtianus Venetae ditionis finibus abire juſſus, a Magno Etruriae Duce Hiſpanis traditus, ad tranſtra damnatus eſt. Epirotarum oratores a Venetis auxilia ad excutiendum Turcarum jugum flagitantes, benigne Senatus allocutus, cum muneribus dimiſit: auxilia non e republica viſum concedere. Quod Turcae Anglis immixti maria omnia latrociniis foedarent, Patres apud Eliſabetham conqueſti ſunt. Ne quis templa, aut collegiorum domicilia tota Veneta ditione, imprudente Senatu, excitaret, lege cautum eſt. Auſtanos (parvam inſulam in ſinu hadriatico incolunt ſub Epidauriorum imperio) qui ſe ſuaque in Venetorum ditionem dedebant, minime in fidem recipiendos Senatus cenſuit. Cum eos tamen ab Epidauriis perdomitos, iterum tumultuantes, Epidauriis expulſis, Venetae Reipublicae ſigna ultro ſuſtuliſſe, nunciatum eſſet; Senatus arci imponi praeſidium imperavit. Foedus cum Rhaetis percuſſum eſt. Literae & dona a Perſarum Rege allata. Henricus IIII. Galliae Rex egregium Reipublicae munus, eadem, quibus indui tot in bellis victor ſolitus fuerat, arma miſit, quae nobili loco reponenda Senatus curavit. Cum Achomate, Turcarum Rege, qui Mehemetis in locum ſucceſſerat, pax inſtaurata. Fuentanus, Mediolani gubernator, Rhaetis infeſtus: horum cum Hiſpanis conventa. Padus in novum alveum traductus eſt. Alia aliis temporibus opera facta ad avertendum Medoaci curſum deſcribuntur. Clementi VIII. extincto Leo XI. huic vero, qui viginti haud amplius dies vixerat, ſuffectus eſt Paullus V. Burgheſius. Piraticam ſuis Angliae Regina interdixit: hoc idem poſtea & Hiſpaniae Rex praeſtitit. Termini inter Venetas ac turcicas ditiones amoti, ut iterum reſtituerentur, haud aegre a Turcis Veneti impetrarunt.



HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER DECIMUSSEXTUS.

M. DC. I.

ANnum M. DC. I. varii bellorum motus ac ſuſpiciones excepere, dubitatumque ne pax inter Gallum ac Sabaudum belli initium in Italia foret. Aldobrandinus, ut diximus, Henricum Lugduni convenit, ubi Caroli quoque ſequeſtri aderant; ac licet inducias, uti enixe Clementis nomine flagitaverat, a Rege impetrare nequiviſſet, Montmianamque arcem ante oculos capi a Gallis vidiſſet; attamen nulla difficultate perterritus, victoris animum lenire adortus, rogando, urgendo tantum valuit, ut Henrici mentem ad concordiam, dummodo æquis conditionibus atque ex ejus dignitate conficeretur, inflecteret: in quam cum Philippus proclinaret, Carolus quoque minime dissentire, ſed nimium 1601

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1601 ingentis ſpiritus æſtus premere cogebatur. Itaque februario menſe pax iis conditionibus inita: *Ut Seguſii, ac quicquid uſque ad amnem Rhodanum Sabaudus obtineret, Gallo accederent: ad traducendos in Burgundiæ comitatum Hiſpanos milites, Grezini tantum ponte ad Rhodanum relicto, Salaſſij, ac quod in ea regione Henricus juris haberet, Caroli eſſent.* Ea lege ſatis conſultum omnibus videbatur, cum Salaſſiorum ditio, præteritorum bellorum ſeges, quam Sabaudus tantopere concupiverat, plene ad eum perveniret; uberrima Seguſiorum regio, ex qua ducentum aureorum millium proventus extarent, Galli fieret; regnoque externis ob id armis impervio, ampla ac florens provincia adjungeretur. Hiſpanis quoque optatius nihil accidere poſſe exiſtimabatur, quam ut æmulam gentem penitus Italia excluderent; anguſtumque ad ſuas provincias iter facile hac Gallorum ab Italia amotione rependi arbitrabantur.

Pax inter Henricum Regem & Sabaudiæ Ducem, & ejus pacta.

Pace icta, nemini dubium erat, quin peregrini atque Itali milites, quos Hiſpani in Inſubribus ad Allobrogem invadendum coegerant, ſtatim vel in Belgium, ut Alberto, Hiſpaniarum Regis ſororio, bellum cum Batavis gerenti, opem ferrent, amandarentur; vel in Pannoniam, ut Ferdinando Turcarum armis afflicto ſuccurrerent, qui ſuperiori anno Caniſium amiſerat, graviaque Stiriæ & Carinthiæ metuebat incommoda. At cum appetente vere non modo copiæ non dimitterentur, verum novi delectus haberentur, haud parva Italorum animos ſuſpicio inceſſit. Veneti, qui cum Principibus omnibus pacem colerent, licet de Philippi Hiſpaniarum Regis voluntate non ambigerent; attamen ſedulo, quæ finitimi molirentur, circumſpectare; quid Fuentanus comes, turbidi atque inquieti ingenii vir, in Inſubribus ageret, explorare; intentiore cura ac ſtudio civitatum atque arcium cuſtodiæ, quas in Gallia Ciſalpina peregregias atque validas poſſident, conſulere; cum præſertim a Valerio Antelmio, Senatus ſcriba, literæ quotidie de belli apparatu, in quem ſummo Fuentanus ſtudio incumbebat, perferrentur; triginta peditum ex variis gentibus millia in Mediolanenſi ditione cenſeri; Helvetiorum nempe quatuor millia, Germanorum octo, tantumdem Neapolitanorum atque Hiſpano-

Itali Principes de Hiſpanorum armis ſolliciti.

ſpanorum, ſex Gallorum Ciſalpinorum; ad hæc incolarum militiam levioris armaturæ equitum duo millia, præter cataphractos; inſolitam præterea vim boum equorumque ad plauſtra protrahenda; tormentorum, pilarum, ſulphurei pulveris, atque earum rerum omnium, quæ ad ingens bellum adminiſtrandum pertinerent, comparari. Suſpicionem auxerat, poſt pacem initam ad Sommam, inter Ticinum ac Tortonam oppidum, Aldobrandini, Sabaudi ac Fuentani colloquium, in quo quid conſultum, actum, decretum, magno ac inſueto obtectum ſilentio cognoſci non poterat, licet ad leges pacis firmandas atque exequendas eo conveniſſe vulgaretur. 1601

Petri Aldobrandini Cardinalis, Sabaudiæ Ducis & Fuentani Comitis colloquium.

His permotus Senatus, urbium atque arcium magiſtratibus literas dederat, ut in iis cuſtodiendis majorem operam ac ſtudium impenderent; Franciſcum Martinengium, levioris equitatus præfectum, Bergomum ingredi juſſerat; Joannem Baptiſtam Montium, peditatus ducem, Brixiam miſerat, præſidia auxerat; ſi ita res poſceret, ut ordinum militibus uterentur, rectoribus injunxerat. Rumore vero indies aucto, aliquid in Italia novum Hiſpanos moliri, ut in continentem cum ſummo imperio legatus mitteretur, decretum. Leonardus Donatus lectus, eique in legatione ad Henricum Galliæ Regem Antonius Priolus ſuffectus. Donatus quatridui ſpatio urbe egredi juſſus, trium Italorum millia conſcribi, ex Iſtria peditatum, qui ſuperiori anno eo miſſus fuerat, evocari, pedeſtrium atque equeſtrium copiarum partem ex Illyrico accerſiri latum. Erant tunc in ea provincia tria peditum millia labori militari aſſueta, præter Græcum equitatum atque veteranorum extra ordinem militum ac præfectorum manum, qui bellis externis operam navaverant. Melchiori Luſio, militum tribuno, Hieroſolymitano equiti, quem annua penſione Reipublicæ obſtrictum, ex Uria, Suithi, atque Undervaldi Helvetiorum pagis binas legiones, quæ *regimina* vocant, in Italiam adducere oportebat, ſcriptum, ut duo peditum millia in promptu haberet: ad Franciſcum Vaudemontium Comitem, Tranſalpinarum gentium imperatorem, datæ literæ, ut totidem partim ex Lotharingia partim ex Gallia cogeret. Ad eam rem Joannes Baptiſta Padavinus, Senatus ſcriba, in Lotharingiam miſſus, viginti aureorum millia in

Leonardus Donatus legatus cum imperio in continenti.

Antonius Priolus orator in Galliam deſignatus.

Veneti ad ſuos fines tuendos milites comparant.

Joannes Baptiſta Padavinus in Lotharingiam, Julius Ghirardus ad Helvetios mittuntur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1601 præfectorum atque militum ſtipendia curat. Julius Ghirardius ad Helvetios deſignatus, ſtatim contendere Bergomum juſſus: duodecim aveorum millia numerata.

Varia interim de Inſubrum apparatuum incrementis diſſipabantur; ac licet Hiſpanos Italiam pacatam cupere, exercitumque partim in Belgium partim in Croatiam miſſuros plerique arbitrarentur; non tamen deerant, qui tantum copiarum non fruſtra neque oſcitanter cogi putarent. Quidam ad Genevam invadendam comparari, quo & Pontificis & Sabaudi voluntati ſatisfacerent. Verum id non ita facile factu erat, quod civitas Henrici Galliarum Regis tutela conquieſceret, nihilque ei adverſum, niſi irritatis Gallorum armis, tentari poſſet. Erant qui dicerent, ad ingentem Hiſpaniarum Regis potentiam Italis Principibus oſtentandam, tantum virium colligi, alte jam Hiſpanæ genti inſidentibus animo, quæ nonnulli Italiæ Principes ad eorum ſpiritus, principatus faſtigium anhelantes, coercendos egiſſent. Non inaniter alii, ſed mature, Carolo cum Henrico conciliato, in ſuarum ditionum penetralibus tantas cogere copias Hiſpanos cenſebant: quæ ad Galliæ regnum prope lapſum fulciendum Veneti egiſſent, memorabant; Xyſtum V. Pontificem Maximum, qui, Henrico III. ob Cardinalis Guiſii cædem anathemate percuſſo, Henrico IIII. e fidelium cœtu ſummoto, peramplum Hiſpanis ex civilibus diſſenſionibus aditum in Galliam aperuerat, ad ſalubriora conſilia revocatum; Henricum, cunctis ſilentibus, Galliæ Regem a Senatu primo ſalutatum narrabant: obverſabantur animis a Ferdinando Magno Hetruriæ Duce ſubſidia in Galliam miſſa, Mariæ neptis, Franciſci fratris filiæ, cum Henrico nuptiæ. Clementem ac Petrum Aldobrandinum, nepotem, a bello in Hetruriam movendo minime alienos fore rumor erat, exulcerato amborum in Mediceos animo, quod in Florentiæ turbinibus Silveſtro Aldobrandino, Clementis patri, mors illata fuiſſet: in Pontificiſque animo vetus in libertatem adſciſcendæ urbis, ac in reipublicæ formam redigendæ, ſuique pontificatus inſignem memoriam poſteris relinquendi conſilium jamdiu coqui videbatur.

At in finitimis Reipublicæ locis frequentes militum delectus, jumen-

jumentorum ad convehenda tormenta comparandi inſuetum 1601
ſtudium, Fuentani comitis (uti crebris literis ac nuntiis ferebatur) Venetarum urbium atque arcium ſolers exploratio patrum urebat animos. Itaque apparatus urgere, Principum animos explorare, ut quamprimum nubes, quæ Italiæ incubuerat, diſcuteretur eniti. Per Joannem Mocenicum Clementi, quæ in Inſubribus Hiſpani moliantur, Senatus exponit: *Ne publica quies interturbetur, periculum imminere. Quid enim cauſæ eſſe, cur, ſancita inter Sabaudum ac Gallum pace, equeſtres ac pedeſtres copiæ indies magis magiſque augeantur, tormenta aliaque in belli uſus comparentur? ad nullum magis publicam tranquillitatem atque Italiæ pacem quam ad eum pertinere: provideat, ne poſt tot præclare geſta, illuſtri pontificatui, belli facibus in hoc Europæ umbilico incenſis, nonnihil ſolidæ ipſius gloriæ depereat: Senatum, qui Italiæ paci ac tranquillitati ſemper ſtuduerit, ei præſentem rerum ſtatum ob oculos ponere voluiſſe: magnos Principes ambitione atque dominandi cupidine tranſverſos ſæpius agi: daret operam, ut, quæ Italos Principes ingenti ſuſpicione repleverint, arma tandem ſummoverentur; quæ niſi in Italiæ perniciem verſura ſint, cur accurate adeo cogantur? alioqui nihil pro dignitate, ſalute, libertate prætermittendum.* Hæc cum attente admodum a Clemente audirentur, ſibi minime ſuaderi poſſe, ajebat, Philippum novandarum in Italia rerum, præſentiſque ſtatus immutandi cupidum eſſe. Ceterum vel quod Hiſpanorum mentem ignoraret, vel agnitam ſtudio tegeret, cum nihil certi, quorſum Inſubrum apparatus tenderent, ab eo depromeretur, per literas perque Franciſcum Superantium, legatum, eumdem Philippum Regem alloquendum, Senatus cenſuit: *Compoſitis inter Galliæ Regem atque Allobrogum Ducem controverſiis, cum indies milites, arma, tormenta in Inſubribus expediantur, adeo Italos Principes (licet hæc nequaquam ab eo probari ſibi perſuadeant) commoveri, & ejuſmodi ſuſpicionum ſemina animis excepiſſe, ut in maxima rerum ambiguitate verſentur: proinde quo loco res Italiæ ſint, ei ſignificandum duxiſſe: pro eximia ejus prudentia rogare, ne in publicam pacem, atque Italiæ quietem, quam Philippus pater, & inclitus avus, Carolus Imperator conſtanter retinuerint, ſuum ſtudium deſidera-*

Senatus ad oratores mandata, ut cum Pontifice & Regibus de pace conſervanda agant.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1601 *ſiderari ſinat*. Eodem tempore per Marinum Caballium, legatum, Henrico Senatus oſtendit: *Tam ſua illum, quam amicorum cauſa excubare oportere: turbari Italas res cœpiſſe, idque parum rebus ſuis conducere palam eſſe; nil magnanimo ac generoſo Rege dignius, quam amicos tutari, atque ab aliorum injuriis incolumes ſervare*. Vehementer hiſce nuntiis Henricus commovebatur; ac licet Hiſpanos vel pecuniæ inopia, vel aliis præpeditos bellis, nihil moturos arbitraretur, nihilominus ad ingentes ſumptus, armorum propinquitate, Rempublicam adigi, ſummam animo moleſtiam percipere præſeferebat; Salaſiiſque Sabaudo conceſſis, inſolentiores Hiſpanos, gravioreſque Italiæ Principibus effeciſſe ſibi videbatur. Verumtamen in Republica juvanda quo ingens ſtudium patefaciat, ne quid incommodi patiatur, ſi armis petatur, ſubjectos omnes opem ferre permiſſurum. Ad propenſum Henrici in Rempublicam animum augendum, Joannes Delphinus, Eques & Marcius Procurator, atque Antonius Priolus, ut de connubio gratularentur, ad eum antea legati, extemplo proficiſci in Galliam jubentur; ſumma ope illum ad Rempublicam juvandam tuendamque incitare nitantur. Atque, ut Clemens publicam cauſam majori ſtudio complecteretur, oratorem extraordinarium ad eum mitti placuit, quo & in Senatu publicæ tranquillitatis libertatiſque Italiæ ſtudium conſtaret, ac Pontifex illuſtri ſignificatione magis magiſque ad præſentem rerum ſtatum conſervandum impelleretur. Legatio Marco Venerio, magnarum rerum uſu, atque inſigni eloquentia præſtanti viro, delata.

Marcus Venerius orator extraordinem ad Pontificem.

Dum hæc fiunt, incaleſcentibus animis, in dies majores apparatus a Venetis eduntur, ingenſque adeo libertatis ac dignitatis ardor Patrum animos inceſſerat, ut cunctis ſuffragiis, quæ a præconſultoribus ferebantur, Senatus conſulta decernerentur. Quadraginta trierarchi creati; navalium præfectis, ut quantum maximum triremium numerum poſſent, expediri atque inſtrui curarent, juſſum; prætenti claſſe ad hoſtes vel avertendos vel præveniendos nihil opportunius eſſe, rati. Ad Bergomum Cremamque, præcipuas urbes, Inſubribus finitimas, exactius tutan-

Trierarchi a Senatu electi.

tutandas, legati extra ordinem, qui tamen ſupremo Donati imperio parerent, miſſi; Andreas Gabrielius Bergomum, Joannes Nanius Cremam, quo etiam Annibal Gonzaga, qui militiæ præeſſet, ex Mantuano vocatus; Bergomi Petrus Antonius Godius, Vicetinus, aderat. Quatuor inſuper peditum millia adjicerentur, latum: ut præter urbium atque arcium cuſtodias, Italorum peditum ſeptem ex Iſtria ac Dalmatia evocatorum tria millia recenſerentur, bina Helvetiorum, totidem Gallorum ac Lotharingorum millia in itineris procinctu eſſent. His addebantur ex ordinibus qui pugnaciſſimi, imprimiſque ad ferreas fiſtulas tractandas exercitatiſſimi habebantur, quatuor ac viginti millia; cataphractorum vero equitum quingenti, Græci totidem: his & hoſtium ſuſtineri impetus, & arces defendi poſſe videbatur, cum præſertim ſitu, munitione, annona ad oppugnationem vel obſidionem ſuſtinendam pares eſſent. Unanimi enim inſignium militiæ præfectorum conſenſu, ad Bergomum tantum invadendum, ſeptuaginta millium copiæ vix ſufficere cenſebantur; ad pleraque vero conficienda, cum imprimis pecunia opus eſſet, neque augeri vectigalia, neque ſubjectis eam imperare placuit; ex erario publico eſt deprompta. Bergomum aureorum quinquaginta millia, totidem Brixiam, Veronam ducenta millia a Marco Antonio Piſano devehi juſſum; qua proficiſceretur plaudentibus populis, quod nihil ad eorum tutelam a Senatu prætermitteretur. Inde civitates non modo atque oppida, ſed privati etiam certatim Reipublicæ opem offerre; nonnulli ſuis impenſis vel peditum vel equitum numerum exhibere; alii cum amicis & obæratis clientibus ſuis operam deferre; quidam privatam pecuniam in publica militum ſtipendia polliceri. Legatus interea arces inviſere, copias luſtrare, milites labori aſſuefacere, ex ordinum quatuor millibus electis, qui pro nutu quocumque juſſiſſet convenirent. Joannis Baptiſtæ Montii, Francisci Martinengii in muneribus ſuis obeundis par laus induſtriæ.

1601 *Andreas Gabrielius, & Joannes Nanius Bergomum & Cremam legati mittuntur.*

Pecunia a Venetis in continentis urbes miſſa.

Venetorum ſubjecti ad Reipublicæ opem ferendam propenſi.

Ceterum Marci Venerii extra ordinem legatio primum Clementi grata fuiſſe videbatur, vel quod argui ſe negligentiæ in pontificio munere adminiſtrando ſuſpicaretur, vel quod inde occulta, ambitionis plena, concordiæque adverſa conſilia

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1601 lia animo agitare exiſtimaturos mortales vereretur. Mocenico igitur inquit: *Cum ad publicam pacem atque Italiæ quietem conſervandam ſe nihil prætermiſſurum Senatus pro certo habere poſſit, non opus ea legatione fuiſſe: antequam Venerius Romam accedat, exercitum ab Inſubria dimiſſum iri.* Multa præterea addit, quæ Mocenicus ſtatim Senatui ſignificavit. Quarta majoris hebdomadæ die a prandio acceptis literis (qua die præconſultores divinis rebus intenti, cogi non ſolent) coram Principe, pauciſque aliquot e Sapientum numero recitatis, extemplo Venerio, qui jam ſe itineri commiſerat, ſcribunt, ni e finibus Reipublicæ exierit, ſubſiſtat, Senatuſque juſſa expectet: Foſſæ Clodiæ tunc erat. Profeſto Paſchatis ad Senatum refertur; hinc atque inde diſceptatur. Nonnulli: *Fruſtra Venerium Romam mitti: nihil eam legationem Pontifici gratam eſſe, jam palam brevi dimiſſum copias iri enuntiaſſe: quid inde decoris, quid dignitatis Reipublicæ accedere? in Senatu Italicæ libertatis publicæque pacis ſtudium vigere quem lateat?* Contra alii: *Legatum in itinere eſſe: non quæ dicantur, ſed quæ fiant, inſpici oportere: adhuc in Inſubribus copias detineri, a belli apparatibus non ceſſari, Neapoli claſſem augeri, novos delectus haberi: magnos Principes ſæpius conſilia verbis tegendo, ex improviſo incautos oppreſſiſſe: avorum memoria nimium Ludovici XII. Galliarum Regis fidentem Rempublicam pollicitis, ingentem jacturam feciſſe, memoria tenerent: cur legationem mature decretam, in ea ambiguitate animorumque ſuſpenſione abrogarent? cur Clemens, cujus Italiæ quies tantopere intereſſet, prudentiæ opinione Senatorem admodum præſtantem, ad ſe ſumma honoris ſignificatione accedentem, contemneret? immo potius, ut chriſtiani gregis Paſtor, in quo chriſtiana reſpublica tota conſiſteret, eximie obſequium ejuſmodi amplectatur. Verbo tantum itaque permoti, e ſinu ampliſſimi iſtius Senatus emiſſam legationem antiquabimus? quo conſilio, quo exemplo? tamquam inani conſulto Venerium oratorem deſignaverimus, vel ad eam mittendam nulla nobis occaſio extiterit; quorum alterum a matura veſtra conſultatione alienum, alterum nuntiis, qui quotidie perferuntur, adverſum eſt. In iis, quæ ad imperium ſpectant, ſi quid paulo erratum ſit, corrigi ne-*

Clemens Pontifex a Mocenico petit, ut Venerius a legatione revocetur.

De Venerio legato revocando diſceptationes.

nequit; nimia diligentia in Principe merito culpari non debet; ſi, ſuſpicione oborta, rebus ita conſuluerit ſuis, ut quam minima volubilitati fortunæ relinquat, imprimis laudandus eſt; hac præſertim tempeſtate, qua aſtus, ſtratagemata, ne dicam fraudes veræ virtuti impoſuerint, eamque fere oppreſſerint. His utrimque dictis, Senatus conſulto Venerius iter proſequi juſſus: Mocenico imperatum, Clementi ſignificaret, ut cœptum iter Venerius proſequeretur, Senatum cenſuiſſe, quo ſanctiſſimos pedes exoſculatus, de egregio illius in pacem ſtudio, deque iis, quæ hoc tempore pro reipublicæ chriſtianæ atque Italiæ bono egiſſet, ingentes Senatus nomine gratias ageret. 1601

Hi belli apparatus, hæ Venetorum legationes, hæc conſilia per Italiam ac Europam vulgata, ad Hiſpanorum conſilia nudanda apprime opportuna videbantur, in ſummaque cuncti expectatione erant, ut tandem, quid agitarent ac molirentur, palam fieret; cum Franciſcus Vera, Regis legatus, Principem Patreſque adiens, ampliſſimis verbis Philippi mentem teſtatus; non illi Italiæ quietem turbare in animo eſſe, inquit: quam pater atque avus cum Republica per tot annos pacem ſervaverant, in ea conſtanter atque integre permanſurum, amicumque Senatui futurum. Eodem fere tempore a Superantio ex Hiſpania literæ ſuperveniunt; jam de dimittendo exercitu ſtatutum, copiarum partem in Belgium, partem in Pannoniam, Stiriam, & Carinthiam mitti decretum. Ita diſcuſſa in Italia belli ſuſpicio, vel quod in ea novi nihil moliri Hiſpani ut quam cogitaſſent; vel quod acrius, ac ſibi perſuaſerant, obſiſtentes Principes inveniſſent; vel tandem (uti poſtea vulgatum ac pro certo habitum) quod ſpe ingenti Massiliæ occupandæ, ſitu ad invadendam Galliam, atque ad conglutinandas Philippi provincias, Italiamque muniendam peropportuno, dejecti fuerint, facinoris auctoribus Henrici juſſu ſupremo ſupplicio affectis. Utcumque ea res habuerit, certum eſt, apparatuum celeritate, Senatus conſtantia, haud parum exiſtimationis apud Europæ Principes Reipublicæ acceſiſſe, ſubjectorum in Venetum nomen incredibile ſtudium perſpectum eſſe. Fluctibus his ſedatis, Donatus legatus, uti juſſus antea a Senatu fuerat, continentis imperium peragrare, arcium munitiones reficere, novis propugnaculis excitatis, vali-

Hiſpanorum decreti de exercitu ab Italia removendo.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1601 validiores reddere, ordinum milites luſtrare, delectum augere cœpit. Gaudentio Madrutio, Philippi ſtipendia merenti, cum ſex Germanorum peditum millibus ad Caniſium oppugnandum Ferdinando Archiduci opem laturo, per Reipublicæ fines iter petenti, ex Senatus conſulto permiſſum. Donato curante, lembis milites excepti, per Benacum lacum Deſentianum delati, ſumma quiete, nullo ſubjectorum incommodo, in Cremonenſem agrum, ad Divi Joannis (quem in Cruce vocant) oppidum convenere. Dum hæc geruntur, Delphinus ac Priolus legati Lutetiam accedunt, ſummis honoribus quacumque iter haberent exculti. De connubio primum gratulati; mox de egregia in Rempublicam voluntate, cujus eximia argumenta palam exhibuiſſet, gratias Henrico agunt. Priolus equeſtri dignitate inſignitus, ambo muneribus regiis ornati, in patriam reverſi, præclarum ejuſdem ſtudium, quod, dum Hiſpanorum arma in Inſubribus ferverent, cumulate patefecerat, Senatui ſignificant: ne ab iis damni aliquid ad Rempublicam perveniret, ipſum quoque, ſi occaſio tuliſſet, ad illam juvandam alpes tranſgreſſurum fuiſſe, conſtanter affirmaſſe; quadringentis e ſua cuſtodia ſelectis in Italiam profectionem permiſiſſe, quos iidemmet legati obvios in itinere habuerant, in quibus equitum tribunus Bironius, bellica virtute inſignis, qui ob eximia pro Henrico geſta, ſumma exiſtimatione florebat, atque impenſe a Rege diligebatur: de quo illud prefatum ajebant, *æque acrem illum amicum atque hoſtem, vel amicis vel hoſtibus futurum*. Alphonſus quoque Dornanus, Corſus, equitum tribunus, ob egregia facinora nomen a fama ſortitus, cum aliis inſignibus viris arma pro Republica ſumpturis adnumerabatur.

Veneti Germanis militibus per ſuos fines tranſitum permittunt.

Hiſpani Claſſem Neapoli comparant.

In continenti ſedatis rebus, maritimarum curæ atque ſolicitudines emerſere, qua Neapolis & Siciliæ Proregum excurſionibus, qua claſſium Hiſpanicarum apparatu ſubortis. Cogi namque Genuenſes, Neapolitanas ac Siculas triremes ab Andrea Auria Philippus juſſerat, ab Italiæ Regulis ſubſidia efflagitaverat, & in univerſum claſſem quatuor ac ſeptuaginta longarum navium ſummam æquaturam ferebatur. Genuenſium ſeptemdecim regia pecunia merentium, in quibus binæ Sabaudi cenſebantur, Caroli Auriæ imperio con-

continebantur. Neapolitanæ præterea ſexdecim a Petro Toletano, Siculæ quindecim a Petro Leva, Hiſpanæ undecim ducebantur. Ad has accedebant pontificiæ quinque, Magolotto Commendatore; reipublicæ Genueſium ſex, Joanne Thoma Auria; Hetruſcæ quatuor, Marco Antonio Calafatto, divi Stephani religionis præfecto, ducentibus. Complures undique ad claſſem milites confluebant, atque in his Inſubrum mille ac quingenti, Regis juſſu conſcenſuri, in Liguriæ litoribus erant. Diverſæ quo apparatus verterentur ſententiæ, atque eædem, quod cuncta inſolito ſilentio regerentur, valde incertæ, variuſque adeo in hanc modo, modo in illam partem agminum motus accedebat; ut nonnunquam in orientem excurſu Turcis imminere, nonnunquam in occidentem flexa, in Adriaticum penetratura viderentur. Nec deerant, qui in Epirum impetum Hiſpanos facturos, eo imprimis argumento, crederent, quod Clemens Mocenico Reipublicæ legato, his de rebus ſciſcitanti, alte pectore conſilia condere videretur, utpote qui ad eas regiones invadendas aſpiraſſet: multas quoque iis in locis Hiſpanos amicitias alere, ſecretaſque cum incolis tractationes ſerere conſtabat. Hiſce rumoribus permoti Patres, ad Illyrici atque ejus partis, quam in Epiro poſſident, res firmandas, ex Senatus conſulto legatum Aſcrivium, fortiſſimum Epiri propugnaculum, mittendum cenſuere. Andreæ Gabrielio, qui eodem anno Bergomi præfuerat, munus delatum; injunctaque ſeverior arcis cuſtodia, nec non eorum, quæ in iis locis gererentur, ſedula obſervatio; ut ex rerum eventu ſalubria Reipublicæ conſilia caperentur. De claſſe quoque majori triremium numero augenda, ut Illyrici atque Epiri litora firmioribus præſidiis tuta eſſent, neque ab aliorum Principum claſſibus, ſi prope Venetorum fines ſeſe intuliſſent, aliquid incommodi accideret, agitabatur.

1601

Andreas Gabrielius, Aſcrivium legatus mittitur.

In ea apparatuum cura certis indiciis Hiſpanos Algerium et Numidia oppugnaturos emanavit. Id multo antea Andream Auriam molitum dicebatur, a Gallo quodam Africæ regionis perito, qui ducem ſe rei parandæ obtulerat, impulſum; id eo potiſſimum ſuadente, quod julii atque auguſti menſibus, ad oppidum invadendum valde opportunis, Turcæ per agros palati

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1601 palati atque diſperſi eſſent, pauci negligentius arcis cuſtodias obirent. Itaque Auria opportunitatem nactus, cum ſinuoſis flexibus cunctos diu ſuſpenſos detinuiſſet, tandem cum univerſa claſſe ad majorem Balearicam pervenit, indictoque Clementis Pontificis nomine, ob felicem rei exitum, ad purgandas noxas jubilæo, quinto kalen. ſeptembris in Africam trajecit. Bidui ſpatio in conſpectum Algerii ſe dedit, navarchis nonnullis ad pernoſcendam loci naturam ſitumque præmiſſis; qui cum vento longius abrepti, nihil ea die efficere potuiſſent; poſtero inani oſtentatione inſumpto, vento ſe ſe intendente, ad majorem Balearicam revertitur; momentoque apparatu, ſelecto milite, Principibus ac claris viris inſtructa claſſis, omnium expectationem eluſit, in Auriam pleriſque probra congerentibus, quod inani labore, animo ab expeditione alieno, eam provinciam ſuſcepiſſet: non ejuſmodi maris jactationem, quæ a propoſito, averteret; immo ab illius in Balearem reditu per dies octo adhuc in Africam revertendi tempus fuiſſe. Aliis contra prudenter egiſſe affirmantibus, quod maritimarum virium robur haud dubiis periculis, eorum quæ Carolo ſucceſſerant memor, non objeciſſet.

Andreas Auria ad Algerii expeditionem inani eventu proficiſcitur.

Neapolitanus & Siculus Proreges navigia ad piraticam exercendam inſtruunt.

Dum hæc geruntur, Lemoſii Comes, Neapolis; Machedæ Dux, Siciliæ proreges, uxorum nomine comparatis adornatiſque navigiis, excurſionibus maria fœdant: in Venetas naves obtentu illo invadunt, quod in iis infidelium bona continerentur. Ingentis pretii Hebræorum non modo ac Turcarum negotiatorum merces, verum etiam Chriſtianorum fortunas diripiunt; prædam ingentem in Siciliam ac Neapolim invehunt, magna navigationis jactura, mercatorum metu, vectigalium Venetorum detrimento, Turcarum querelis. Quæ in immerentes patrari cum moleſte admodum Patres ferrent, Senatus conſulto ad Franciſcum Superantium, legatum, literas dant: quæ acciderint, Regi exponat; de illatis damnis injuriiſque expoſtulet; ablata reſtitui, excurſiones inhiberi, plecti fontes flagitet. De Regis optima mente, quam rectam atque in juſtitiam propenſam Veneti cognoviſſent, numquam hæſitaverant; at cum propriis illectos commodis ab ea miniſtros diſſentire intelligerent, ne in amico-

Senatus de damnis Venetis navigiis illatis cum Philippo Rege conqueritur.

amicorum gratiam negotium extrahendo, regios juſſus fruſtrarentur, ſuſpicabantur: qui, ut multa afferre, quibus iniquas actiones defenderent, niterentur, id tandem unum objiciebant, infidelium Regiſque hoſtium bona ubicumque inveniſſent, jure capere, ſuaque efficere poſſe. Verum quam inania hæc forent, quantum ſceleribus ac rapinis religionem divinumque numen obtendere turpe eſſet, nemo ſanæ mentis ignorabat; jus gentium violari, maria infeſta reddi, amicæ Reipublicæ res negotiaque negligi. Superantius a Philippo ad Proreges literas impetravit, quibus, ut a Venetis navigiis abſtinerent, ne mercimonia ſcrutarentur, ne impoſterum prædatoria navigia emitterent, de præda quid juris eſſet decerneretur, jubebat. Hæc Philippi mandata licet opportuna viderentur, attamen haud obſcure avaritia ac libido miniſtrorum in eiſdem interpretandis corrumpebat, cum dicerent, longe aliud eſſe, in navigia inquiri, atque de hoſtibus certiores factos, eorum bona diripere atque occupare. Itaque neque prædas reſtituere, neque galeones exarmare, neque regiis juſſis obtemperare: idque imprimis peſſimo exemplo ceſſurum erat, ſi gravia ac publica negotia privatorum judiciis committerentur; mora namque & commentis defeſſis ac debilitatis negotiatoribus, per oblivionem rei ſibi iniquum lucrum miniſtros quæſituros. 1601

Philippi Regis mandata miniſtrorum calliditate non peraguntur.

Itaque Patres extra ordinem legatum in Hiſpaniam mittendum cenſuere: Octaviano Bono decreta legatio. Is ſtatim æſtate fervente licet, Madritum contendit; Philippo de iis, quæ hucuſque geſſerat, gratias agit; Reipublicæ cauſam tuetur; ut rem perficiat, rogat. Petitionum ſumma fuit, cujuſcumque gentis facultates a navigiis Venetis ablatæ, integræ reſtituerentur, piratæ atque eorum fautores debitis pœnis plecterentur, impoſterum ex Neapolis ac Siciliæ regnis prædatoria navigia ne exire permitterentur. Inde quot ex iis excurſionibus incommoda oriantur, perſequitur: jura gentium perturbari, commercia ſubditorum imminui, publicos proventus ac vectigalia exhauriri; iniquum eſſe, homines otio deditos rapto vivere, aliorumque labore & induſtria ditari; hæc non Philippum patrem, non Carolum Cæſarem avum tuliſſe, qui ſingulari ſapientia ac prudentia excurſiones inhi-

Octavianus Bonus, orator ad Hiſpaniæ Regem, & ejus officium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1601 inhibuerant; qui adverſus feciſſent, eos graviſſimis pœnis coercuiſſent. Audito legato, verbis, vultu, ſummam ex iis, quæ acciderant, Rex moleſtiam percepiſſe ſignificat: quæ peteret, ſcripto exhibeat, poſtulatis conſulto reſponſurum. Bonus menſes aliquot Madriti commoratus, efflagitat, urget, nihil quod ad rem ex Senatus ſententia conficiendam attineat, prætermittit; tandem excurſiones tolli, inquiſitionem in Veneta navigia penitus vetari, de ablatis reſtituendis, quid juris ſit, ut ſummatim ac per compendium patrimonii Siciliæ magiſtratus decernat, regio decreto ſancitum. In judices Senatus non conſenſit; in auctores ob amicorum auctoritatem ac gratiam minime animadverſurum: Bonus vero legatione perfunctus in patriam revertitur. Inde Patres intentiore cura ac ſtudio ad orientis maria tutanda animum adjecere; civiumque, qui rerum maritimarum uſu præſtabant, perquiſitis ſententiis, ut duæ ex majoribus triremibus armarentur, Senatus conſulto decernunt; nil hoc navigiorum genere ad piratarum impetus obtundendos opportunius rati, quippe quod forma, tormentorum numero, nautis ac milite excellat, maritimiſque tempeſtatibus egregie obſiſtat, remis ac velis admirabili velocitate agatur. Earum præfecto Antonio Juſtiniano creato, ut quamprimum urbe exiret, præceptum. Terreſtribus maritimiſque curis, peſtilentiæ quoque hoc anno metus acceſſit, quæ ex finitimis Iſtriæ locis in Tergeſtum, civitatem Venetis finitimam, illapſa, funeribus pene incolas omnes abſumpſerat, atque propinquitate Iſtris & Carnis minabatur. Qui publicam ſalutem curarent in provincias miſſi. Nicolao Contareno Forumjulium, Franciſco Juſtiniano Iſtria obvenit; ſuborientia morbi ſemina in Carnis egregie Contarenus extinxit: Iſtria Juſtiniani cura immunis ſervata: in Tergeſtinos publicæ charitatis argumenta edita, compluribus ad virus leniendum vel extirpandum liberaliter exhibitis.

Hiſpanorū decretum, & ad Venetum oratorē reſponſum.

Veneti majores triremes ad excurſiones coercendas inſtruunt.

Antonius Juſtinianus, majorū triremium præfectus. Tergeſtum peſtilentia vexatum.

Nicolaus Contarenus, & Franciſcus Juſtinianus, legati in Forūjulium & Iſtriā miſſi.

Interea Caniſii ſuperiori anno a Turcis capti oppugnatio ad ſe mortalium mentes attraxerat. Cæſareanis ingenti conatu, magnis Italorum Principum ſubſidiis nitentibus, Vincentio Mantuanorum Duce, Ferdinandi vices in exercitu obtinente, eximio animorum ardore, verberationibus, obſi-

Cæſareani ſub Vincētii Mantuanorum Ducis auſpiciis Caniſium adoriuntur.

1601 obſidione pugnatum, eo majori ſpe, quod a Mercurii Duce, Cæſaris exercitus præfecto, Alba Regali capta, obſeſſis ſubſidii ſpes adempta videretur. Ceterum votis fortuna non annuit. Pontibus fabrefactis, qui per paludem rotarum volubilitate agerentur, propius ſuccedere mœnibus, quo impetus atque irruptio in oppidum fieret, tentatum. Verum uliginoſo atque inæquali ſolo, paluſtribus cannis obſito, irrito conatu res ceſſit; compluribus tormentorum ictibus ſauciatis atque interfectis, quæ a lateribus tuto a Turcis intorquebantur. Neque ideo a verberatione atque ab urgendo hoſte ceſſabatur, qui, licet ad trecentos redactus, obfirmato animo ſpiritum pro muris effuſurus, ne minimum quidem Budenſis Baſſæ objecto capite perterritus, conſtanti obſtinatione videbatur. Verum vehementi adeo frigoris vi, præter anni rationem (erat enim circa octobris exitum) decidentibus magna copia atque impetu nivibus, cælum obriguit, ut haud parum exercitus læderetur, complures militum ſigna deſererent: Ferdinando obnitente, neque a Caniſii conſpectu, ni oppido potiretur, abduci copias permittente. Eadem præfectorum inſignium mens, quos propinqui ſubſidii ſpes ſuſtentabat, quod Matthiam Archiducem cum Duce Mercurii haud procul abeſſe, Turcarumque copias dimiſſas nuntiaretur. Verum ab Herberſtenio, qui cum duobus germanorum peditum millibus in caſtra venerat, Baſſam Viſirum trigin[illegible] bellatorum millia ſecum ducentem, ad Quinque eccleſiarum urbem perveniſſe, Caniſio opem laturum, cognito; ſpe dejectus Ferdinandus, ſolvendam obſidionem ſtatuit: idque perturbate adeo effectum eſt, ut multi paluſtribus aquis hauſti, alii una cum equitibus cæno abſorpti interirent, tormentorum parte voraginibus immerſa. Italorum militum major pars afflicti ac male habiti in patriam per Carnos rediere. His liberaliter a Senatu rebus in itinere neceſſariis ſubventum, pecunia impertita, lembos inſtrui juſſum, ut tuto in Aemiliam atque Picenum veherentur; Serra Senenſi curatore, quem Clemens, ut militibus pontificiis ſtipendia perſolveret, in exercitum miſerat, idem iter tenente: publicæ pietatis Senatui Clemens gratias egit.

Alba Regalis a Mercurii Duce capta.

Cæſareani Caniſii obſidionem deſerunt.

Per eos dies ex nuper initis conjugiis primogeniti Regibus exor-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1601 exorti, Henrico mas, Philippo femina; hæc decimo, ille quinto kal. octobris. Ingenti Galliæ Rex voluptate perfusus, quod in posteris regni stabilimentum cerneret, *natum hominem pronunciavit, cui totus vitæ cursus, labor assiduus futurus esset*, Regibus cunctis, ac Galliæ præcipue id proprium præfatus. Marinus Caballius, Reipublicæ legatus, illico ad Fontem Bellaqueum, quo Regina enixa fuerat, Henrico gratulaturus, se contulit: qui *magnum Reipublicæ amicum natum* affirmans, infantulum argentea cuna sub conopeo aureis liliis intertexto, legato ostendit. Mox per literas perque oratores de suscepta prole Senatum certiorem fecit; cum haud multos post dies Venetias in ordinaria legatione Villierio suffectus Philippus Fraxineus accessit, qui Delphinum Galliæ regno exortum, eximiumque Henrici in Rempublicam animum amplissimis verbis significavit. Villieriusque in Galliam reversurus, complura de Regis in Italos Principes voluntate adjecit: *nuper recenti cum Hispanis pace, oblitum Italiæ qui crederent, vehementer decipi: quamvis enim Salassios non obtineret, complura tamen ei in Italiam itinera ad amicorum subsidia non defutura; in iis duo præsertim, alterum per Delphinatum, quem nuper a Sabaudo Salassiorum vice receperat, ex quo variis convallium semitis aditus pateat; alterum per ferrum ac virtutem, quæ sane vi nulla retardari possit, nonnumquam naturæ quoque ipsi imperitat: hoc etiam iter Theutonicos, Gallos, Carthaginienses ingressos; dum Annibal, aceto ac ferro asperrimis alpium complanatis jugis, viam sibi in hanc provinciam munivit: id porro, reliquis ademptis, numquam assuetæ maximis rebus Henrici* IIII. *virtuti defuturum*. Complura in eamdem sententiam subdit, quibus compertum erat, eo non parum Gallum angi, quod res Italas penitus deseruisse, animoque illius provinciæ memoriam excidisse, in qua majores sui amplum imperium obtinuerant, Itali Principes existimarent. Villierius de more a Senatu donatus; literæ, quibus ortum filium gratulabatur, ad Regem datæ; ut idem officii genus præstaret, Caballio mandatum. Philippus quoque genitam sibi filiam Senatui per Verrium significavit; perque literas illi ac per Superantium legatum gratulatio est habita.

Henrici Gallorum, & Philippi Hispanorum Regum primogeniti.

Philippus Fraxineus, Gallorum orator ad Venetos.

Inter

1601 Inter varia, quæ hoc anno contigere, de Matthæo Zannio, Venetiarum Patriarcha, Laurentio Priolo suffecto, a Pontifice confirmando, summa animorum contentione actum. Clemens, de doctrina periculum facturum Romam proficisci, antequam confirmaretur, petebat: multis de causis Patres non assentiebantur. Hujusce diffidii, quod biennio fere Senatum fatigavit, si nonnulla perstrinxero, non ab re facturum existimo. Clemens sane neminem in Italia ad episcopatus dignitatem evehi, nisi prius Romam profectus, ingenium doctrinamque se coram experiretur, sanxerat; ad idque Purpuratorum cœtum, aliosque viros scientiarum fama conspicuos instituerat, qui ad eam dignitatem evehendos, vel de rebus theologicis, vel de sacris legibus interrogarent: quicumque egregium doctrinæ specimen præbuisset, ad pontificatus fastigium sublatus, sacris infulis ornabatur. Pium certe ac salubre institutum, hac præsertim perdita tempestate, in qua cuncta jam virtutis præmia ambitio ac favor possident, sæpiusque gratia quam virtute contenditur. Attamen non deerant, qui dicerent, temporum decursu (ut mortalia cuncta degenerant) non digniores, sed qui magis placerent, honoribus sublatum iri, dum repulsa atque electio, non lege, sed arbitrio humanis affectibus obnoxio niteretur. Zannium Romam examinandum proficisci, Clemens Pontifex postulabat. Patres contra efflagitabant, ne veterem consuetudinem immutare, sed de more, Senatus suffragio lectum Antistitem confirmare vellet. At ille durior quam quisquam sibi suaderet, in sententia permanebat: nulla in parte decretum (licet nondum se vulgatum fateretur) immutaturum; necessitate factum, utilitate probatum; si vel minimum ei derogetur, pessimo exemplo cuncta perverti; non in suis ditionibus Philippum Hispaniarum Regem, non alios Principes servari passuros: eo decreto ne tantillum quidem de patronatus, ut ajunt, Reipublicæ jure imminuere velle, neque se ipsa immutatum iri. At contra grave atque acerbum Patribus videbatur, primis urbis cunabulis Venetiarum Antistites eligendi institutum immutari, cum præsertim nulla ad id justa afferri ratio videretur, cum in Senatu a Patribus ætate, rerum usu, ac religione præstantibus electio fieret, qui vitæ integritatem, mores,

Matthæus Zannius, Venetiarum Patriarcha.

Clementis Pontificis & Venetorum cõtroversiæ de Patriarcha probando.

Clementis decretum de probandis Episcopis.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1601 doctrinam civium optime noſſent, viroſque virtutis opinione eximios, tantoque oneri pares Antiſtites nuncuparent. Id inſuper non parum publicæ auctoritati officere videbatur, quod, hujuſce diſquiſitionis prætenſo velo, Antiſtites impoſterum admittendi aut rejiciendi facultatem Pontificis tantum ex arbitrio manaturam, cives autem peramplam dignitatem minime Reipublicæ acceptam laturos, plerique cenſerent: non ſemper apoſtolicum illud ſolium Clementem, excellenti ingenio, ſublimi virtute, egregia in Rempublicam voluntate, inſeſſurum: non in eodem ſtatu humanas res diu conſiſtere; mutari tempora, cuncta viciſſitudine inverti, a parum propenſo ac fortaſſe infenſo in Venetos animo anſam turbandæ pacis arripi poſſe: nil æque periculi in Republica plenum, quam vetera inſtituta conſuetudineſque immutare, eaſque imprimis, quas uſus non coarguerit, ſed perpetuæ utilitatis cauſa in æternum latæ videantur: quid enim poſt tot ſæcula accidiſſe, ut hucuſque ſervatus ordo perverteretur? an non a viris virtute ac ſanctitate eximiis pontificium munus recte adminiſtratum? His dubitatio haud levis addebatur, ne plerique, alioqui oneri pares, ſe ſe ſubducerent, quod exiſtimationem, fortunas, dignitatem unius tantum voluntati permittere nollent; neque æquum cenſerent, e ſchola petitis argumentis, diſputationumque ſubtilitate potius, quam rerum uſu comparata prudentia, magniſque tractandis aſſueta, non in privatis tenebris, ſed in Reipublicæ luce periculum fieri. His atque aliis Senatus cauſam tuebatur.

Pontifex initio nihil moveri, in ſententia perſiſtere, non ratione, non prece flecti; donec, ſeneſcente jam negotio, Patres rogat, ne hoc in Sanctiſſimam Sedem obſequii ac reverentiæ argumentum abnuant; electum Antiſtitem Romam mittant; Reipublicæ meritum ſummis honoribus proſequuturum; de diſquiſitione non amplius verba facere, omnia Senatus cauſa facturum. Patres Senatus conſulto Joannem Mocenicum, legatum, Clementi ſignificare jubent, quo magis magiſque in Sedem Apoſtolicam, atque in ipſum Clementem ſtudium atque obſervantiam Senatus teſtarentur, deſignato Antiſtiti Romam profectionem permiſſuros, ut honoribus, quibus afficere illum ſe velle ajebat, decoraretur. Zannius itaque Ro-

Romam contendit; a Joanne Mocenico, legato, perductus, humaniter ac perhonorifice a Clemente excipitur. Dies ſtatuitur, qua denuo Pontificem adeat. Epulo a Petro Cardinali Aldobrandino exceptus, mox ad Clementem ſiſtitur; nonnulli ex Purpuratis aderant, atque unus vel alter ex iis, qui diſputationibus intereſſe conſueverant: a nemine interrogatum paucis Clemens affatur; de iis, quæ ad epiſcopale munus pertinent, nonnulla ſciſcitatur; tandem de more confirmat. Præclara honoris argumenta edita; in divi Silveſtri baſilica, in Quirinali monte, magno totius civitatis concurſu ac plauſu, a Pontifice ipſo ſolemni ritu conſecratur, in ejuſdemque ſolio (uti fieri conſuevit) locatur: Pontifex aperto capite, uti minorum Pontificum unus, aſtat; explectis ſacris, Zannius Patriarcha populo benedictionem impertitur. Maxime intimi Clementis Purpurati cæremoniis interfuere, Aldobrandinus, Cyntius, Decius, Marcellus. Feſto omnium Sanctorum die inter quatuor pontificiis ſacris adſiſtere ſolitos, honoris ergo adnumeratur; una cum Alexandrino Patriarcha amictus, Pontifici Syrma, qui ſummus habetur honos, defert. De his a Senatu gratiæ Clementi actæ. 1601 *Matthæus Zannius a Senatu permittente, Romam contendit.*

Zannius honoribus cumulatus in patriam conceſſit, atque in eccleſia adminiſtranda ita ſe geſſit, ut priſcos illos patres vel vitæ ſanctitate vel morum ſuavitate ac clementia æmulari viſus ſit; cum præſertim eo tempore non longinqua modo, ſed propinqua maxima exempla in præclaro loco poſita intueri liceret: Caroli nempe Borromæi, Cardinalis, a cujus obitu quindecim ante annis virtutis ac ſanctitatis admiranda multa certaque probatiſſimorum teſtium fide clariſſima argumenta Deus Optimus Maximus exhibuit; cum plerique, qui variis afflicti ægritudinibus ad ejus patrocinium confugerent, ſepulcrum viſerent, ſtupente tota Mediolani civitate, depoſitas vires, valetudinemque amiſſam reciperent. Quæ cum ea civitas ad Clementem perferri curaſſet, maturequc ac prudenter ab eo expenſa fuiſſent, *Beatum* illum appellans, Cæſari Baronio, Cardinali, præcipit, Mediolanum rediberet, ne poſt hac teri humanis veſtigiis beati viri ſepulcrum Mediolanenſes ſinerent: venerationis ergo locum, quo cor- *Caroli Borromæi ſanctitas.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1601 pus conditum fuerat, periſtromate cooperirent; ejus anniverſario die lugubria ſolemnia pro defunctis minime celebrarentur; verum, pullo amictu in album mutato, ſtatis Confeſſorum diebus fieri ſolita miſſarum ſolemnia de more peragerentur: uti Caroli cognatorum, magiſtratuum, totiuſque confluentis urbis interventu effectum eſt. Ejus rei uberrimas Senatus Mediolanenſis Patribus literas miſit, Carolique Boromæi, Cardinalis, in Rempublicam benevolentiam ac ſtudium commemoravit.

M. DC. II.

1602 JAm triennium ille, quem Sebaſtianum Luſitaniæ Regem ementitum fuiſſe diximus, carcere detinebatur: nulla enim re magis audacia ac præfracta viri frons coerceri poſſe videbatur, cum volubilitate gentis in Luſitania ii aſſurgerent tumultus, ut novandarum rerum cupidi, duces nacti, ingentes motus res eruptura fuiſſet. Luſitani etenim extorres, Galliarum Regem, Anglam, Batavoſque ſolicitabant: ab Henrico duo bellatorum millia, Principum vel procerum Galliæ auſpiciis decertaturi, poſtulabant, armaque occulte per Luſitaniam diſpergerent, efflagitabant; primo quoque ſtrepitu incolas inſurrecturos jactitabant: ab Eliſabetha, ac Batavis pecuniam annonamque ſibi affatim ſuffectura pollicebantur; quia Principes Philippo infenſi occaſionem omnem, qua res Hiſpanica turbari poſſet, arripere non verebantur. Verum Henricus, ut tandem id mendacium diſcuteretur, per Fraxineum legatum a Patribus petit: de nexo ſententiam ferant, neque diutius errare Luſitanos ſinant. Re ad Senatum delata, Senatus conſulto intra octiduum Venetis omnibus ditionibus abire juſſus; ſi contra faciat, perpetuo triremibus addiceretur. Ille, deraſo capite, mutato, ne agnoſceretur, amictu, in Hetruriam divertit: poſcenti Philippo a Ferdinando Magno Duce traditus, Neapolim perductus, ad tranſtra ablegatur. Ibi faſſum ferunt, ſe ex Siciliæ civitate Taberna ortum, Marci Tullai Caſiozonii nomen ſortitum, atque inde in Hiſpaniam tranſmiſſum fuiſſe. Hic exitus fabulæ ficti Sebaſtiani fuit, 1602
minime miranda res, cum vetera ſæcula repetentibus, eadem ſæpius contigiſſe inveniantur. Andriſcus quidam, ultimæ ſortis homo, Perſei Regis ſe filium ferens, & mutato nomine Philippus vocatus, cum ab urbe Roma, quo illum Demetrius Syriæ Rex ob hoc ipſum mendacium miſerat, clam profugiſſet, multis ad falſam ejus fabulam coeuntibus, contracto exercitu, totam Macedoniam, aut voluntate incolentium, aut armis occupavit. Non defuere qui Alexandrum, qui Neronem ementirentur; compluresque apud græcos latinoſque hiſtoriæ ſcriptores comperies, qui veros principes tam ambiguo deſcrimine ſunt imitati, ut ingentes motus turbaſque variis in regionibus excitarint. Sed quod mirere, non tantum ſpectrum hoc Sebaſtiani plebejos gregarioſque ſui mendacii adſtipulatores, verum eruditos quoque aſſertores habuit, qui, ſcriptis, non uno idiomate editis, inſigne hoc commentum aſtruxere; atque inter ceteros Sampajus Luſitanus argumentis non modo, verum etiam vaticiniis confirmare eſt adnixus. Sed ad inſtitutum regredior.

Reliquis Europæ regionibus quieſcentibus, mars in Batavis tantum atque in Pannonia ſæviebat. Albertus Oſtendam premebat acri obſidione, cum interim Mauritius Naſſovius, Batavorum imperator, Graviam oppidum ad Moſam amnem oppugnat ac deditione potitur; alterniſque modo proſperis modo adverſis eventibus dimicatur. Eodem tempore in Pannonia pari fortuna res geritur. Mercurii Dux, dum in Galliam proficiſcitur, Norimberga exceſſit. Buda a Cæſareanis intercepta, caſtrum præſidiorum conſtantia ac pertinacia defenſum, conceptam in illorum animis ſpem eluſit, reque infecta abſcedere coegit. Qui, ne liber vagandi aditus Turcis eſſet, Peſtum, e Buda regione ſitum oppidum, valido militum præſidio communiunt, irrumpenteſque ſæpius invadunt ac cædunt. Parte alia Sigiſmundus Battoreus, victus ante ac profligatus, in fracto ſpiritu rurſus a Cæſare deficiens, Daciam occupat. In eum Georgius Baſtius, Cæſareanorum ſummus præfectus, mittitur, qui Principem regionis civitatem, Biſtricum, obſeſſam con-

Fraxineus orator a Senatu petit, ut de Sebaſtiano Luſitano ſententiam proferat. Sebaſtianus Luſitanos a Venetis ditionibus ejectus, ab Hetruria Duce Hiſpanis traditur.

Mercurii Ducis obitus.

Sigiſmundus Battoreus a Cæſare deficit.

Georgius Baſtius, Cæſareanarum copiarum imperator, Biſtricam occupat.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1602 concuſſamque, tandem, oppidanis ſeſe dedentibus, obtinet. Battoreus fortunam adverſam obluctantemque ſæpius expertus, victoris ultro voluntati ſe permittit. Ceterum diutino hoc Pannoniæ bello everſæ urbes atque oppida, vaſtati agri, tot hominum clades, immenſa pecuniæ effuſa vis, non modo populos miſerandum in modum afflixerant, ut, funeſtis tantum veſtigiis inſpectis, deſperatione agerentur; verum Principes quoque, urgentium malorum tædio affecti, pacem exoptabant, unum id & ad vires colligendas ſiſtendoſque ſuorum animos neceſſarium rati. Mehemeti præſertim id maxime animo hærebat, ac ſæpius per Baſſam a Franciſco Contareno, Reipublicæ legato, petierat, ut Senatus ſe ſequeſtrum inter Cæſarem atque ipſum adhiberet; tandem bello finis imponeretur, operam interponeret.

Sigiſmundus Battoreus Cæſari ſe permittit.

Eo enim ventum erat, ut toto Turcarum imperio indies novi motus exaudirentur, plebeſque chriſtiana, cujus ingens multitudo Mehementi parebat, novarum rerum ſtudio incenſa, conſilia cœtuſque agitaret. In iis præcipue Epirotæ erant, qui Chriſtianorum ditionibus finitimi, eximere ſeſe intolerando ſervitio cupiebant. Ii ad Senatum duos oratores, Archiepiſcopum Stephanenſem, Epiſcopumque Zappatenſem miſere, qui ſuas calamitates ærumnaſque exponerent, neque diutius præferocis gentis ſuperbiam, avaritiam, libidinem pati poſſe ſignificarent: *Plebem ſtudio libertatis erectam, nil aliud niſi chriſtianorum Principum vexilla expectare; quæ ſi ſemel in eas regiones invecta, conſpecta eſſent, tum omnes certatim a cervicibus jugum turcicæ ſervitutis depulſuros, ſeque in libertatem vindicaturos: eo rerum ſtatu nil vehementius cupere, quam Venetæ Reipublicæ ſuave imperium, cui aliquando majores eorum obtemperaverint, manſuetudinis, juſtitiæ, liberalitatis argumenta tulerint, rurſus experiri; id omnium in votis eſſe, cunctorum pectori hærere. Quapropter Senatum rogare, ut tandem fortunarum afflictæ gentis miſereatur, poſcentibus opem ferat; neve diutius immaniſſimam gentem in iis regionibus dominari patiatur, quæ quondam ſub Venetæ Reipublicæ auſpiciis floruere.* Movit ea oratio haud parum Patrum animos, qui vel armis quæſitam, vel ab amicis acceptam eam provinciam olim

Epirotæ per oratores propenſionem in Venetum imperium ſignificant.

olim commemorabant, quam, cum Ottomanorum Regibus certando, infelici quodam fato amiſerant. Sed non ejuſmodi temporum conditionem rebantur, ut pacem cum potentiſſimo Rege abrumperent; neque plebis ſtudio bella decernenda eſſe exiſtimabant, quæ maris inſtar fluctuum modo attollitur, modo dejicitur, uti ſuperiori cum Selimo bello compertum fuerat. Itaque Senatus decreto reſponſum: *Irent, de propenſa in Rempublicam voluntate ſuis gratias agerent, egregium in eos Senatus animum teſtentur: verum non ejuſmodi tempora eſſe arbitrari, ut temere quidquam moliantur, ne immaturæ libertatis ſpecie capti, in graviora ſervitia ſe præcipitent; ſi benignior eorum votis aura affulſerit, eamdem, quæ erga majores illorum fuerat, in ſe Rempublicam experturos.* Cum hoc reſponſo dimiſſi legati: dona inſuper addita, Stephanenſi quinque, Zappatenſi quatuor auri librarum. 1602

Senatus ad Epirotas reſponſum.

Neque vero minora Turcæ damna mari, quam terra patiebantur. Nam Hieroſolymitani Equites, quorum Melitæ inſula inſuperabile munimentum atque obex barbaris eſt, Mahometam quæ modo dicitur, in Africa oppidum adorti, Turcis fruſtra obluctantibus, expugnarunt. Ex iis duo millia de Cumana porta egreſſi, cædi ſe ſubduxere; quadringenti in captivitatem abducti: direpto oppido atque incenſo, ad triremes præda onuſti, cum captivis, inſpectantibus fruſtra Turcis, qui opem laturi accurrerant, ſeſe recipere. Hoc ipſo tempore in Aegæo atque Ionio ingens piratarum manus: Turcæ immiſti Anglis obvios diripere, in omnes ſævire, navigia intercipere, ut negotiatores perterrefacti jam de deferendis commerciis cogitarent. Neque ad eos coercendos ulla ſatis idonea remedia erant, quod ea labes latiſſimo mari propagata, nullo loco conſiſteret, ſed vaga in omnes partes ſeſe diffunderet. Nihil vero quod ad ea mala avertenda opportunum cenſerent, Patres omittebant, cum præſertim quotidie complures de illatis mercatoribus Venetis, eorumque navibus, injuriis damniſque querelæ renunciarentur, nuper ab Anglis prædonibus omnis navigii captis. Quæ res Senatum impulit, ut Joannem Carolum Scaramellium, ſcribam, ad Eliſabetham Angliæ Reginam mitteret, qui, ut ablata re-

Mahometa a Melitenſibus capta.

Mercatorum ob piratarum incurſiones conſternatio.

Joannes Carolus Scaramellius in Angliam a Senatu mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1602 reſtituerentur poſceret, hiſque impoſterum incommodis obviam iri, tantorum facinorum ſontes ſeveris coerceri pœnis, flagitaret.

Bironii perduellionis crimen detegitur.

Dum hæc fiunt, in Gallia equitum tribuni Bironii ingens facinus, in Regemque ipſum conjuratio detegitur, Finæo ejus arcanorum conſcio, vel facti pœnitente, vel pœnæ timore, aut præmiorum ſpe, nefaria ejus conſilia, tacitos congreſſus, pactaſque cum hoſtibus conditiones docente; qui, dum Henricus in Sabaudum pugnaret, fidei beneficiorumque oblitus, cum illo atque Hiſpano ſecreta de regno Galliæ invadendo conſilia inierat. Ejus rei, licet indicium ſummo ſilentio premeretur, nonnihil ad Bironium emanarat. At Rex potius aſtu quam vi eum in poteſtatem habere cupiens, crebris nunciis ad aulam vocat. Ille, comitiis Burgundiæ diſtineri, tranſitum Hiſpanorum in Belgium per Seguſianos cauſari. Henricus ex familiaribus ſuis hominem, qui metum adimat, mittit: eodem animo, quo ſemper extiterit, in eum eſſe; quæ de Finæo dicantur, inania putet. Janini præſidis, Carnutenſiſque prodomini adventu incitatus, hæſitans nutanſque, tandem ad Bellaqueum Fontem, ubi Rex erat, pervenit. Henricus rumores de eo ad ſe delatos ſignificat, fatenti exiſtimationem, dignitatem, vitæ incolumitatem ſpondet; ſi ſecus faciat, nullum veniæ locum fore. Ille neque precibus neque minis commotus, inſontem ſe eſſe conſtanter affirmat; quod fides in dubium vocetur, quam toties cruore dimicans ſanxerit, vehementer angi. Verumtamen anxius animo fugam meditari, ſi excutere ſe ex caſſide poſſit, circumſpectare: ſed tandem viri audax animus, ingentibus in Henricum meritis ſubnixus, metum diſcutit; regium triclinium ingreſſus, cum Regina ludi aleam in provectam uſque noctem experitur. Fine aleæ juſſu Regis impoſito, reliquis dimiſſis, Pralio ac Vitrio, ut Bironium Arveniæque comitem comprehendant, jubet. Re ſtatim confecta, Lutetiam ambo in Antonianam arcem deducuntur. Senatui Pariſienſi, utpote qui patriciatus ſumma dignitate paulo ante decoratus fuerat, Bironius judicandus permittitur. Negotio agitato, omnium ſententiis & calculis, capitis damnatur. Rex publica ignominiæ nota ademptum, ac ne in Graviæ foro, ſontibus ſupremo ſupplicio

cio afficiendis deſtinato loco, pœnas lueret, in arce Antoniana capite plecti juſſit. Hic exitus Bironii fuit, qui regni & vindex ac proditor merito dici poteſt. Puer matris hæreticæ ſinu avulſus, catholicæ erudiendus traditus; verum ingenium ad alia omnia ruvidum, ægre legendi elementa addiſcere potuit. Pater, ſummus Valeſiis Regibus caſtrorum præfectus, militiæ devovit; tironem agere inter gregarios milites voluit; per gradus ad ſummum militiæ faſtigium ſublatus, e ſignifero peditum cohortis, equeſtris turmæ dux effectus; maris præfecturam inde adeptus; hipparchus demum, ſive ut vocant, *Mareſcallus* evaſit; atque eo amplitudinis pervenit, ut is potiſſimum hoc ipſo nomine deſignaretur. Adeo bello civili Gallico inclaruit, ut uni quandoque Rex ſervatam patriam acceptumque regnum retulerit; ingentibuſque ſublatum laudibus dignitatibuſque decoraverit. Henricus de Bironii conjuratione deque in illum lata ſententia per Fraxineum legatum Patres certiores facit. Regi Senatus nomine Marinus Caballius eſt gratulatus, quod nefarii hominis conſilia conatuſque detexiſſet, quod Dei Optimi Maximi eximia providentia ſummis periculis non ſemel ereptus, præcipuam divini numinis curam in ſe patrociniumque expertus eſſet. 1602

Henricus Rex denuo cum Helvetiis fœdus init.

Eodem fere tempore Henricus Helvetiorum omnes pagos ſibi, fœdere renovato, certis conditionibus obſtrinxit; eoque de fœdere per eumdem Fraxineum Patres docuit: non minus ad Galliæ firmamentum, quam ad amicorum præſidium, ſibi præpotentem armis gentem majorum exemplo adjunxiſſe; Reipublicæ, quam inter præcipuos amicos connumeraret, ſi occaſio interceſſiſſet, auxilio una cum ſui regni opibus futurum. Verum de Rhætorum ſocietate negotium denuo agitari cœptum; eam enim imprimis uſui Reipublicæ fore Patres exiſtimabant, quo aditus ad externum militem in ſuos fines evocandum pateret. Eodem anno, ut majori præſidio res militaris firmaretur, Ferdinando Rubeo Parmenſi, tormentorum præfectura, qui maximus habetur honos, tribus aureorum millibus in ſingulos annos conſtitutis, eſt tributa, viro cum propria tum majorum virtute atque in Rempublicam obſervantia conſpicuo, ac militiæ imprimis

Ferdinandus Rubeus, tormentorum præfectus a Senatu dictus.

pro-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1602 probato, rebus in Pannonia geſtis, & præſertim Jaurini propugnatione claro, ex cujus majoribus Petrus in Reipublicæ exercitu, dum Monſilicis arx in Marſilii Carrarienſis gratiam obſideretur, ſuperioribus tempeſtatibus occubuerat. Eodem anno cum paſſim fana, templa, collegiorum domicilia, inconſulto non modo, verum etiam inſcio Senatu, paſſim excitarentur, idque non modo veteribus religioſorum familiis damno verteret, ſed publico quoque urbium oppidorumque vel ſecuritati vel decori officeret; lex ſancita eſt, qua nihil ejuſmodi, niſi Senatus permiſſu, fieri in omnibus imperii Veneti ditionibus vetabatur, facultas quatuor ex quinque Senatus partibus ſuffragantibus obtineretur. Ex ea poſtea lege diſſidia inter Pontificem ac Rempublicam exorta, de quibus infra ſuo loco dicendum erit.

Lex de templis & collegiorum domiciliis ſine Senatus permiſſu non ædificandis.

Sub id quoque tempus Aguſtani Epidauriorum jugum excutere adnixi, Venetorum imperium ſummis votis poſcebant. Eſt Epidauricæ ditionis parva quædam inſula, ſcopulum potius dixeris, triginta paſſuum millium ambitu a Corcyra nigra, hodie *Curzolam* vocant, quæ Venetis obtemperat, parum diſtans; vini, lignorum ferax; frumentum in incolarum uſum (qui mille circiter numero ibi degunt, inter quos trecenti ad arma gerenda idonei cenſentur) non ſuppetit; piſcatione victum quærunt. Non civitas, non locus in ea inſignis, arcem tantummodo, vel potius turrim in monte ſitam obtinent, quo homines atque jumenta cum opus fuerit ſeſe recipiunt. Portus valde opportunos habet, inter eos Marzaram vocatum, ad claſſem quantumvis ingentem excipiendam idoneum. Olim Epidauriorum imperium certis legibus accepere, ut nempe eorum libertatem, jura, immunitateſque tuerentur. Magiſtratum comitis titulo mittunt; binos ex incolis ei judices adlegunt, ut in quibuſdam in Illyrico Venetorum civitatibus fieri conſuevit. Aguſtani igitur grave ac prædurum Epidauriorum imperium peroſi, vel temperata regendi forma, vel noſtrorum trierarchorum conſuetudine, qui frequenter ad eos commeant, vel finium propinquitate, in Venetum nomen propenſi; de ſubeundo Reipublicæ imperio conſilia agitabant. Itaque Joannem Jurinovichium, Verbaſca Venetæ ditionis oppido ortum, Auguſtæ degentem,

Aguſtæ inſulæ deſcriptio.

Joannes Jurinovichius, Aguſtanorum ad Paſchalicum legatus.

tem, mittunt; qui ſecreto Pharon profectus, Paſchalico 1602
legato incolarum voluntatem deferat: ni ibi inveniat, cum Phari magiſtratu colloquio habito, ut ejus rei nuntium ad legatum mittat: cum triremibus Aguſtam accedat, ſignificet; ſtatim, Epidaurii magiſtratu pulſo, Reipublicæ legatum intromiſſuros, Venetaque vexilla erecturos. His de rebus certior Paſchalicus factus, ad Senatum ſcribit: quanti momenti vel ſitu, vel opportunitate parva ea inſula ſit, oſtendit; quam Reipublicæ interſit, ſi neglecti in aliorum Principum poteſtatem concedant: quæ Senatus ſententia ac voluntas ſit, exquirit. Nonnihil in ſe utilitatis continere Aguſtanorum deditio videbatur; neque ab æquitate abhorrere, ut miſerrima ſervitute preſſi, atque Reipublicæ perfugium poſcentes, in clientelam reciperentur. Attamen nemo ex præconſultoribus extitit, qui recipiendam Aguſtam cenſeret: *Minime juſtum videri, ut finitimorum ditiones corripiantur: id & Venetis inſuetum, & majorum inſtitutis adverſum, qui vel pro ſuarum rerum defenſione, vel ad propulſandas injurias bella ſuſceperint: neque injuriam ab Epidauriis illatam fuiſſe, neque contumaces tuendi æquam cauſam arbitrari: tum inſulam exiguam, neque incolarum numero, neque divitiis, neque ubertate ejuſmodi eſſe, ut, ſi utilitate res metiatur, allicere debeat, cum præſertim noſtri portubus, ac inſula utantur; rem tanti non eſſe, ut aliorum invidia in Rempublicam excitetur, in Hiſpaniarum Regis tutela Epidaurios conquieſcere, belli turcici ſuperiori tempeſtate Pontificem eorum patrocinium ſuſcepiſſe: tandem Turcarum Regis beneficiarios eſſe; multiſque ab hinc annis ejus auſpiciis umbram aliquam Reipublicæ ac libertatis retinere.* Itaque Senatus conſulta datæ ad legatum literæ; Aguſtanorum homini Reipublicæ propenſum in incolas animum ſignificet: id & alias ſæpe præfeciſſe, atque impoſterum oſtenſuram haud ægre in eamdem populi voluntatis gratias agat, ut Epidauricæ reipublicæ imperium æquo animo patiantur, horretur, donec feliciora eorum votis tempora contingant.

Senatus decretum de Aguſtanis non recipiendis.

Interea aliæ a legato literæ ſupervenium; adhuc tumultuantes Aguſtanos ad ſe Paſchalem, Antonii filium, Ma-

Aguſtani alios oratores ad Paſchalicum mittunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1602 Marinum, divi Antonii præpoſitum, in quorum comitatu duo ac triginta viri erant, ad ſe legaſſe: incolarum nomine ſupplices petitum, ut illico eo ſe conferens, ſub imperio Reipublicæ reciperet: adeo in illos ab Epidauriis ſævitum, ut intoleranda quæque pati cogantur: immotum eis ſedere, ſtatim, jugo excuſſo, Veneta vexilla extollere: anno enim M. CCC. X. ſponte certis quibuſdam conditionibus Epidauriorum imperium ſubiiſſe: illos, jurejurando neglecto, pactis non ſtetiſſe: quinque viros electos, qui arctioribus vinculis compedibuſque adſtringerent: claves arcis, quæ apud eos ſervari aſſueverant, comiti per vim traditas: judices amotos, juris dicendi facultatem eorum tantum magiſtratui permiſſam: ob hæc jure ab eis deſciſcere poſſe arbitrari: ſi a legato excipiantur, opes, filios, vitam Reipublicæ delaturos; ſin ſecus faciendum exiſtimet, a cervicibus prægravi pondere abjecto, vel Pontifici vel Hiſpaniarum Regi ſe dedituros: coactoque illius gentis concilio, ad ducentos ſeptuagintaquinque Venetorum imperium ſubituros, ſolemni ſe ſacramento devinxiſſe ferebant. Paſchalicus homines in quodvis audendum proclinatos, ac deſperatione adactos, ne præcipites non abſque Reipublicæ detrimento ruerent, apud ſe detinere ſtatuit, ſtatimque Senatui, quo loco res eſſent, ſignificavit.

Aguſtani magiſtratus ad Paſcalicum literæ.

Interea cum Aguſtæ magiſtratus a plebe legatos ad Paſchalicum miſſos cognoviſſet, ad eum literas a ſe ſubſcriptas, atque judicum ſigillo obſignatas mittit: ſceleratos homines ad eum ab Aguſta acceſſiſſe, qui inter Venetos atque Epidaurios diſſidia ſererent: multa illi promiſſuros, ad præſtanda non vires, non auctoritatem habituros: itaque minime eis fidem habeat, in amicitia cum Epidaurica republica perſtet, comprehendique homines jubeat. Suſpectæ literæ erant, multiſque comperiebatur, invitis judicibus, qui minime ſe ſubſcripſerant, eorum ſigillo ex reſerata capſula, in qua adſervari conſueverat, amoto, datas fuiſſe. Dum Paſchalicus Aguſtanos apud ſe detinet, atque ad Senatum ſcribit, Pharo nuntiatur, Epidaurios biremibus aliquot ac celocibus, explicatis vexillis, ad Aguſtam ſe contuliſſe: exſcenſione facta, caſtellum quo incolæ ſeſe receperant, continenti tormento-

Epidaurii armis Aguſtanos ſubigere nituntur.

rum

rum verberatione per diem quaſſaſſe, & adhuc propugnatores intrepide ſe tueri. Eo nuntio commotus, quod tantum auſos Epidaurios cognoviſſet, ut armatis navigiis, abſque ejus permiſſu in Adriaticum exiiſſent, ſtatim eo ſe conferre decrevit, auctoritate ac præſentia ratus fore, ut a cœptis deſiſterent, atque interim, quæ mens publica ſit, intelligere poſſet. Perlectis in Senatu Paſchalici literis, in eadem ſententia, minime Aguſtanos recipiendos eſſe, Patres perſtitere; ſatius atque æquius arbitrati, ut, ſi qua inveniri poſſet, eorum cum Epidauriis conciliandi ratio iniretur. Itaque legato præceptum, ut Aguſtanos homines, quos apud ſe habeat, ſolatus, eorum incolumitati perſpecturum Senatum affirmet: interim ſibi perſuadeant, hoc rerum ſtatu nihil eis tutius fore, quam ſi in gratiam cum Epidauriis redeant; in id omnem operam, ſtudium, auctoritatem adhibiturum, atque ut ſatis iis fiat, curaturum polliceatur: aliquem vero ex ſuis Epidaurum mittat, vel (ſi ita ſibi videatur) ipſe cum duabus triremibus in Sanctæ Crucis portum profectus, ſignificet, moleſte tuliſſe, quod adverſus edictum armato navigio in Adriatici ſinus loca penetraſſent; quod, publica quiete perturbata, arma in ditionum Reipublicæ viſceribus tractaſſent: Senatus nomine hortetur, quæ juſta ſint, in Aguſtanos decernant; æquis gentis poſtulatis ſatisfaciant; non ſine eorum gravi periculo exortos tumultus comprimi quamprimum curent; eo loco res eſſe, ut ni cito caveant, gravia pericula ſubituri videantur: de re communi, de privato eorum commodo agi: ne diutius efferri eos motus ſinant, aliquid Reipublicæ tribuant, ſibique ipſis recte conſulant. Hæc ſumma literarum erat. Verum de eventu dum Patres ſoliciti, quid juſſus Paſchalicus effecerit, expectant, aliæ ab eo literæ perferuntur: diſceſſum paranti renuntiatum fuiſſe, primo Epidauriorum appulſu Aguſtanos ad portum deſcendiſſe, arcis claves detuliſſe, treſque ad eos legatos miſiſſe. At dum trineri ſe committit, ut rerum exitus e propinquo ſpectetur, tres ad eum oratores ab Epidauriis accedunt: cum armatis navigiis in ſinum Adriaticum egreſſum excuſant, quæque egerint, neceſſitate compulſos ad rebelles obterendos egiſſe teſtantur. Eos legatus gravibus allocutus verbis, quod adverſus

Senatus mandata ad Paſchalicum legatum.

Epidauriorum oratores ad Paſchalicum.

jus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2013)

1602 jus ac consuetudinem armati mare Adriaticum navigassent, acriter monitos dimittit. Ita Agustanorum tumultus hoc anno compressi sunt.

M. DC. III.

1603 INterea Joannes Carolus Scaramella cum in Angliam perveniſſet, Eliſabetham adit, mandata Senatus exponit: Anglos prædones maria infesta reddere, Veneta navigia capere, diripere, in negotiatores crudelitatis atque avaritiæ omnia argumenta edere: ea invita atque inscia fieri Senatum arbitrari: quid enim a potentissima atque amica Regina magis alienum, quam jura gentium turbari, navigationem intercludi, nullo discrimine innoxios ac fontes haberi? ad ea mala avertenda nihil Patribus opportunius visum, quam in Angliam mittere, qui de iis certiorem illam faceret, proque veteri cum Venetis amicitia, tot tantisque incommodis obviam iri, ablata restitui, reos plecti, ne imposterum hujuscemodi accidant, caveri postularet. Eliſabetha, quæ semper propenso in Venetos animo fuerat, quod post tot exactos annos renovandæ amicitiæ causa Senatus suum in Angliam a secretis miserit, gratias agit; quæcumque a se proficiſci possint, libenter Reipublicæ causa facturam, neque quidquam, quo ei gratificetur, prætermissuram pollicetur: negotium Præconsultoribus committitur. Dum hæc fiunt, pridie nonas aprilis Eliſabetha, cum quatuor ac quadraginta annos Angliæ imperitasset, ab humanis excessit; mulier certe, si religionem demas, toto terrarum orbe cunctis sæculis memorabilis; ex Anna Bolenia & Henrico octavo anno M. D. XXXIII. orta, quam ille, Maria, ex Catharina, Ferdinandi Hiſpaniarum Regis filia, suscepta, prætermissa, regni heredem pronunciavit. At mox, Anna securi percussa, Joannæ Semeriæ junctus Edoardum protulit, qui novem natus annos Henrico succeſſit, septenniumque, cum nondum per ætatem posset, per administros imperavit. Eo sublato, Maria, a Patre licet abdicata, utpote quæ natu major ex justis nuptiis genita esset, Janna Suffolcia regni æmula supplicio affecta, Angliæ gubernacula suscepit; veterem religionem labefactatam ac pene convulsam re-

Eliſabethæ Angliæ Reginæ obitus.

restituit; Philippoque, Cæsaris Caroli V. filio, Anglis ægre 1603
ferentibus, nupsit. Eliſabetham vero affectati regni, concitatique tumultus suspectam, cum Maria evelli penitus atque tolli e vita tutius existimaret, Philippus auctor atque precator neci eripuit: custodiæ per quinquennium, quo soror regnavit, mancipata est. At ineluctabili morbo oppressa, cum supremum sibi Maria diem instare intelligeret, regni heredem appellavit, catholicamque illi religionem commendavit. Regium diadema, Maria defuncta, Eliſabetha suscepit. Catholico ritu inuncta ac inaugurata, avitæ religionis cultum jurejurando servaturam pollicita, mox sensim priscis se subducere ritibus, novaque moliri in religione cœpit; ac tandem publicis regni comitiis divinarum æque ac humanarum rerum summum sibi imperium arrogavit, Caputque Anglicanæ eccleſiæ dici voluit, edicto vulgato in eos, qui imposterum catholico ritu sacra peragerent, aut iis interessent; Antistitum tantum titulis una cum thiaris infuliſque retentis, neque ad concentus harmonicos tubarum seu fistularum symphoniis, quæ *organa* vocantur, repudiatis. Quapropter Pius quintus excommunicationis in illam spiculum intorsit. Conjugii expers esse voluit, regiis procis, qui id summis votis ambituque expetiverant, illusis; non minus pacis quam belli artibus præstans, multarum linguarum sciens, in motibus civilibus comprimendis solers, in perduelles acerrima. Mariam Stuardam, propinquam, ex Scotorum rebellium custodia profugam, ad seque confugientem, diutino carcere affectam interemit. In Hiſpanorum gentem odio implacabili, in Philippum secundum atrox, cum quo continenter, modo illatis modo acceptis cladibus, dimicavit: atque inde ea virium, ac præsertim maritimarum Anglis potentia succrevit, ut qui paucis ante annis penitus navalium rerum ignari extiterant, ii, classibus egregie instructis, oceanum percurrerent, usque in Adriaticum penetrarent, Indicis exuviis onusti triumpharent, ac tandem ad se totius fere orbis commercia attrahere velle viderentur.

Cum vero nullus Eliſabethæ certus heres extaret, ominosaque percunctatione de successore eligendo fatigaretur, equestris ordinis, quem vulgo *Garterium* vocant, ad

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1603 Jacobum Scotiæ Regem miſſis inſignibus, qui poſt illam in Anglia imperaturus eſſet, haud obſcure ſignificavit. Ferunt Comitis Eſſexii, ejus juſſu interfecti, ulcus intimis medullis excepiſſe, ut paulatim animi mœrore contabeſcens morbum contraxerit, alvique cruciatibus conflictata, dyſenteria interierit. Priuſquam decumberet, Roberto Sicilio obſignatæ ab ea literæ traduntur, quæ in publicis comitiis, ea defuncta, perlegantur. Iis Jacobus ſextus, Scotiæ Rex, ex Margareta, Henrici octavi ſorore ortus, heres Rexque nuncupabatur. Perlectis, ſtatim Britanniæ Rex Jacobus proclamatur. Proceres ſe ſe illi juramento obſtringunt, ſi qui ſanctioni obſtarent; pro hoſtibus habituros confirmant: citatis equis curſorem in Scotiam mittunt. Is ſilente nocte Edimburgum (quæ regia eſt civitas) pervenit, lætum nuntium affert. Jacobus ſtatim exiliens, ſummas uti debebat Deo gratias agit, quippe qui conſiliorum Anglæ de ſucceſſione regni ſemper anceps fuerat. Ita ex Caledonia, nunc Scotia vocata, effera potius gente, & ad labores durata, quam divitiis, cenſu, agrique ubertate conſpicua, ad Angliæ opulentiſſimum regnum Jacobus evectus, inter præcipuos Europæ Reges adnumeratus eſt. In Angliam profectus, in veteri Carthuſianorum cœnobio, & paulo poſt in Londinenſi turri Annæ, Daniæ Regis filiæ conjugis, atque Henrici primogeniti, Waliæ Principis, adventum expectans, dies aliquot priſco inſtituto commoratus, inde ſummo populi plauſu, incredibili pompæ apparatu Londinum ingreſſus, poſtridie una cum uxore inauguratur; ſacroque chriſmate delibutus (adhuc enim catholicum vetuſque inſtitutum retinent) Britanniæ regni gubernacula ſumma felicitate ac tranquillitate ſuſcepit.

Jacobus VI. Scotiæ Rex ab Eliſabetha Angliæ regni heres nuncupatur.

Jacobus Rex Londini excipitur & Anglici regni gubernacula ſuſcipit.

De regno adito ſtatim Reges ac Principes Jacobus certiores facit; humanitatis ac benevolentiæ refertas literas ad Senatum mittit. Joannes Carolus Scaramella Reipublicæ nomine apud eum morari, donec legatio mitteretur, juſſus eſt. Interim literæ, quibus ampliſſimi ac potentiſſimi regni acceſſionem Senatus gratulabatur, ad eum mittuntur, ſtatimque ut in Angliam legatus mitteretur, latum. Petro Duodo equiti omnium Patrum ſuffragiis munus delatum. Mox qui continua legatione fungeretur, Nicolaus Molinus lectus. Com-

Petrus Duodus extra ordinem, Nicolaus Molinus ordinarius in Angliam legati.

plura

plura de novi Regis ingenio, moribus, doctrina, virtute ferebantur. Sed duo potiſſimum ſuſpenſas cunctorum mentes detinebant; alterum an Eliſabethæ cum Hiſpanis perpetua bella proſequeretur; alterum quid de religione decerneret, Angliæ Catholicis in magnam ſpem erectis, fore, ut qui nunquam ſe prorſus alienum a veteribus inſtitutis patefecerat, ſaltem libere catholicam religionem ſubjectos profiteri pateretur. Quapropter ſupplices illi libellos obtulerant. Neque Clemens Pontifex Maximus deſperandum arbitrabatur, quin lenitate ac dexteritate ad priſcos ritus amplexandos traduceretur. Quapropter, proficiſcentibus in Angliam Reipublicæ legatis, a Senatu præcipi petierat, ut, quæcumque ad religionem catholicam vel ſarciendam vel amplificandam attinerent, ea omnia, ſi ſe occaſio ferret, apud Regem curarent: idque ampliſſimis verbis, ut ſumma prudentia ingeniique dexteritate efficerent, mandatum. Hic vero Clementis literas Marino Grimano Duci inſcriptas, Senatuſque reſponſum attexere libuit. 1603

Senatus mandata ad Duodum, & Molinum de catholica religione amplificanda.

Dilecte fili Nobilis Vir. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Magna in ſpe ſumus, divinæ imprimis miſericordiæ freti abundantia, ſub hoc novo Angliæ Rege res fidei catholicæ meliori multo loco futuras, eumque ſe mitem & benignum præbiturum Catholicis, qui in ejus regnis ſunt, ut tandem aliquando quietam vitam agere eis liceat, quod ſane pro Dei gloria & multarum animarum ſalute, proque noſtro paſtorali munere ardenter concupimus. Cum autem intelligamus, ad rem tam ſalutarem, Dei adjuvante gratia, efficiendam opportunis officiis opus eſſe, quæ prudenter & lenitor adhibita regium animum promoveant, in quo certe plurimum momenti habituram merito exiſtimamus operam & auctoritatem Nobilitatis tuæ & iſtius Clariſſimæ Reipublicæ, cum ad eundem Regem oratores miſeritis, ut vos brevi facturos audimus: nobis vero ita perſuaſum eſt, catholicæ religionis negotium, & Catholicorum in regnis illis tranquillitatem vobis, ut par eſt, cordi fore quam maxime: quare mandavimus Venerabili fratri noſtro, Epiſcopo Malfictenſi, noſtro apud vos Apoſtolico Nuntio, ut hac de re noſtris verbis cum tua Nobili-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1603 *tate & Senatu iſto accurate agat. A te igitur petimus, ut de more fidem illi cumulatam habeas, perinde ac ſi nos ipſi præſentes tecum loqueremur, qui hanc fidei & religionis cauſam pio & Catholico Principe dignam Nobilitati tuæ quam diligentiſſime commendamus.*

Datum Romæ, apud ſanctos Apoſtolos ſub annulo Piſcatoris, die VII. junii M. DC. III. Anno pontificatus noſtri duodecimo.

Voluptatem non mediocrem, Beatiſſime Pater, cepimus, literis Sanctitatis tuæ nobis a viro prudentiſſimo Offredo, Epiſcopo Malfictenſi, ejus apud nos Nuntio, redditis ac perlectis, cum ex eis intellexerimus id, quod ſane vehementer optabamus, eam præcipue Sanctitatis Veſtræ curam eſſe, ut ſub hoc novo Angliæ Rege catholicæ religionis apud illum & illi ſubjectos augeatur deſiderium & cultus, animarumque ibi degentium ſaluti quocumque fieri poſſit modo conſulatur. Cumque Sanctitas Veſtra noſtram etiam operam apud eum Regem huic rei non dubitet profuturam, pro comperto eam habere percupimus, nos cuicumque occaſioni, unde piæ hujuſmodi ejus voluntati a nobis ſatisfiat, pro ſumma noſtra erga Sanctitatem Veſtram ac Sanctiſſimam Sedem Apoſtolicam obſervantia & pietate, opportunis officiis non eſſe defuturos: qua de re & Sanctitatem Veſtram per noſtrum apud eam oratorem certiorem fieri dedimus ei in mandatis. Quod reliquum eſt, Deum Optimum Maximum deprecamur, ut ea in re Sanctitati Veſtræ quam maxime faveat, ipſamque ad chriſtianæ reipublicæ commodum diu feliciter ſervet incolumen.

Antonius Stardenus Jacobi Regis ad Senatum literas defert.

Interea Regis nomine Antonius Stardenus, eques, Venetias a duobus continentis Sapientibus ad Principis Patrumque Collegium deductus, inſignis humanitatis atque officii regias literas dedit: quibus & Britanniæ ſucceſſionem ſignificabat, & ſuam Reipublicæ amicitiam pollicebatur: quas gravi atque accurato ſermone Stardenus ſubſequutus, nihil, quod ad egregiam potentiſſimi Principis in Venetos voluntatem patefaciendam pertineret, omiſit. Duodus vero ac Molinus cum in Angliam perveniſſent, ſummis honoribus excepti, Tameſo amne regiiſque cymbis devecti, Londinum, in quo teterrima lues, quæ multos mortales abſumpſerat, jam miteſcente cælo, reſtingui cœperat, ingreſſi, effu-

effuſa undique ac conferta per vias ac compita multitudine, 1603
ad regiam aulam deducuntur, Rege ipſo ac conjuge ex eminentiori ſpecula populi frequentiam legationiſque ſplendorem ſpectantibus, dum multi adhuc veteris cum Anglis Reipublicæ amicitiæ memores, jamdiu intermiſſum, renovatum modo legationis munus lætis animis inſpicerent. Regem procerum corona circumſeptum adeunt; qui e ſolio, quod ſub conopeo erat, exurgens, aliquantoque progreſſus, legatos perbenigne amplectitur, aperto capite Duodum legationem exponentem audit. Is ampliſſimum regnum Angliæ delatum Senatus nomine gratulatur; eximium in illum Reipublicæ animum ſignificat; complura quæ ad conciliandam Jacobi voluntatem ſpectant, addit. Nihil in Rege, Gallico idiomate utente, vel ad reſpondendum humanitatis, vel decoris dignitatiſque in Rempublicam deſiderari potuit. Duodus dies aliquot Londini commoratus, Molino, altero legato, in Anglia relicto, muneribus regiis ornatus, virtutis, prudentiæ, atque liberalitatis fama inſignis, in patriam revertitur: nam inter cetera Henricum, Walliæ Principem, egregiæ indolis incredibiliſque ſpei adoleſcentem, Regis filium, exquiſito ac percelebri convivio excepit: quod cum pater cognoviſſet, inter medias epulas lætabundus eo ſe contulit, nihilque, quod ad patefaciendam vel in Venetos vel in Duodum ipſum legatum benignitatem ac benevolentiam, proficiſci poſſet, prætermiſit. Hæc in Anglia.

Auſtani Epidaurios ejiciunt, Venetorum ſigna extollunt.

Verum Aguſtanorum tumultus, qui jam pacati ac reſtincti videbantur, denuo recruduere. Nam anni initio, repente excuſſo Epidauriorum imperio, Venetæ Reipublicæ ſigna extulere; ſtatimque ad urbem, qui ea de re Senatum docerent, miſere. Inexpectatus Patribus nuntius fuit, quippe qui illos potius in Epidauriorum fide permanere, quam novas res moliri optaſſent. Attamen ad eos motus comprimendos literæ ad Bernardum Venerium, ſinus Adriatici præfectum, mittuntur: ſtatim cum triremium manu Aguſtam contendat, arci quadraginta peditum præſidium imponat, ne majores exoriantur tumultus caveat, deque earum rerum ſtatu Senatum doceat. Ne vero ex parva ac tenui ſcintilla ingens incendium in Adriatico ſinu erumperet, cuncta potius conſilio & prudentia quam vi agenda Patres exiſtimabant, Epidau-

Senatus mandata de Auſtanis ad Bernardum Venerium.

V rioſ-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1603 rioſque, qui in Aguſtanos omnia tentaturi videbantur, vel mulcendos vel leviter coercendos cenſebant, cum ira æſtuantes, per eos fere dies duos ſacratos viros, Aguſtanorum conſilii participes & conſcios, interfeciſſent; atque ob id a Pontifice Maximo cœtu fidelium amoti, ægre certis conditionibus veniam impetraſſent: iniquum vero eſſe, ut ii, qui ad Rempublicam confugerant, atque ſponte in ejus ſe tutelam dederant, aliorum libidini ac crudelitati permitterentur. At Epidaurii cum primum ab Aguſtanis Reipublicæ vexilla ſublata, ſinus præfectum eo illatum, præſidium arci impoſitum cognoviſſent, Stephanum Beneſſam, oratorem, Venetias mittunt. Is togatus, ut mos eſt illius reipublicæ, Collegium ingreſſus, prolixo ſermone Aguſtanorum inſolentiam, pervicaciam conqueritur: *Nullis flecti officiis, nullis mitigari beneficiis potuiſſe, quin tandem in patentem rebellionem eruperint, Reipublicæque præſidium acceperint: ſcire ſe, parum ea inſula vel potius ſcopulo Rempublicam egere, cujus late patens terra marique imperium ſit: verum grave Epidauriis videri, eorum perduelles foveri, iis ſpiritus addi, peſſimo cunctis Principibus, ac Venetis aliquando, exemplo ceſſurum: quapropter amicæ Reipublicæ nomine, quæ ſemper in Venetos ſingulari obſervantia extiterit, poſtulare, deducto præſidio, inſulam libere permittant, ut de ſubjectis rebuſque ſuis conſulere ac ſtatuere ſibi integrum ac tutum ſit.* Beneſſæ oratori Senatus conſulto reſponſum: *Ad Aguſtam occupandam Rempublicam aſpiraſſe nunquam; ſuperiore anno, cum Epidauriorum imperium pertæſi, ad eam Aguſtani confugiſſent, ne a dominorum fide diſcederent, ſuaſiſſe; ut ſe ſe iis conciliarent, incitaſſe: eadem mente Senatum nunc eſſe; Bernardumque Venerium, ſinus præfectum, non eo miſiſſe, quo Aguſtanos ſubigeret, atque Venetis ditionibus adjiceret, quid enim tantula acceſſione Reipublicæ accreſceret? ſed ut motus, qui inde aſſurgere facillime poſſent, comprimeret, ne parvis initiis graviora mala ſuborirentur: id & omnium & eorum imprimis Reipublicæ intereſſe: opportune itaque Aguſtanos, modo tuti atque immunes ſint, libenter Senatum permiſſurum.* Beneſſa cum hoc reſponſo dimiſſus, re imperfecta diſcedere nolens, exitum in urbe præſtolatur.

Stephanus Beneſſa, Epidauriorum orator ad Venetos, & ejus officium.

Senatus reſponſum.

Interea ex Aguſtanorum plebe quatuor deligi, qui ad negotium per-

pertractandum Venetias accederent, Senatus juſſit. At Epidaurii, etſi optime Patrum mentem noſſent, attamen cum Clemente Pontifice Maximo, cum Philippo Hiſpaniarum Rege, atque Mehemete Byzantino Imperatore nullum officii genus prætermittebant, ut ii Venetos ad inſulam quamprimum reddendam hortarentur atque impellerent. Ea de re Romæ cum Franciſco Vendrameno Clemens egit. Philippus per Inicum Cardineum idem a Senatu petiit. Byzantii, qui ſupremi Viſiri vices tunc obtinebat, a Franciſco Contareno eadem acriter contendit. Quæ Senatum ad Aguſtanos amplectendos impulerint, a legatis exponuntur: *Non rerum novarum aut finium proferendorum cupiditate (de deſerto etenim ſcopulo, omnibus fere humanis nudato præſidiis, agi) ſed miſeris afflictiſque Aguſtanorum fortunis, qui intolerando jugo preſſi Reipublicæ ſigna extulerant, atque ut iis tumultibus, qui facile inde in Adriatico ſinu oriri poſſent, proſpiceretur, permotum cuncta egiſſe: ſalvis Aguſtanorum vita ac fortunis, ſtatim Epidauriis inſulam tradituros; idque illico effeciſſent, niſi copertum Patribus fuiſſet, innoxiam gentem libidini ac crudelitati ſævientis ac præferocis populi objectum iri.*

1603 *Epidaurii cum Pontifice, Hiſpanis, & Turcis de Venetis conqueruntur.*

Dum hæc fiunt, negotium de Rhætis Reipublicæ fœdere jungendis, antea intermiſſum, denuo agitari cœptum; in quo ſane cum plura acciderint, quæ & ad finitimorum in Rempublicam animum, & ad gentis ingenium rationemque pernoſcendas ſpectent, ſi paulo altius exordium ſumpſero, rem me neque prorſus injucundum neque inutilem facturum arbitror. Rhætorum vel Lepontiorum gens licet regionis amplitudine, incolarum numero, diſciplina militari longe Helvetiis inferior ſit, attamen locorum ſitu atque opportunitate haud exiguam apud Principes famam, non multis ab hinc annis, eſt nacta; quod Lepontii Helvetiis, Germanis ac Gallis finitimi ſint, in foribus Italiæ poſiti, cum Venetis latos fines ob Vulturenam vallem habeant, indeque pervium in Bergomates ac Brixienſes iter pateat. More Helvetiorum reguntur, atque in tres pagos, quæ fœdera vocant, diſtinguuntur. Cathedrale decem juriſdictionum, ac illud quod *Griſum* vocant, primum undecim, alterum octo, tertium decem

De Rhætorum gente & regione narratio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1603 decem conventibus, quas *communitates* vocant, conſtat. Penes eos ſumma reipublicæ, jus bella, paces, fœdera, ac quidquid ad publicam rem ſpectat, ſuffragiis decernendi. In prima vigintiquinque, in ſecunda viginti octo, in tertia quindecim ſuffragia adnumerantur, ut cuncta octo ac ſexaginta ſummam æquent. Ex iis concilium (*Dietam* vocant) conficitur : tres in eo præſides, totidem ſcribæ (bini pro quoque pago leguntur) ut, ſi horum ſuffragia addas, quatuor ac ſeptuaginta in univerſum cenſeantur, ex quorum majori numero omnibus de rebus decernitur. Pagorum præſides certos homines, qui cum Principum miniſtris ad eos ventitare aſſuetis agant, deligunt. Si quæ amplexanda exiſtiment, novem ac viginti viros ad *communitatum*, ut vocant, ſententias exquirendas mittunt. Ab iis ad concilium majus refertur, penes quos deliberandi, ut diximus, facultas eſt. Bis in anno junio menſe divi Joannis, januario divi Pauli feſtis diebus conveniunt. Aliud extra hæc tempora minus conſilium cogere conſuevere, quod ſex ac triginta viris conſtat, *Pittacum* appellant. In id, ſi quid extra dietæ tempus petatur, coeunt, de poſtulatis referunt, exquiſitiſque communitatum ſententiis decernunt. Ingenium gentis ejuſmodi eſt, ut ſæpius plebis arbitrio, quam ratione regatur. Locorum ſterilitate, infecundo ſolo multarum rerum egent; auri in primis appetentes atque avidi. Ac licet Helvetiorum inſtituta immitati, reipublicæ quamdam formam retineant, attamen amnibus, montibus, ac vallibus inter ſe diſcreti ac disjuncti, pro variis quoque ſtudiis ac rationibus non modo inter ſe nonnunquam diffident, verum ſæpius privato nimium addicti commodo, officium in republica tuenda deſerunt.

In Hiſpanos, & Gallos non eodem modo affecti ſunt. Aſſidua quoque commercia inter eos ac Inſubres ſunt, ob ea quæ ex Germania per Lepontiorum fines in Comenſem lacum influunt. At in Gallos, vel ob opimas penſiones atque beneficia a Regibus accepta, vel quod eorum præſidio libertatem facilius tueri poſſe ſibi perſuadeant, mirum in modum proclinati ſunt; ut ſuperiori anno, obſiſtente licet Petro Henriqueo, Fuentano comite, Inſubrum gubernatore, fœdus cum Henrico, uti antea anno M.D.XXI. cum Franciſco pepigerant, ſanxerint. Cum Vene-

Venetis vero vel finium propinquitate, vel commodis quæ haud 1603
contemnenda ex Venetis ditionibus ad eos perveniunt, ſemper amicitiam coluere; ſæpiuſque de mutuo cum iis fœdere ſanciendo actum, atque eo potiſſimum tempore, quo tranſalpinorum militum Franciſcus Vaudemontius imperator a Senatu fuerat declaratus; haud parum Reipublicæ rationibus conducere Patres rati, ſi externo militi aditus in Venetas ditiones pateret. Itaque anno M. D. LXXXXVIIII. re per Hieronymum Cornelium, Bergomi prætorem, agitata, in eas conditiones fere conventum fuerat, quibus decem antea annis Joannes Michaelius, Marcius Procurator, cum Joanne Salice tranſegerat; licet, variis exortis difficultatibus, nihil confici potuiſſet. Tentati nihilominus etiam poſtea Lepontiorum animi, atque anno M. DC. I. vehementius ſolicitati, cum, Philippo ſecundo defuncto, a filio tot regnorum gubernaculis ſuſceptis, triginta peditum millibus magnoque equitum numero in Inſubribus coacto, ne novi aliquid Hiſpani in Italia molirentur, publicamque quietem interturbarent, plerique vererentur; Senatus Italorum non modo, verum etiam exterorum militiam conflare, peditumque ad duo millia & quingentos e Lotharingia evocare coactus fuerat. Ac licet turbo ille, qui in Italiam caſurus videbatur, repente diſcuteretur; attamen multa inde, vel ad imperium tuendum, vel ad publicam tranquillitatem atque Italiæ quietem imprimis conſervandam documenta ſeſe obtulere. Tunc autem certius cognitum, quantum Reipublicæ cum Rhætis conjunctio mutuo uſui eſſet futura. Aegre porro tulerant Lepontii, per ſuos fines Lotharingis militibus tranſitum minime petitum; quod ſane Vaudemontii partium eſſe rati, Patres neglexerant : cum is plura ad dubitandum in Italiam exercitum ſibi itinera non defutura conſtanter affirmaſſet : tamen Helvetii ac Lepontii, per quorum ditiones tranſeundum erat, ſi Senatus peteret, ſatis facturos, neque animum iis, neque vires ad bene de Republica merendum defuturas, ajebant.

His multa accedebant, quibus mentes ſuſpicione quadam veluti defixæ detinebantur. Cum Itali Principes fere omnes in Philippum, veluti in orientem ſolem, reſpicerent. Solus Clemens, magnus Dux Hetruriæ, ac Venetus ad Italiæ dignitatem

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1603 tatem ac libertatem tuendam conſpirare videbantur. At Pontifex, licet in neutram partem propendere, neutrique plus æquo favere velle affirmaret; vel invitus multiplici nexu Hiſpanis jungebatur, qui & cenſu & opimis redditibus majorem ad ſe Purpuratorum partem attraxerant, ac nuper Sueſſano Duci, legato, magnam auri ſummam annuatim iis diſtribuendam tradiderant. Ferdinandus, quamvis libertatis Italicæ acerrimum ſe vindicem profiteretur, idque multis argumentis ſuperioribus annis declaraſſet, a ſuis rationibus, quidquid Hiſpanis offenſam aut moleſtiam inferret, alienum cenſebat, cum præſertim nondum Senenſis ducatus, quem beneficiario jure acceptum Hiſpanis referebat, a Philippo titulos impetraſſet. Veneti ſupererant, qui unicam ſibi metam publicæ quietis, propriæque libertatis tuendæ proponerent, in idque acrius inſudare atque incumbere neceſſarium ducerent, poſtquam Henricus quartus, Galliæ Rex, Vervinenſi ac Lugdunenſi pace Salaſſiis Sabaudo permiſſis, omnem iſtius provinciæ curam ac ſolicitudinem pene abjeciſſe videbatur. Qua ex re Fuentanus comes in omne augendæ regiæ ditionis in Italia momentum intentus, qua arte, qua aſtu non minimum acceſſionis Inſubribus fecerat. Finarium, caſtrum olim Caretæ familiæ, ſitu peregregium, Genuenſibuſque imminens, occupaverat. Populoniæ (domino ex Appiana familia defuncto) præſidium impoſuerat. In ea, quæ beneficiario jure Malaſpina domus in Lunenſi regione obtinebat, irrepere, quo propius Ferdinandum premeret, tentaverat.

His de cauſis ſummo animi conatu de fœdere cum Lepontiis firmando actum; ac primum per Salicem, mox per Franciſcum Martinengum, qui multas in ea gente clientelas habebat, demum per Franciſcum Pontium, ſecreto primorum explorata voluntate, cum omnia ſatis favere cœptis viderentur, tandem menſe junio de ſcriba, qui Senatus nomine negotium perageret, in eas regiones mittendo, agitatum: & quamquam non deerant, qui tempus magis opportunum requirerent, Fuentanique comitis petitionibus rejectis, ac Joanne Baptiſta Sacco ad eorum amicitiam petendam legato dimiſſo, civilibuſque diſſenſionum fluctibus in ea gente nondum ſedatis, ægre quidquam confici poſſe, arbitrarentur; tamen, ut ſcriba cum

cum literis atque mandatis ad fœdus tractandum in Rhætos 1603
mitteretur, decretum. Adjectum, quo Præconſultores quam primum de mandatis dandis conſulerent, ut intra dies octo ad Senatum referrent. Joannes Baptiſta Padavinus a Patrum Collegio deſignatur: mandata dantur. Is ſtatim in Lepontios contendit, in conſilium, quod eo tempore celebrabatur, a primoribus gentis, quorum ſibi animos antea liberaliter conciliaverat, deducitur. Perlectis Senatus literis, quibus benevolentia atque animi propenſione Veneti ſtrenuam atque finitimam gentem proſecuti ſint, Padavinus exequitur. *Statutum ſemper Patribus fuiſſe, ut arctiori neceſſitudinis vinculo cum ea republica connecterentur: quod hucuſque id ad exitum perduci nequiverit, fortunæ potius ac temporum malignitati, quam voluntati tribuendum: hac vero legatione quantum hæc ſibi cordi hæſerint, cunctis Senatum patefacere voluiſſe: vel finium propinquitate, vel rerum publicarum ſtatu, in quibus libertas vigeat, non minora iis, quam Venetis commoda, ſecuritatem, decus fœdera paritura: itaque ad id ſummi momenti negotium tractandum ſuam omnem operam, ſtudium, diligentiam exhibere; ea in re non minus Veneti Senatus ſcribam, quam amicum fortiſſimæ gentis futurum.* Perhumaniter trium fœderum concilii præſides Padavino reſpondent. Duodecim qui de tota re tractent, poſtea ad concilium referant, deliguntur. Poſt multa hinc atque inde agitata, in leges antea decretas conventum. Tria controverſa capita ita definita ſunt. Primum, ut Lepontii ſuo milite Venetos adverſus quoſcumque tueantur; cum de inferendo bello agatur (perpetua quæ vocant) cum Oeniponti comitatu fœdera ſerventur. Poſteriori capite cautum, ut paria præſidiariis, atque iis, qui in exercitu erunt, ſtipendia, mille nempe ac ſeptingenti aurei menſtrui, uti ab aliis Principibus fieri conſuevit, perſolvantur. Tertium, quoties eis bellum inferretur, triginta aureorum millia a Senatu petebant, Padavini virtute præteritum, eo tantum adjecto, ut quoties bello laceſſerentur, quæ Republica auxilia tribui poſſent, iis impertiretur. Negotio quatricui ſpatio diſcuſſo, de viris qui communitatum ſuffragia exciperent mittendis actum: novem ac viginti lecti, quos Padavinus (ita

Joannes Baptiſta Padavinus ad Rhætos deſignatus.

Fœderis Rhætorum cum Venetis tractationes.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1603 (ita enim cum ea gente agitur) donis ac pollicitis ſibi devinxerat.

Interea, dum in portu res eſt, varia impedimenta inſurgunt. Nullum non lapidem Hiſpani movent, cunctas machinas ad ſubſtructionem evertendam adhibent: plebem timore, primores ſpe, omnes ſuſpicione perfundunt: *Potentiſſimi terrarum orbis Regis ſibi inimicitias comparaturos; nihil illis detrimenti magis, nihil tutum minus accidere poſſe, quam, ſi quæ ad Rhætos ex Inſubribus utilitates perveniunt, commeatus, frumenta, merces, neglexerint; quæ pleriſque ex cæli inclementia ac ſolis malignitate eveniunt, hoc uno ſarciri incommoda poſſe; ſi hæc parvifaciant, impenſis aſſiduis, vel in itinerum anguſtiis, vel in Vulturena valle, & Clavenæ comitatu tuendis, eorum fortunas exhauſtum iri.* His rumores in vulgus diffipati acceſſerant, ab iis, qui Venetam civitatem incoluerant potiſſimum exorti: plebem triremibus, quod ſervitii genus duriſſimum habetur, mancipatum iri. Fuentani comitis minæ addebantur: cuncta cum Inſubribus commercia adempturum: ne ex Germania atque Helvetiis merces in Lepontios transfunderentur, ſed per divi Gottardi (ut vocant) montes deferrentur, juſſurum. Edictumque in id promulgandum curaverat. Bragaliæ quoque incolæ, qui prope Comenſem lacum degunt, novos motus ciere; alii, ſi in cœpto Lepontii perſiſterent, ad arma venturos minari. Agnedinæ incolæ, triremium famam horrentes, de revocandis mandatis, mittendiſque ad Fuentanum oratoribus agebant. Neque minus mora & cunctatione officere Carolus Paſchalius, Henrici a ſecretis, qui tunc in Rhætis erat, videbatur; atque eo magis poſtquam Vichius legatus ſupervenit, cum ambo aperte omni officiorum genere oppugnarent, quod, quæ mens Henrici eſſet, nondum cognoverant. Atque ab eodem Padavino Vichius contendebat, donec ex Gallia ad eum a Rege literæ perferrentur, ſuperſederet. Ac licet ex illius animo ſcrupulum omnem evellere Padavinus niteretur, neque minus eo fœdere de Henrici, quam de Reipublicæ amicæ commodo agi diſceptaret; attamen cum nihil proficeret, in id tandem coactus devenit, ut fœderibus in concilio ſancitis, quatridui mora ad ſubſcribendum injiceretur, ut interea de Regis mente certior fieret; qui, oratorum literis acceptis, eos omni ope Reipublicæ ſuffragari juſſit.

Paſchalis & Vichii, Gallorum oratorum, contra fœdus officia.

Henrici Regis ad ſuos oratores mandata de fœdere juvando.

In-

1603 Interea Fuentanus Larii lacus trajectum includit, idque Horatii Pallavicini, Novocomenſis præfecti literis irarum ac minarum plenis ſignificari pagis jubet. Eo turbatæ nimium Lepontiorum mentes, ac ne momento cuncta everterentur ac reſcinderentur, Padavinus veritus, primores vocat, facillime iis omnibus occurri poſſe ſuadet: ſi alio itinere quam per Inſubres in Venetas ditiones mercimonia convehantur, per Morbenii ſcilicet montiis clivos, quos paucis ante annis Aloyſius Priolus, Bergomi prætor, complanari melioreſque reddi curaverat; eodem, ſi paulo accuratius perpurgentur, ex Anglia, Germania, Gallia, Helvetiis affatim cuncta confluxura: neque in vectigalibus ac portoriis tollendis Senatus liberalitatem deſideraturos. Sedare concitatos animos enixo fortuna favit. E Tigurino pago quidam in Venetos propenſus, forte in Rhætos advenit: oſtendit, momento, quæ Fuentanus moliatur, perverti poſſe; Helvetios ac Tigurinos præſertim, per quorum ditiones civitatemque ab extremis uſque occidentis oris prædivites merces deferuntur, alia via, niſi per Larium lacum in Inſubres devehi nunquam paſſuros; divi Gottardi montium itinera aſpera, inſueta, confragoſa; itaque ſi cœptis inſiſtat, brevi averſa cuncta ab Inſubribus commercia experturum: interea opportunius faciliuſque Morbenii montis iter futurum; illac Tigurinos tranſituros: de duobus alterum eventurum, vel ut Inſubrum negotia penitus extinguerentur, vel per Larium lacum (uti alias contigiſſe memorabat) itinera laxarent. His erectis parumper animis, quo loco res ſint, Patribus Padavinus ſignificat. Statim Senatus conſulto reſcriptum: viam Morbenii publico ſumptu complanari, muniri (ſex paſſuum millibus ea conſtat) vectigalia ac portoria imminui placere.

Fuentani comitis in Rhætos minæ.

Interea conventuum calculi Tavam oppidum ad concilium deferuntur; omnes præter ſeptem conſentire: ſumma fœderis capitum hæc fuit. *Quod felix fauſtumque ſit: inter Venetam Rempublicam ac Rhætos in has conditiones fœdus percutiatur. Quotieſcumque Venetis libuerit, ex ex Rhætis peditum millia conſcribere liceat, ea lege, ut iis terreſtri tantum, non navali bello, quod militiæ genus inſolens genti eſt, utantur: non arcium, non oppidorum obſidioni operam navare teneantur.*

Fœderis inter Venetos, & Rhætos capita.

Cum-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1603 *Cumque Galliarum Regi imperanti ſexdecim millia ſubmittere ex fœdere cum eo nuper icto debeant, in Gallicam militiam nomina dantibus, tantum quatuor millia evocare Venetis liceat, ne propriis viribus regio exhauriatur. Cohortibus, quæ trecentis conſtant, mille ac ſeptingenti aurei nummi ſingulis menſibus perſolvantur, conſcriptæ copiæ decem dierum ſpatio in Venetis ditionibus ſiſtantur. Minori quam duorum millium ac quingentorum numero in caſtris aut in acie eſſe nequeant. Aegrotis uſque ad inſequentem menſem novamque luſtrationem ſtipendia continuentur. Sacramento ſolutis dimiſſiſque trimeſtre æs tribuatur, quo domum ſe conferre queant. Bello vero vexatis revocare Rhætis milites fas ſit, iiſque operam atque auxilium, prout occaſio ratioque ipſa tulerit, Reſpublica pollicetur. Si victoria Veneti potiantur, præfectis ac militibus menſtruum honorarium ſtipendium pendant. Sal ex ditionibus Venetis, eo, quo Brixienſes coemunt pretio, Rhæti accipiant. Singulis in Reipublicæ fines ingreſſus, exitus, commoratio, negotia tuta ſint; neque a magiſtratu, modo diſputationibus, dicteriis, vetitis libris, palamque improbato cultu abſtineant, de religione interrogentur. Viciſſim per utriuſque populi ditiones copiis tranſitus pateat: itinera utrimque hoſtibus præcludantur, ad eoſque pellendos mutuo juventur. Septem aureorum millia ſingulis annis Rhætis Veneti exſolvant, quorum tria millia ac quingenta in tria fœdera diſtribuantur, reliqua privatorum commodis accedant; ſexaginta inſuper fiſtulæ ferreæ* (moſchettos *vocant*) *annuatim fœderi unicuique tranſmittantur: in decennium fœdus ictum, ni ante annum diremptum renuntietur, pro revocato habeatur. Rhætorum ſocietatibus ac fœderibus cum aliis gentibus ac Principibus antea percuſſis hac fœderatione minime derogetur.* Quo inito, legatos ſeptem ad Rempublicam deligunt, qui ſtatim ad id jurejurando faciendum Venetias accedant. Fuere hi, Hercules Salices, Joannes Gulerius, Auguſtinus Traverſius, Rodulphus Soveſtanius, olim gymnaſii Patavini rector, Jacobus Laghſius, Baptiſta Salices, Thomas Sueſtanius, quibus in itinere ex publico, Senatus juſſu, victus ſuppeditatus. Decimoſexto kal. octobris ad urbem veniunt. Dominica die in conclavi, ubi majora comitia celebrari ſolent,

Rhætorum legati ad fœdus firmandum Venetias miſſi.

ſolent, omnes convenere, atque inibi coram Principe & Collegii Patribus ſolemni ritu fœdus ictum, jurejurando firmatum, promulgatumque eſt. Poſtridie Senatus juſſu in Principis aula publico epulo excipiuntur. Octavo kal. octobris reditum in patriam cum decreviſſent, denuo ad Collegium Principes Patreſque ſalutandos adeunt; mox ex eorum numero ſex equeſtribus inſignibus a Principe ornantur, unus enim ex iis, dum Patavini gymnaſii rector eſſet, in equeſtrem ordinem allectus fuerat; ſingulis torques aurei quadringentorum aureorum dono dati: in reliquos ſingulos quoque publicæ munificentiæ argumenta edita; duodecim eorum præfectis totidem literæ, quas *patentes* vocant, exhibitæ, quibus, ſi occaſio adeſſet, cogendi militis facultas permittebatur. 1603

Eodem anno, dum hæc geruntur, longo emenſo itinere, Fethis Begus, a Perſarum Rege miſſus, veteris augendæ cum Venetis amicitiæ negotiorumque cauſa, tertio nonas martii Venetias venit, regiaſque literas & dona detulit. Erant literæ Perſico idiomate conſcriptæ, in quibus eximiam in chriſtianos Principes voluntatem, egregium in Venetos ſtudium præſeferebat, priſcæque cum iis colendæ neceſſitudinis, qua & ali, & augeri commercia poſſent, ingenti ſe affici deſiderio ſignificabat, Venetoſque mercatores ſuis in ditionibus perbenigne habiturum pollicebatur. Fethin Begum, qui ſua Venetiis negotia curaret, miſiſſe, ut ei Reſpublica faveret obnixe petere. Hæc ſumma literarum. Aureis characteribus externæ ſuperficiei hæc verba inſcripta erant: DEUS IMMACULATUS ET ALTISSIMUS. Inſcriptio ad Reipublicæ Principem (ne id vel ad curioſitatem, vel ad morem gentis, quo in ſcribendo utitur, noſcendum prætermittam) erat ejuſmodi. *Inſigni atque peramplo Principi, regionum ac provinciarum Domino, juſtitiæ adminiſtratori, veræ regiminis regulæ cuſtodi; inter maximos chriſtianæ gentis Principes recenſito; atque in iis, qui Meſſiæ credunt, gloria, honore, potentia in primis ornato; pompa, amplitudine, felicitateque referto, cui hæc perpetua ſint.* Literis dona addita, aureus excellenti opere amictus Principi exhibitus, quo ſolemnibus diebus in Perſarum Regis memoriam

Perſarum Regis orator ad Venetos.

Perſarum Regis ad Venetos literarum inſcriptio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1603 riam uteretur. Similem Mogori, in India Regi, miſiſſe Perſam Fethis affirmabat. Tapes inde Perſico artificio, ſerico atque aureo teſſelato opere contextus, quo feſtis diebus, dum ad majorem aram ornandam ex eccleſiæ divi Marci promptuario theſaurus depromitur, Principis ſolium conveſtiretur; dona demum eidem divi Marci baſilicæ oblata. Fethis liberaliter exceptus, literæ ad Regem Perſarum datæ. Dona, quæ & præpotentem Principem decerent, & Reipublicæ dignitati convenirent, tranſmiſſa.

Varie interim Byzantinum imperium agitabatur. Nam Regis vices in Aſia obtinens (Scribam vocabant) homo præpotentis ac præferocis ingenii, qua aſtu, qua bellica virtute ampliſſimæ regionis ſibi imperium arrogaverat; Byzantiumque verſus contendens, ab eo haud longius quam tridui itinere caſtra locaverat. Prætoriani milites eo Aſiaticum hominem faſtus progreſſum frementes, indignabundi, Mehemetem ad tantos motus torpentem excitare conantur; Aſſanum, Horarium, quod egregie horologia conficiendi artem callebat, vocatum, maledictis proſcindunt; inſoleſcentem Scribam, cum initio comprimere potuiſſet, neglexiſſe, militum ſtipendia ad ſe attraxiſſe. Ille ab omni ſe noxa alienum & immunem jactare: de Scribæ conſiliis affectataque dominatione Mehemetem interpellare nitentem, a Regis matre prohibitum. Rex præſentia ſua tempeſtatem ſedaturum ratus, viſendum ſe populo præbet. At eo acrius procella ſævit: vulgus duo capita depoſcit; ſi pernegentur, promiſcue ſæviturum minatur. Rex ab efferata plebe prætorianiſque metuens, diu reluctatus, tandem furentium libidini amatiſſimos ſui, qui (ut ipſi vocant) *Capi Aga* Regis & Reginæ erant, objicit: cervices ambobus ſectæ. Inde, Aſſano inſtigante, quod multa in eum mater agitaſſet, imperii rebelles, communicatis conſiliis in regni perniciem aluiſſet, exitii in eum meditatæque necis in ſuſpicionem venit; atque, ut Ottomani admodum rigidi, nullo conſanguinitatis jure tacti, in cognatos ferociter ſæviunt, omni exutam poteſtate in vetus Amurathis ſeptum divertere jubet. Mamutem vero, majorem natu filium, in ſpem regiæ ſucceſſionis altum, quatuor mutis hominibus in cubiculum intro-

Turcarum militum tumultus.

Mehemetes filium necari jubet.

1603 introductis, fune collo innexa, atque in adverſas partes adacta, ipſo in interiori receſſu atrox ſpectaculum inſpectante, interfici jubet. Nec diu Aſſanes immanis conſilii voluptatem tulit: nam facti pœnitens Mehemetes, ei capite detruncato, Mehemetem ſuffecit. Ac Scribam pollicitis præmiiſque delinitum, honoribus ac præfecturis auctum, in Pannoniam adverſus Cæſarem militaturum relegavit: quo tempore Caniſii a chriſtiano mancipio furtim ſulphureæ pulveri admotus ignis, adeo ingens incendium excitavit, ut totum fere oppidum, mœnibus convulſis, in cinerem redigeret.

Scriba in gratiam a Mehemete receptus.

Uſcochorum autem motibus denuo in Illyrico aſſurgentibus, Nicolaus Donatus, legatus ſecundum cum ſummo imperio in provinciam a Senatu miſſus, qui inſoleſcentes piratas comprimeret; quo tempore Chidirus a Turcarum in Pannonia exercitus imperatore Venetias acceſſit, literaſque cum Baſſæ tum Regis (jus enim illi eſt regio ſigillo, & nomine uti) pertulit, quibus & piratas cohiberi, atque Aguſtam Epidauriis reſtitui petebat. Senatus conſulto reſponſum; nil ad Uſcochorum obtundendam audaciam prætermitti, nuper legatum in Illyricum miſſum: Aguſtani ne ab Epidauriis reciperentur, quos Reſpublica conceſſuros ſtatuerat, iis tribuendum eſſe. In eamdem ſententiam literæ cum ad exercitum, tum Byzantium conſcriptæ. Interea cum Henricus Galliæ Rex de percuſſo Venetorum cum Rhætis fœdere cognoviſſet, per Fraxineum legatum Senatui gratulatur; ad id ſe conficiendum ſuam adjunxiſſe auctoritatem teſtatur; ultro omne officium ac ſtudium Reipublicæ defert.

Nicolaus Donatus, in Illyrico legatus.

Fuentanus vero, qui jam ante initam ſocietatem aditum mercibus per Comenſem agrum intercluſerat, ac ad Rhætorum fines cohortes aliquot miſerat, icto fœdere exardeſcens a Novaria, Mortara, Lecco, atque Novocomo octingentos pedites in propinqua Vulturenæ vallis loca miſit; arcem in Abduæ fluminis faucibus ad eos coercendos, aditusque omnes obſepiendos, ædificaturum minatur; unam tot incommodis evitandis viam eſſe, ſi pro Inſubribus tuendis Hiſpano militi per eorum ditiones tranſitum permittant, neque alio-

Fuentani comitis contra Rhætos adve-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1603 rum copiis, se inscio atque inconsulto, aditum daturos polliceantur. Ob eas res Rhæti arma capiunt; arce extructa sibi, compedes injici nunquam passuros affirmant; nitrati pulveris vim, globos ferreos conficiendarumque arcium magistros ex fœdere a Senatu postulant. Bergomatum ac Brixiensium magistratibus petita præstari jussum. Henricus, iis cognitis, se ad Rhætos tuendos cum Republica consensurum Patribus significat: ad Hispanorum consilia conatusque evertendos multa sibi suppetere. At cum jam in Rhætis, vel gentis vitio, vel Fuentani astu, vel inconditæ plebis suspicione ac metu dissidiorum semina suborirentur; ad ea tollenda, fœderaque nuper inita sarta tectaque tuenda, Joannes Baptista Padavinus denuo missus.

Joannes Baptista Padavinus denuo in Rhætos mittitur.

Per eos dies ulcus sensim altum atque auctum, adeo excrevit, ut summa cum omnium admiratione, gravique cum publica tum privata jactura erumperet. Cum enim aliquot antea annis ærea parva moneta, quæ solidi dodrantem, octo scilicet obulos conficeret, in ærariis officinis cuderetur, ex qua ob minutas impensas plebi commodi, ærario emolumenti haud parum accederet, temporis cursu adeo excreverat compluresque lucro illectos ad eam imitandam & ementiendam attraxerat, ut repente tanta ejus vis copiaque effluxerit, ut pene cunctas Venetas ditiones inundaret, auri argentique in immensum fere pretiis auctis, ut prorsus negotia omnia humanaque commercia interdicta & extincta brevi fore viderentur. Ea vero labe præcipue infima plebs conflictabatur, in quam quidquid illius pestis erat, hominum vel fraude vel industria confluxerat. Huic malo obsistendum Senatus ratus, primum adulterinam illam monetam edicto vulgato prohibuit; neque aliquid ejusmodi expendendum, ni prius ab officinæ ærariæ magistris probaretur, sanxit. In eos qui ementitam in civitatem importarent, importassentve, vel ob id monopolium fecissent, favissent, agitassent, commerciave habuissent, gravissimæ pœnæ necis, bonorum publicationis perpetui exilii propositæ: indici præmia quingentorum aureorum promissa; exules revocandi, iis exceptis qui a Decemviris, vel ex eorum auctoritate proscripti fuissent, facultas permissa. Ad ea exequenda duo e Patribus

Venetorum commercia, ob æream monetam ementitam, turbata.

1603 bus lecti; Leonardus Donatus, Eques, Marcius Procurator: Aloysius Georgius, Pauli olim filius, qui in ejus criminis reos inquirerent: Jacobus Pisaurus, Censor, in continentem missus. Verum adeo morbus invaluerat, ut, cum nullis remediis depelli posset, tandem Senatus consulto cautum sit, ut penitus id monetæ genus extingueretur, certoque præstituto tempore qui ad ærarium deferrent, tantumdem pretii argento, vel auro reciperent, adulterina omni prorsus repudiata atque explosa. Quo ex decreto Patrum erga subjectos studium atque pietas quam maxime eluxit, ex publico ærario supra quingentis aureorum millibus erogatis.

Jacobus Pisaurus ad conquirendum de ærea moneta missus.

Senatus decretam de ærea moneta extinguenda.

Ea æstate cum Michael Priolus, Vicetinus Episcopus, ex Illyrico, ubi, adsentiente Senatu, a Clemente ad invisenda quæ ad religionem spectant, missus fuerat, Venetias revertisset, repente gravi exitialique morbo correptus, summo omnium mœrore, egregia virtutis ac sanctitatis opinione relicta, ex humanis excessit. Pontifex, ut ei Joannem Delphinum, Marcium Procuratorem, sufficere sibi permitteret, a Senatu per Offredum Internuncium ennixe petiit; cum ei, qui apud Clementem legationem obiverat, lex obstare videretur, qua honores, dignitates, præmia, a Pontificibus, Regibus Principibusque oratores accipere severissimis pœnis vetabatur. At Senatus, ne Delphino, uti jam legatione perfuncto lex impedimento esset, cunctis fere suffragiis sanxit. Itaque eum Pontifex Vicetiæ Episcopum nuncupavit, Senatuique permittenti ingentes gratias egit: ei, cum se statim procuratorio magistratu abdicasset, Hermolaus Grimanus, Marini Principis frater, majoribus comitiis est suffectus. Inde post aliquot menses legi instauratæ additum, ne quis Reipublicæ ad summum Pontificem, vel alios Reges, ac Principes legatus ullo unquam tempore dignitates, honoresve, aut emolumenta aliqua acciperet, suosve accipere permitteret; in eos qui secus fecissent, exilii, bonorum publicationis pœna indicta: legi nunquam derogaretur, adjectum, nisi, ad certum atque octoginta Patrum numerum Senatu coacto, quinque e reliis suffragiorum partibus tulisset.

Michaelis Prioli, Vicetini Episcopi, obitus.

Joannes Delphinus, Vicetiæ episcopus eligitur.

Lex de emolumentis ab oratoribus non accipiendis instauratur.

Anni fere exitu Marinus Caballus, ex Gallica legatione reversus, Henrici arma, quibus indutus per tela perque hostes virtute,

Henricus Rex arma propria ad Rempublicam per Caballum oratorem mittit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1603 tute, fortitudine, felicitate tot bella confecerat, victoriaſque reportaverat, egregium Regis munus ad Senatum detulit. Id honoris atque regiæ benevolentiæ in Rempublicam argumentum cum pergratum Patribus extitiſſet, ad eum officii plenas literas dedere. Thoraca aliaque arma, quibus regium obtectum corpus obarmataque dextera præclara adeo facinora ediderat, ſummo animi gaudio accepta, & ad invicti Regis memoriam poſteritatiſque documentum, uti pretioſa quæque adſolent, conſervaturos. Iis perbenigne Henricus ſummum in Rempublicam ſtudium voluntatemque teſtatus reſpondit. Regiam armaturam in Decemvirum armamentario nobili loco reponendam Senatus juſſit.

M. DC. IIII.

1604 ANni vero inſequentis initio, qui a parta ſalute M.DC.IIII. fuit, a Franciſco Contareno, Reipublicæ legato, Byzantio literæ allatæ, Mehemetem Turcarum Regem tertiodecimo kal. januarii repente, nullo præveniente morbo, e vita ſublatum: ei Achomatem, qui nondum quartum ac decimum ætatis annum attigerat, ſucceſſiſſe: adoleſcentem in populi conſpectum datum, ſtupori pleriſque fuiſſe, qui ingentis imperii habenas pueros nunquam arripuiſſe memorabant. Principum legati qui Byzantii commorabantur, ad eum viſendum, ampliſſimorumque regnorum ſucceſſionem gratulatum confluxere. Contarenus idem officii genus paucis per interpretem obivit: præſens Halis, Memphiticus Baſſa, quem ad Viſiratum paulo ante Mehemetes pater evexerat, Venetorum in Ottomanos Reges amicitiam ſtudiumque laudibus extulit; eos uti amicos habendos tractandoſque affirmavit, Rege non ſemel capite annuente, quod in ſuperbo Ottomanorum faſtu, qui nunquam affari, perraro oculos conjicere in Principum legatos ſolent, pro inſueto habitum. In alloquio Contarenus Regi tecto capite præter morem adſtitit. Senatus extra ordinem legatum, qui & aditum regnum Achomati gratularetur, & pacem renovaret, Joannem Mocenicum, Equitem, legat.

Mehemetis Turcarum Imp. obitus & Achomati ſucceſſio.

Joannes Mocenicus ad Achomatem orator.

Ceterum regni illius primordia a Perſa illata repente arma tur-

turbavere, qui perpetuus Ottomanorum hoſtis, Cæſareano 1604
bello, Mehemetis defuncti luxu ac torpore excitatus, Tauriſium, Perſarum regiam, ſibi antea præreptam, cum circumjacentibus oppidis atque urbibus occupaverat. Eo nuntio vehementer commoti Turcæ, a Rodulpho pacem expoſcunt. Cæſariani, ſi Agriam Turcæ Caniſiumque reſtituant, Peſto illis, Hatuano aliiſque parvis oppidis relictis, concordiam inituros reſpondent. Abnuentibus Turcis, diſcedentibus Cæſareanis, adhuc tempus Turcæ flagitant. Cæſar vero diuturno bello defeſſus, a Pontifice aliiſque chriſtianis Principibus auxilia petit; ni præſto ſint, ad pacem cum hoſte vi adactum deſcenſurum: Firſtembergius comes ea de re cum Franciſco Superantio agit. Sed multa, quin poſtulatis aſſentirentur, Patres remorabantur, atque illud in primis, quod propediem ab Acomate legatus expectabatur; neque tutum rebantur, dum de inſtauranda cum Ottomano pace agerent, fluctuantibus Cæſaris conſiliis in apertam belli aleam Rempublicam adducere. Per eos namque dies Muſtaphas Aga, regius quæſtor, (quem *Caſnadar* Turcæ appellant) Venetias acceſſit; Achomatiſque literas attulit, quibus Mehemetis patris obitum, ſuſceptum a ſe imperium ſignificabat, atque ut oratores pro firmanda pace Byzantium mitterentur, petebat. Sulficares quoque Aga ad urbem cum regiis literis acceſſit, quibus, ut Aguſtam inſulam Epidauriis, qui in ejus tutela conquieſcerent, annuumque ei tributum penderent, pro veteri amicitia, paciſque legibus reſtitueret, Senatum rogabat. Reſponſum, ſalvis Aguſtanorum vita ac fortunis, & ultro antea Aguſtam Epidauriis obtuliſſe, at libenter modo quoque conceſſurum. Sub id quoque tempus Donati virtute Uſcochorum licentia audaciaque compreſſa, eique mox ægritudine affecto in patriam reditus, legationiſque abdicatio permiſſa. Ex ejus diſceſſu prædonibus rurſus erumpentibus, Andreas Gabrielius cum eodem imperio in Illyricum miſſus. Leniuſque ea temporum conditione agendum Patres rati, a Cæſare petunt, flagitant. Initiis conſtat, ne peſtem altius ſe ſe attollere permitta: eorum quæ cum Jacepho Rebata Paſchalicus pepigerit, meminerit. Sibi ſuadere, ut amicæ Reipublicæ perpetua damna ac moleſtiæ inferantur, numquam paſſurum. Ad Ferdinandum quoque, Caroli olim Archiducis

Perſarum Rex bellum Turcis infert.

Muſtaphas Aga Achomatis literas affert.

Sulficares Aga a Senatu, ut Aguſta Epidauriis reſtituatur, petit.

Andreas Gabrielius, ad Illyrico legatus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1604 ducis filium, in eamdem ſententiam ſcriptum. Cæſar ex iis, quæ de Uſcochorum recentibus flagitiis cognoverat, ſummam ſe moleſtiam percepiſſe; ut ea in quæ Paſchalicus cum Rebata convenerat, ſervarentur, curaturum, Senatui reſcripſit.

Joannis Mocenici & Octaviani Boni, oratorum, Byzantiũ iter.

Interea Joannes Mocenicus, ad Achomatem deſignatus, una cum Octaviano Bono, in legatione continua Franciſco Contareno ſuffecto, octavo idus ſeptembris Juſti Antonii Bellenii, damnatorum remigum præfecti, prætoriam conſcendit, Hieronymi Mauroceni, atque Aloyſii Marcelli ſtipantibus triremibus. Idibus octobris Tenedum pervenere. Inſula olim Venetæ ditionis, pro qua cum Genuenſibus aliquando acerrime dimicatum, triginta paſſuum millium circuitu conſtat; modo quatuor in ea Chriſtianorum millia degunt. Arx quadrata figura, infirmis ſepta mœnibus, at bellicis tormentis inſtructa, Turcarum præſidio ſatis valido firmata, portum octodecim triremium capacem, in boream obverſum, aquationi opportunum, obtinet. Ibi Achomatis juſſu turcica triremis legatos cum univerſo comitatu excepit. Bellenius uſque ad Sigeum promontorium (modo *Jannizzerum caput* vocant) Trojæ ruinis inſigne, duodecim paſſuum millium itinere deduxit; inde vela in occidentem vertit. A Sigeo octodecim paſſuum millibus ad binas arces, quarum altera in Europa, altera in Aſia ſita eſt (*Dardanellos* vocant) triremi turcica pervenerunt. Inde recta freto in ducentorum paſſuum millium longitudinem protenſo, Byzantium delati, ab Contareno legato, multa Venetorum negotiatorum, multa Turcarum turba obviam prodeunte, ſuſcepti ſunt: regio epulo in *Divano* excepti, Achomatem adeunt. Mocenicus paucis legationis munus obit; inde cum Baſſa Viſiro in pacis antea initæ leges conventum. Legati aureis donati veſtibus, liberaliterque habiti. Mocenicus & Contarenus in patriam revertuntur.

Pacis inter Venetos & Turcas cõfirmatio.

Interea neque mari neque terra ſatis proſpere Achomati res procedebant. Ferdinandus Hetruriæ Dux aliquod ſemper facinus in barbaros mente agitabat. Forte Liburnum ex Lybia Anglus navarchus delatus, octo in Juliæ Cæſareæ portu triremes favonii flatum, in altum vela daturas, expectare renunciat. Una conſilium Hetruſci de iis comburendis ineunt.

ineunt. Arrepto in Lybiam itinere, improviſo adorti, igniumque ejaculatione, quorum inſtructi copia ad id patrandum acceſſerant, incendunt, piraticamque ea æſtate exercendi Lybicis prædonibus facultatem eripiunt. In Pannonia quoque Strigonium ſeptembri menſe, irrito exitu, Turcæ oppugnant. At Peſto deditione recepta, audentiores facti, Strigonium rurſus corona cingunt. Georgius Baſtius, vices Cæſaris obtinens, Mansfeltius, atque alii Germaniæ proceres, qua mœnibus fortiter dimicant, qua in hoſtes acriter irrumpunt. Duo circiter peditum millia, equites quingenti in Turcarum caſtra penetrant, ferrea glandium procella cuncta miſcent turbantque, ſtrage omnia implent, ſeptingentos cædunt; atque ex ſuis centum tantummodo deſideratis, exuvias hoſtium reportant: commeatuſque inopia, prætorianis impellentibus, Serdar Baſſa Strigonio abſcedit. Neque felicius in Dacia a Turcis pugnatum. Betlemum Gaborem, provinciam iis ſubjiecere tentantem, atque ad amnem Themeſum caſtrametantem, incautum Cæſareani profligant, concidunt. Submiſſos a Temeſvarii Baſſa, de ſuorum internecione per transfugas admonito, auxiliares, uſque Temeſvarium inſectantur. Illi ſublicium pontem a præfecto demitti, ut inſtanti eripiantur neci, ſummis vocibus inclamant. Is, ne promiſcue irruat hoſtis, veritus, ex pinnis ac ſpeculis ſtragem ſuorum deſpectat: præda ingens, duodecim militaria ſigna capta. Ita eo anno in Pannonia ac Dacia bellum gerebatur.

1604

Africanæ triremes ab Hetruſcis incenſæ.

Turcarum ad Strigonium cædes.

Betlemus Gabor a Cæſareanis profligatus.

In Italia ſuſpicionibus ac diffidiis laboratum. Cum enim Fuentanus Rhæticum fœdus cum Venetis æquo animo pati non poſſet, tum minis, tum pollicitis ad ſe eam gentem allicere nitebatur. Itaque commercia cum Inſubribus interdixerat, annonam commeatuſque præcluſerat, arcem prope Vulturenam vallem, proprio indito nomine, excitandam curabat. Alteri ex parte ad ſocietatem ineundam inducebat: in eam ſi coirent, & aditus patefacturum, & annonam præſtaturum, & arcem demoliturum. Illius leges duobus præſertim capitibus (uti diximus) continebantur altero, ut transitum per eorum fines petentibus Hiſpanis darent; altero, ne, inſciis atque inconſultis illis, aliorum copiis permitterent. Atque ut rudem

Arx a Fuentano comite prope Vulturenam vallem inſtructa.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1604 rudem gentem flecteret, id neque Gallicis neque Venetis fœderibus adversum esse contendebat; quod Henrico in Italia nullæ ditiones essent, ad quas recuperandas cum exercitu proficisceretur; quodque ad Venetos tantum bello lacessitos defendendos, non ad arma in alios inferenda fœderis præscripto obstringerentur. At vix Padavinus in Rhætiam pervenerat, cum Herculem Salicem Rhæti Venetias legatum mittunt. Is, quo loco eorum res sint, quot post percussum fœdus incommodis afflictentur, explicat: *Commercia ab Fuentano, quo unico sustententur, interdicta: sterili atque infecundo solo, annonam ex finitimis regionibus comparare assuetis facultatem ereptam: in eorum cervices arcem excitatam: vehementer turbatos commotosque Rhætos esse; quodque haud dubium exitium portendere videatur, civiles nuper dissensiones exortas, quibus misere laceratam discerptamque eorum rempublicam, ni præsto amici sint, in præceps ituram: eo tam afflicto ac prope perdito suarum rerum statu, se potissimum designatum, qui consilium, opem petat, exoret: id cum pro nuper icta jurejurando societate, tum pro ipsiusmet Reipublicæ beneficio atque incolumitate efflagitare. Quid enim, si Rhæti concidant? an non eorum casu & exitio cunctis Italiæ Principibus cladem vastitatemque imminere? Itaque alterum ex duobus petere, vel fœdera quæ neque Gallicis neque Venetis officere videantur, interpretari ac moderari permittant, quo publica pax ac tranquillitas minime interturbetur; vel, si secus sentiant, auxilia, pecuniam suppeditent. Quod si e re communi sit, ut in eorum finibus propugnaculum extruatur, ad id conficiendum sumptus subministrent.* Senatus consulto breviter responsum: si pactis Rhæti stent, neque quidquam fœderibus adversum moliantur, omnem opem auxiliumque præbiturum. In eamdem ferme sententiam oratori, quem eodem tempore in Galliam Rhæti miserant, Henricus respondit.

Hercules Salices, a Rhætis orator Venetias missus, & ejus expositio.

Senatus responsum.

Ab Helvetiis insuper, qui Badam de more convenerant, consilium auxiliumque Rhæti exposcentes, ejusmodi responsum, ut aliquam concordiæ cum Fuentano rationem inirent, tulere: licet ab iis, quos sibi Fuentanus in Rhætorum gente conciliaverat, ad ejusmodi consilium exhibendum impul-

pulsos Helvetios fuisse, satis constaret, quorum suasionibus tandem Rhæti Mediolanum oratores, qui cum Fuentano conveniant, mittunt; in fœderis leges, quod anno M. CCCC. XXXIII. inter Blancam Mariam, Franciscum Sfortiæ conjugem, ac Rhætorum gentem percussum fuerat, consensere. Scilicet Hispanorum ut copiis per suos fines aditum permittant; in Insubres ducturis obstruant; ni prius eos certiores fecerint, transitum aliis denegent. At Rhætorum acta omnes carpere, turbata fœdera; disjectam societatem, violatum jusjurandum: quid ab iis expectari posse, qui tam cito eorum quæ pepigerant obliti, omnia perturbaverint. At vero non eadem erat in Rhætis sententia; sed in diversas sciissi factiones, neque consiliis, neque viribus junctis patriam tuebantur. Ea res difficiliora amicorum auxilia reddebat, cum iis qui turpiter pacta deseruerant nil opis afferri posse, labare vero finitimam gentem, dissidentemque prope in servitutem incidere cum publicis rationibus pugnare videbatur. Neque ulla, dum fœdera nuper cum Fuentano icta vigerent, concordiæ ratio inveniebatur; iis enim cavebatur, ne miles, inscio atque inconsulto Hispano, alpes transgrederetur; quo Gallicam Venetamque societatem penitus diremptum ac convulsum iri constabat. Ob eas res tempus extrahebatur, ejusdemque sententiæ Veneti ac Galli erant, ut Rhætis fœdera servantibus omni ope juvarent. De extructa arce per Fraxineum legatum Senatus mentem Henricus exquirebat: eam & ad commercia turbanda & ad Vulturenam vallem invadendam, opportunam: ad copias autem, quo minus per eorum fines transirent, impediendas minime idoneam Patres arbitrabantur. Rex tamen eo deducebatur, ut, salvis Gallicis Venetisque fœderibus, si aliquam Rhæti concordiæ rationem inire possent, eam ne aspernarentur. Annus inter hæc vel dissidia vel consilia elabebatur.

1604 *Rhæti Mediolanum oratores mittunt & cum Hispanis conveniunt.*

Rhætorum dissidia.

Ceterum cum incredibili prope labore atque impensa ad deducendum Padum amnem excavatus alveus fuisset, jamque æstas in autumnum inclinaret, de aggere incidendo traducendoque ingenti flumine actum; cum antea qui una cum Joanne Jacobo Zannio, legato, opus inspicerent, rostra quibus amnis cursus tardari, quo commodius deduceretur, conficienda

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1604 da curarent, lecti fuiſſent, Marcus Antonius Memius, Marcius Procurator, Andreas Gabrielius, Aloyſius Georgius, Angelus Bragadenus, Antonius Quirinus, Benedictus Taliapetra. Qui cum ea quæ neceſſaria erant perfici juſſiſſent, Zannius; aggere disjecto, Padum, magno finitimorum, magno noſtrorum concurſu ac plauſu in alveum immiſit: ita ab urbe perampli fluminis defluxus ingenti portuum æſtuariorumque beneficio averſus.

Legati ad Padi opera inſpicienda & novum alveum aperiendum.

Eodem quoque anno de Medoaco alio traducendo latum; qui Metamauci portum influens, magnam materiæ vim ingenti cum illius detrimento invehebat. Is porro fluvius recta olim in æſtuaria delatus, ad vicum in extrema ora ſitum, cui Oriaci nomen adhuc manet, priſcis temporibus; poſtea vero, quina inde paſſuum millia arena plurima circum exaggerata, ad Lizzafuſinam pagum ſtagnis excipiebatur, quæ, undis & paludibus undique ſeſe attollentibus, magis ac magis in dies videbantur imminui. Quapropter anno M. CCC. LXXXXI. vj. idus novembris, ut Medoaci oſtium ad Lizzafuſinam obſtrueretur, decretum fuerat. Verum M. CCCC. XXV. vii kal. julii, Franciſco Foſcaro Principe, id oſtium denuo reſeratum fuit; ea tamen lege, ne ad divi Angeli, cui a loco contortæ nomen erat, ut antea conſueverat, deflecteret amplius; ſed ad divi Nicolai portum recto curſu contenderet. Vehementiore enim fluminis impetu incumbente, limo & arenis undique proruentibus egeſtis, profundiorem illi aditum futurum plerique ſibi perſuadebant. Nam (ut natura fluviorum eſt, qui veluti protenſis brachiis, dextera lævaque ſtagnant) iter quod a vico Lizzafuſina, hinc ad divæ Marthæ, inde ad divi Georgii fana, extenditur, exſiccatis æſtuariis, ita ſolidum præbuerat, ut urbs jam, ni remedia opportuna adhiberentur, brevi continenti adhæſura videretur. Huc variis morbis contagiones, quibus præter morem civitas vexabatur, accedebant, cujus rei cauſa, quod aquæ ſalſæ dulcibus immixtæ putreſcerent, ferebatur. Itaque anno M. CCCC. XXXVIII. vj. kal. octobris, ut rurſus amnis oſtium ad Lizzafuſinam occluderetur, quo mole oppoſita cohibitus ad Metamauci deflecteret portum, ſancitum fuerat. Difficultatibus vero multis exortis, eaque præcipue, brevioris admodum per Medoacum navigationis

Decretum de Medoaco ab æſtuariis avertendo.

urbem

urbem carere non poſſe (uti aquarum magiſtratus annales memorant) Marco Cornelio, provectæ ætatis viro admonente, inita fuit ratio, qua, citra ullam hujuſce navigationis jacturam, averſo flumine, æſtuariis proſpiceretur. Itaque xij. kal. novembris anno M. CCCC. LXXXVIII. navigationis commodo eſt conſultum, curru ad navigia cymbaſque traducendas, quo amnis a mari diſterminaretur, exædificato, ingentique alveo ad Doli pagum cœpto, quo Medoacus Foſſam Clodiam verſus deduceretur. Poſtea vero, cum, Foſſæ Clodiæ portu fere jam obſtructo, in magno urbs illa diſcrimine verſaretur, ad Bronduli portum alveus translatus fuit; reliqua pars molendinis, atque navigationi qua ad urbem itur inſerviter; ac per alveum, quam *Reſtem* alii vocant, tranſmitteretur. Verum temporis tractu cum magna materiæ vis aggeſta in Metamauci portum deprehenderetur, in eumdem Bronduli ſinum averti Medoacum viſum eſt; atque ad vicum, quem Miram vocant, novus alveus in octodecim paſſum millia longitudinem excavari, quo Medoacus exciperetur, atque fluminis illius influxus, qui, ex montibus humo excepta, turbidiſſimus provolvitur, alio amandaretur, decretum; ſed ne mediis in aquis ſitæ urbi aquæ aditus intercluderetur, minora quædam flumina in veterem Medoaci alveum detrudi ſancitum. Opus ingens ingenti labore, immenſa impenſa poſt aliquot annos perfectum.

1604

Hoc anno Thomas Contarenus, Cretenſis Archiepiſcopus, vir innocentia, virtute, ſcientiaque conſpicuus, Romæ fato conceſſit. Quatuor a Senatu nuncupati, ex quorum numero Clemens Pontifex Maximus, quem ſibi placuiſſet, eligeret; Aloyſius Grimanus, Stephanus Bolanus, Auguſtinus Gradonicus, Abbas, Nicolaus Foſcarus, e Theatinorum ordine. Grimanum, qui ſumma virtutis atque eloquentiæ laudæ multos in Republica magiſtratus geſſerat, in Patrum collegio continentis Sapientis locum obtinuerat, nuperque Cenſor extiterat, Clemens extulit.

Thomæ Contareni, Archiepiſcopi Cretenſis, obitus.

Aloyſius Grimanus, Cretæ Archiepiſcopus eligitur.

M.DC.V.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605

M. DC. V.

PRoximum annum M. DC. V. posteritati insignem varii atque ingentes in Europa motus reddidere. Funestumque initium a Clementis summi Pontificis excessu sumpsit; qui podagra senectaque confectus occubuit; pro cujus salute atque incolumitate per urbis templa Senatus jussu supplicationes habitæ fuerant; ejusque obitu summo mœrore omnes civitatis ordines sunt affecti, quod eo potissimum tempore extinctus esset, quo de ineundo cum Republica arctiori amicitiæ societatisque nexu, consilia agitabatat; illiusque virtus atque opera christianæ reipublicæ maxime necessaria videbantur, Turca, præsertim, recolectis viribus, in Pannonia adjacentibusque regionibus sæviente. Eo etenim ingenio Clemens erat, ut licet Quinti Fabii exemplo in gravissimis negotiis nimia cunctatione uti videretur; tamen nil abjectum, cuncta prægrandi atque excelsa mente gerens, prudentiaque & dexteritate quandoque assequebatur, quæ vi atque impetu obtineri minime potuissent. Inde conciliata inter potentissimos Galliæ Hispaniæque Reges pax, Henrici in Sabaudum repressus impetus, initaque concordia, ac pleraque egregia, quæ vel ad quietem in Italia retinendam, vel ad Principes jungendos, vel ad Cæsarem Pannonico bello milite pecuniaque juvandum, effluxere. Complura eaque gravia cum Republica negotia habuit, quæ licet nonnumquam acerrime utrimque agitata, in graves dissensiones eruptura existimarentur, nihilominus, moderatione animi ad eumdem veluti scopum Pontifice ac Senatu collimante, felici exitu sunt confecta, Petri Aldobrandini, nepotis, imprimis auctoritate, qui, cum nihil non a patruo impetraret, Venetorumque esset studiosissimus, mutuis officiis illius in Rempublicam voluntatem ac benevolentiam aluit atque auxit.

Clementis Pontificis obitus, & ejus elogium.

Justis de more Clementi persolutis, de successore deligendo pontificalibus comitiis actum. In varia studia sententiasque Purpurati scinduntur. Galli Alexandro Mediceo Cardinali favent; Hispani palam oppugnant, in quemlibet alium consensuri. Cæ-

1605

sari Baronio, Hispanorum favore subnixo, quod oppido Sora, regiæ ditionis, ortus esset, suprema dignitas omnium fere consensu deferebatur; nisi per eos dies Annalium ecclesiasticorum undecimum volumen vulgasset, in quo adversus Philippi in Siciliæ regno supremam auctoritatem, quam monarchiam vocant, acerrime pugnaverat; atque Reges summorum se Pontificum creationi immiscentes, quæ divino afflante Spiritu ad sacratos viros præstabat, vehementer fuisset insectatus; quo sane spem omnem illius potiundæ dignitatis sibi præciderat. Etenim ante Clementis obitum ab eo volumen editum, Ossunæ Dux, Neapolis Prorex, inter veteritos adnumeraverat; bibliopolam, qui venditabat, comprehensum, ad triremium transtra ablegaverat. Qua ex re mirum in modum Clemens atque ii, ad quos inquiriendi de religione munus pertinet, commoti, Pontium regentem, cœtu fidelium amotum, Romam evocaverant. Id in causa fuit, ut Hispani Baronium a pontificatu excluderent; cujus injuriæ in patrum consessu summopere est conquestus, quod ob Ecclesiæ jurium defensionem is fructus ei rependeretur, illud Servatoris usurpans, *Beatos esse, qui propter justitiam persecutionem paterentur*; ac, si ob eam rem martyrium immineret, libenti animo subiturum: Clementis, Sanctissimi Pontificis, jussu, priscis Ecclesiæ inspectis monumentis, librum composuisse; perlectum tribus ex Cardinalium numero videndum dedisse; probatum, denuoque inspectum, tandem prodiisse. Spe dejecto Baronio, omne in Mediceo oppugnando studium Avilæ Cardinalis, Hispaniæ regnorum protectoris, versabatur. At Aldobrandinus, sine quo perfici comitia non poterant, quod tot sibi devinctos haberet, quot ad impediendas sufficerent, prensando, rogando, atque ad suas partes secreto alios traducendo, ita egit, ut tandem Alexander Mediceus ad pontificatum, molestе inspectantibus Hispanis, eo electionis genere, quod adorationem vocant, evehe-

Leonis XI. Pontificis electio

retur; qui statim Leonis undecimi nomen suscepit: exacta vir ætate, multis præclare pro christiana republica ac religione gestis conspicuus, cujus præcipue opera pax inter Henricum Galliæ & Philippum Hispaniæ Reges inita fuerat. Ingens de eo hominum opinio ex anteactæ vitæ splendore, ex fami-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605 familiæ nobilitate, ex nuncupationis omine orta. Ejus rei nuntius Venetias allatus, vix dici poteſt, quanta lætitia univerſam civitatem profuderit. Omnia magnanima atque excelſa ſibi Patres ab illo pollicebantur. Statum legatio de more decernitur: lecti fuere Leonardus Donatus, Franciſcus Molinus, Marcii Procuratores ambo, Joannes Mocenicus, Franciſcus Vendramenus: per literas, perque Auguſtinum Nanium, oratorem, gratulatio eſt habita. Leonis pontificatus initia præclara, auguſta. Tria ſibi in ſupremo munere adminiſtrando propoſuiſſe affirmabat: erga Deum honorem ac cultum; in pontificatu majeſtatem; in cunctos liberalitatem: inde aulicos omnes holoſerico indui juſſerat, nihil non magnificum vultu, habitu, verbis referens. Verum commune conceptum gaudium repentina citaque mors intercepit, atque in limine extinxit. Nam in pontificiæ inaugurationis plauſu, cum Leo ætate gravis, valetudine imbecillis, nimium incaluiſſet, ab æſtuque diriguiſſet, viceſimo ab inito pontificatus die eſt ereptus.

Oratores Veneti ad Leonem XI.

Leonis XI. obitus.

Novendialibus ſacris peractis, denuo de ſucceſſore agitur. Certantium ſtudiis, competitorum haud diſparibus meritis in quemnam pontificatus honos caſurus eſſet, incertum. Aetate & gratia Dominicus Tuſcus, Mutinenſis, anteibat; in eumque Galli & Hispani conſenſuri videbantur. Jamque ad Pauli ſacellum, ut ad ejus genua procumberent, Purpurati ingrediebantur; cum repente Baronius, Tuſco pontificatum minime deferendum, exclamat; inutilem Eccleſiæ, parum idoneum chriſtianæ reipublicæ futurum. In eo certe viro multa inerant, quæ apicem ei concilarent, ætas, ſcientia, morum comitas, & quod caput eſt, a ſummorum Principum obſequio immunis ac liber animus: in dicendo nimia libertas, parum honeſtis nonnumquam interſperſa verbis, obſtabat; idque unum ei objectum, a faſtigio, quod comprehenſum manu tenebat, deturbavit. Nam ſummis vocibus inclamante Baronio, ſtrepitus adeo ingens eſt ſublatus, ut ſtatim ei Montaltus, Sfondratus, atque alii, quos Cardinales conſcientiæ vocabant, adhærerent. Duo ac viginti in Xyſti ſacellum ab aliis ſejuncti conveniunt; reliqui in Paulino perſiſtunt, cum duo tantum ad Tuſcum creandum ſuffragia deeſſent. Inde in diverſa trahentium ſtudia.

Co-

Comitiis turbatis, ad Aldobrandinum Montaltus inquit: 1605
Cur in alium non conſentimus? cur tumultus in pernicioſas diſſenſiones erupturos non comprimimus? Tum Aldobrandinus: *Cuinam igitur tantum munus deferemus? Burgheſio*, Montaltus inquit. Erat tum cum Arigonio, ut fertur, in ſuo cubiculo Burgheſius; ambo, quod ætate ad eam ſuſcipiendam dignitatem immaturos ſe intelligerent, alia omnia verſantes animo; ac tum forte egreſſi, lento ad Aldobrandinum ac Montaltum incedebant pede, cum repente *Burgheſium*, qui propius erat, inclamant momento; & mox univerſum Collegium pervadit. Extemplo Pontifex conſalutatur, ac Pauli V. nomen ſuſcepit; tres ac quinquaginta annos natus, firmo corporis habitu, procera ſtatura, totius oris aſpectu pontificalem majeſtatem retinens. Pater, dum Senæ patria civilibus perturbationibus conflictaretur, Romam ſe recepit, foro incumbens, *conciſtorialis*, ut ajunt, *advocati* munus exercuit. Virtute atque integritate auri tantum ſibi comparavit, ut majori natu ejus filio, ſeptuaginta aureorum millium pecunia Clementi adnumerata, *Cameræ*, ut ajunt, *Auditoris* magiſtratum magna purpuræ obtinendæ ſpe impetrarit. Eo brevi extincto, patris miſertus Clemens, ut alterum filium, Camillum nomine, defuncto ſubrogaret, conceſſit. Inde anno M. D. LXXXVI. ad cardinalatus dignitatem evectum, ad opem Cæſari Pannonico bello a Philippo petendam in Hiſpaniam miſit: optimis moribus, inculpatæ vitæ fama permotus eidem vices ſuas detulit. Non illi ex paterno proventu amplius quam mille, ex eccleſiaſtico ſex aureorum millia erant. Iuris legumque prudentiæ ſcientiſſimus, ut ea potiſſimum facultate ſibi blandiretur. Ceterum neque publicorum negotiorum uſu præſtans, neque cum Principibus ſummis de rebus agere aſſuetus, civili conſuetudini parum deditus, ingenio potius ad privatas res quam ad publicas gerendas idoneo; licet pontificalibus veſtibus amictus, momento pontificiam majeſtatem vultus ſeveritate, gravitate, oriſque totius habitu repræſentare videretur. In eo inexpectato lætitiæ ſenſu observare licuit, quod præter aliorum morem, qui ad ampliſſimam in terris dignitatem evecti, effuſiſſimi in omne liberalitatis genus iis, per quos ſublime illud faſtigium attigere, nihil fere pernegare

Pauli V. Pontificis electio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605 gare audent; ipse efflagitantibus Purpuratis nihil conceſſit, *Non id tempus eſſe, quo aliquid decerneretur*, dictitans; *æſtuante animo pleraque injuſta, quæque minus deceant tribui; in repentina commotione, non ſatis quæ petantur, vel quæ concedantur, expendi poſſe: munificum tamen in iis, quæ incolumi juſtitia atque conſcientia elargiri poſſet, in omnes futurum.* Illud enim palam ajebat, ſecumque reputabat, *non mortalium ſuffragio, ſed Dei Optimi Maximi afflatu atque impulſu ſibi munus illud delatum eſſe.*

Magna cunctorum de novo Pontifice expectatio: quo ſe verteret, in quod potiſſimum incumberet, cum in turbulenta tempora, vigente inter Turcarum Regem ac Cæſarem bello incidiſſet. Neque minus vivida ætas pleroſque ſolicitabat, quod ad apicem illum tendentium Purpuratorum ſpes præter ſolitum morem reciſæ viderentur. Atque ipſemet Pontifex, vel rei novitate, vel inopinato ſperatæ vix amplitudinis eventu, ſtupore veluti defixus mœſtuſque cernebatur; multaque illi moleſta obverſari animo rumor erat: a privato ad regium vitæ genus tranſitus, mortis metus, veneficii timor, ut quotidiano victu parata a ſororiis tantum obſonia ſumeret. Ea aſtrologorum vocibus terriculamentiſque aucta, ante ſeptembris exitum vitam amiſſurum. Quibus permoti ejus fratres, quorum major natu Franciſcus, minor Joannes Baptiſta erant, tres ac viginti ejus profeſſionis homines intra ſuas ædes cogunt, qui naſcentis Pontificis, cælique ſitum ſcrutentur, quidque vaticinentur de ejus vita, exprimant. Vel ex inanis artis arcanis, vel aſſentationis gratia, in decimum atque octavum annum vitam prolaturum prodidere. Acerrimum Eccleſiæ libertatis defenſorem ac propugnatorem initio Paulus eſt profeſſus: pro ea, ſi opus foret, ſanguinem ipſum effuſurum; idque ampliſſimis verbis in primis cum Principum oratoribus alloquiis eſt teſtatus. Franciſco fratri, majori natu, claſſis præfecturam detulit; Joannem Baptiſtam ſancti Angeli arcis cuſtodem, Burgi præfectum, poſtea Eccleſiæ vexilliferum atque militiæ imperatorem creavit. Senatus ei quatuor legatos legit, Franciſcum Molinum, Marcium Procuratorem, Joannem Mocenicum, Petrum Duodum, Franciſcum Vendramenum; qui cum per eos fere dies Mattheo Zannio, Vene-

Oratores Veneti ad Paulum Pontificem.

Venetiarum Antiſtiti ex humanis ſublato, ſuffectus eſſet, ejus loco Franciſcus Contarenus, Eques, eſt deſignatus. 1605

Dum hæc in Italia geruntur, novis tumultibus Pannonia & Dacia agitari cœpit. Nam Stephanus Boſcajus, Pannoniæ præfectus, a Rodulpho Cæſare defecit: fœdere ſe ſe Achomati obſtringit; turcicoque fultus robore, Tranſilvaniæ ſe Principem (*Vaivodam* vocant) atque in citeriore Pannonia Ottomanorum vicarium appellat. Pleraque oppida capit; ignem ferrumque Ferdinandi Archiducis ditionibus minitatur. Baſtius, a turcica ſocietate ut diſcedat, monet. Ille certis legibus ſe facturum non detrectat: inſoleſcentes atque iniquas conditiones, quæque ad bellum magis quam ad pacem tenderent, expoſcens, rejicitur. Sed interim turcicis auxiliis incrementa ſumit, perditos religioniſque omnis exſortes ad ſe trahit; oppida atque urbes qua vi, qua pollicitis Cæſaris imperio ſubducit, ſibique ſacramento obſtringit. Ad vaſtandas incendendaſque regiones barbari dimittuntur; Corcotam e regione Strigonii capiunt, diripiunt; præſidiarios Germanos negligentius excubias agentes obtruncant. Inde Ferdinandi ditiones Thraces atque Haiduchi invadunt; Chermentum expilant; Rocheſpurgo, duabus a Græcio leucis, obſidionem minantur.

Stephanus Boſcajus a Cæſare ad Turcas deficit.

Rodulphus Boſcaji defectione, pecuniæ inopia oppreſſus, diutino bello attritis viribus, ancipiti diſtentus cura, ad imminentem turbinem avertendum ac diſcutiendum impar. Archidux Ferdinandus crepitantes incendii flammas extinguere neque per ſe, neque per alios poteſt. Iis anguſtiis circumſeptus, Joannem Sfortiam, Purliliarum comitem, ad Senatum mittit: ſeptuaginta, aut ſexaginta aureorum millia mutuo, Piſini proventuum oppigneratione, petit. Ardua res erat, quæque multa ſecum traheret, ex quibus cum potentiſſimo hoſte diſſidia ali, ac tandem bellum exoriri poſſet. Itaque Sfortiæ Senatus conſulto reſponſum. *Iis quæ Ferdinando acciderint, quæque in ejus ditiones hoſtes moliantur, ingenti moleſtia Senatum afficiri: propenſum Reipublicæ animum & alias expertum & in poſterum experturum; cum præſertim ſe reliquæ reipublicæ chriſtianæ Principes ita animati fuerint, ut concordes, ingenti virtute ac viribus conjunctis, in communem proſternendum hoſtem conſpiraverint.* Cum eo reſponſo Sfortia dimiſſus. At

Joannes Sfortia, Purliliarum comes, pecuniam a Venetis Ferdinandi nomine petit. Senatus reſponſum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605 barbarorum indies crescente metu, instantique periculorum facie perterritus Ferdinandus, denuo eumdem Sfortiam Principem patresque adire, postulata innovare jubet: *Non minus publica in se voluntate fretum, quam necessitate adactum, iterum enixius Reipublicæ opem implorare: urgeri Stiriam a potentissimo hoste, fumare tecta, comburi domos, hostem libere vagari, cuncta ferro atque igne demetiri: exhaustas populorum vires, nervos belli deficere: quid aliud expectandum sit, nisi ut insolens Thrax, quacumque iter direxerit, cuncta dejiciat ac prosternat? quæ enim flumina, quæ arces in iis regionibus sistere, exundantis torrentis in morem, barbarorum impetum queant? Ea si (ut maxime verendum videtur) acciderint, an non illa quoque tabes Italiam invasura sit? itaque id subsidium petere, quod & sibi magno usui sit futurum, & nullo detrimento præstari possit: ejusmodi grati animi officio sibi in perpetuum nexum devinctumque optimum & religiosissimum Principem fore.* His atque aliis flectere Patrum mentes Sfortia adnixus est. In diversas sententias Patres scinduntur. Quidam pecuniæ subsidia, si acie instructa Ferdinandi ditiones hostes invadant, Rochespurgum oppidum aut oppugnent aut obsideant, pecuniam subministrandam censent. Alii superiori decreto insistendum arbitrantur. Res vehementibus disceptationibus acta. Cum nondum in suffragia itum esset, nuntii superveniunt, Pannones atque Haiducos (genus id hominum ferum atque agreste) receptum canere, atque in suas regiones regredi. Inde communi consensu in ejusmodi sententiam decretum, quo Sfortiæ responderetur, factum: *Quæcumque Ferdinandi intersint, eadem quoque cordi Senatui esse: siquid ejus ditionibus adversi immineat, propensum in se Reipublicæ animum non desideraturum.* Interim conciliare Boscajum Cæsari Bastius non cessat. Ille, si quæ antea efflagitaverat, sibi concedantur, adsensurum pollicetur. At cuncta irrito conatu agebantur. His audaciores facti Turcæ, Mehemete Visiro duce, Strigonium, Pannoniæ præcipuum munimentum, aggressi, pridie nonas octobris divi Francisci festo die, deditione recipiunt, ingenti propugnatorum probro, qui munitissimam arcem, totque laboribus ac sanguine superioribus annis receptam, turpissime barbaro, omni prorsus imposterum recuperandi spe amissa, tradidere. At nihilominus de concor-

Joannes Sfortia Purlilianus ad Venetos iterum missus, & ejus expositio.

Senatus responsum.

Strigonium a Turcis deditione captum.

concordia inter Cæsarem atque Achomatem denuo negotium agitari cœptum, Ernesto Molartio Budam, ut colloquia cum hoste haberet profecto. 1605

Mari minime coercita piratarum licentia, cunctis qui sibi rapinis quæstum quæsitabant, frena laxabantur; ut, ni acriora remedia Principum adhiberentur, in dies in pejus cuncta prolabi necesse esset. His ductus Angliæ Rex, Anglis piraticam penitus inhibet; edicto promulgato, Britannos Scotosque, terrimo quæstus genere relicto, domum redire jubet: bonorum invasiones, quas *represalias* vocant, prorsus vetat: ne navarchis ac nautis, qui in Angliæ portus se se receperint, vis inferatur, præcipit; qui prædones pœnis coerceant, deque gentis more summo afficiant supplicio, statuit. Insuper, navigiorum numero conflato, maria excurrere, atque in genus id hominum invehi jussit, qui negotiatoribus præsidio, prædonibus exitio sint. Naves bellicas exterorum Principum in Anglicanos portus tempestate delatas in tuto consistere decernit; litorum oppidorumque maritimorum incolis, ne latrociniis ablata aut quæsita coemant, recipiant, negotientur, interdicit. Ejus edicti per Henricum Hutonium, legatum, Senatum certiorem facit: addit, in ejus gratiam adjectum sancitumque, ut si forte Venetæ triremes aliave navigia in Anglicas naves inciderent, ni amicitiæ signa edant velaque demittant, in eas uti hostiles impetum facere, pugnare, demergere liceat. Id Patribus, qui sæpius de Britannorum injuriis damnisque illatis conquesti fuerant, pergratum extitit, summæque laudi Regi præclare in Rempublicam egregio argumento testatæ voluntatis gratiæ actæ. Ab Anglo hæc in Senatus gratiam facta.

Anglus Rex piraticam Anglis prohibet.

At Hispaniarum Regis præfecti non secus ac florente bello in navigia Venetorum impetum faciunt. Sanctæ Crucis marchio Neapolitanarum, Castellæ præses (*Adelantadum* vocant) Sicularum triremium ductores, explicatis vexillis, invehuntur; navarchos exquisitis tormentis excruciant, vi Christianorum bona quo rapinis fucum quærant, audæorum Turcarumque esse extorquent. Hæc Venetias allata, rei indignitate atque insolenti ausu cunctorum animos percellunt. Patres nihil prætermittendum, ut perfracta audacia reprimatur, statuunt. Graviter cum Cardineo legato expostulant:

Hispani præfecti damna Venetis navigiis inferunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605 *Veneti de damnis ab Hispanis illatis cum oratore conqueruntur.*

Talia in Veneta navigia committi, quæ nec in hostes quidem fierent: hæc ab optimi Regis mente aliena esse, certo sibi Senatum persuadere: nunquam alias auditum, triremes regias, expansis velis, sublatis signis, in Venetos impetum feciſse: an ejusmodi Rempublicam amicam promeritam? quamobrem quæ acta sint, Regi significet, excursiones maritimas penitus inhibeat, ablata restitui jubeat, in fontes animadvertat. Francisco Priolo, legato, eadem Philippo exponere præcipiunt: ad eumdem datæ literæ. Classis legato injunctum, ut triremes cogat, novo milite instruat; a Corcyra Zacynthum proficiscatur; circa Cytheram atque Honusam insulam, quibus in locis frequenter piratæ nidificant, maria perlustret; ne quid navigiis Venetis detrimenti accidat, curet; si qui aggressi fuerint, in eos acerrime decertet. Binas majores triremes armari (nam jam biennio subductæ fuerant) decretum; atque, ut tuto naves in Syriam iter haberent, præfectus iis daretur, latum. Marcus Lauretanus, maritimarum rerum usu præstans, lectus. Philippus de iis quæ acciderant, quæque a suis gesta fuerant, monitus, ne imposterum piratica a suis exerceretur, neve ex Neapolis Siciliæque regnis prædatoria navigia exirent, sanxit; de iis quæ a Sancta Cruce atque Adelantado acta fuerant, judicium Neapolis Siciliæque judicibus permisit; eaque per literas perque oratorem Reipublicæ significavit. At Patres de piraticæ inhibitione Regi gratias agunt; quod in rapinarum causa judices dederit, vehementer conqueruntur: *Extemplo reddi ablata, remque non per judices, sed inter Principes transigi, flagitant. Quem exitum superioribus annis ejusmodi negotia habuerint, quis ignoret? an non justum æquumque esset, ut negotiatoribus innoxiis damna sarciantur? obsoleta jam quæ de Turcis atque Judæis jactent, videri, qui bona eorum navigiis Venetis veluti tutissimis arcibus crediderint.* Sed frustra hæc adducebantur, unaque navigationis servandæ ratio videbatur, si, auctis classis Venetæ viribus, piratis metus incuteretur; in idque potissimum studium omne impendebatur.

Venetorum decreta ad incursiones inhibendas.

Marcus Lauretanus navibus in Syriam proficiscentium præfectus.

Philippus Rex piraticam suis prohibet.

Ceterum (quod perraro forsan cecidisse legitur) hæc inter, in Anglia in Regem regnique proceres detecta conjuratio est, quæ vel conjuratorum ausu, vel nefando consilio, vel ratione qua prodiit, stupore cunctos affecerit. Cum enim Rex ad Westmonasterium

regni

1605 *Conjuratio contra Jacobum Angliæ Regem detecta.*

regni comitia indixisset, duo in Angliam præcipui catholici, Thomas Percius, ac Robertus Catisbejus, acerrimo in Jacobum odio ob religionem incensi, de nece ei inferenda consilia ineunt. Percius vi & ferro agendum censebat; Catisbejus insidiis tentandum arbitrabatur. Silentium jurejurando pacti, alte pectori conditum consilium Catisbejus Percio promit; aulæ comitiis destinatæ subjectum fornicem tormentario pulvere, sulphure, sarmentis complendum esse: furtim igne admoto, prompte pabulo incrementa suscipiente, momento ingenti vi disjectum atque eversum, Regem, conjugem, filios & proceres simul oppressurum. Catisbeji astus Percio probatur; conceptum scelus aggrediuntur, subterraneum locum conducunt, tamquam in illum dolia atque res hujusmodi conjecturi. Inde sensim secreto stramentis pyrioque pulvere fornicem stipant: diem ad scelus patrandum constituunt. Viginti aureorum millia, si res voto succedat, impendenda cogunt; equos expeditos, quibus gestum in omnes regni partes proferatur, instruunt. An externos Principes, communicatis consiliis, ad opem ferendam invitent, ambigunt: ne impedimenta objiciantur veriti, facinus perfici satius existimant, confecto adjutores ac patrocinatores non defuturos. Consilium, alioqui tectum, densaque caligine involutum, divinitus insperato, antequam patrandi sceleris dies adsit, evulgatur. Forte Montilaqueo nobili cuidam, veteri religioni addicto, ut comitiis cum reliquis adesset, dies dicta erat; & quem summo amore prosequebatur Percius. Imminens fatum miseratus, per Hibernum quemdam epistolam absque nomine mittit: ne præstituta die comitiis interesit, si se salvum velit, monet; ingens si accesserit periculum subiturum; perlectam epistolam statim flammis donet; ambusta periculum omne depulsum iri. Literas alterius hominis esse, quamvis sibi Montilaqueus suadeat, attamen cum de summi momenti re ageretur, statim ad Salisberiensem comitem, primas apud Regem obtinentem, defert. Perlectas, licet Salisberiensis non magni æstimaret, Regi tamen ostendit. Hæret ille, ingens flagitium iis significari ratus; sedulo maturat, expendit verba, quæ periculum ita cito discussum iri, ac literæ comburantur, affirmant, examinat, permittat. De cuniculo incendendo, quo publicæ comitiorum ædes momento excindantur, atque

in

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605 in aera dispergantur, agi inquit. Quid enim tam brevi momento, nisi ignis tormentariique pulveris fulminea vi, conficiatur? Itaque fornicis penitiora excuti jubet. Abdita, superjecta lignorum strue, fraus delitescebat. Jussus depromere atrienſis, cujusnam acervus ille lignorum esset, Thomæ Percii, respondit. Adjicit Montilaqueus, ab eo exaratam epistolam suspicari. Noctu Percii famulus intercipitur: penes illum cum silice calybs repertus; amotis lignis, dolus recluditur. Tormentarii pulveris sex ac triginta capsulæ inventæ feruntur. Scelus omne Percii famulus aperit; infectam rem fuisse, facem non intulisse, angi: sceleris socium habere neminem: divino nutu id aggressum: religioni caput extollenti, malum genium invidisse: non infimo se loco natum, alienum sibi indidisse nomen; Vitum Fauchium gentilicio nuncupari. Sed qui consortes facinoris pernegaverat, acerba fidicularum pœna territus ac dejectus cuncta fatetur: cuniculorum conficiendorum artes in Belgio didicisse, Catisbejum & Percium consilii participes habuisse; proximas palatio ab iis ædes conductas; alto omnia se silentio tecturos jurejurando, tactis aris, pollicitos: noctu effodiendo hiatum ejusmodi aperuisse, quo in fornicem comitiorum aulæ suppositum aditus erat; ad rem opportunius perficiendam, Percium subterraneam ab atrienſi cellam conduxisse, quam deinde sarmentis ac pulvere oppleverant: dilata sæpius comitia patrandæ rei opportunitatem abstulisse. Vitum ut socii interceptum cognoverunt, fuga se subducunt; dolo irrito ad arma confugiunt; perditos homines sibi adsciscunt; milites cogunt; catholicam religionem sceleri prætendunt. Insaniæ vix centenos asseclas habent: a provincialibus præfectis impetiti, in arcem confugiunt, obsidentur, igne ferroque petuntur; pressi, perfractis portis, in confertos milites, desperatione adacti, præcipites ruunt: glande ferrea Catisbejus interficitur, Percius graviter cæsus, vulneri medelam respuens, post triduum obit: ceteri vincti Londinum trahuntur. At in eos, qui catholicam religionem colunt, vulgus fremere; in exterorum Principum legatos invehi, maledictis proscindere. Rex ad plebem sedandam edictum emittit: nihil in ea conjuratione ab externis Principibus actum: Catisbeji Perciique cadavera per lutulentas semitas pertracta, pœnas dedere: reli-

reliqui, sectis cervicibus, more gentis evulsis præcordiis, interempti. Ejus rei exitum per Hutonium Jacobus Patribus significavit. Senatus consulto Nicolao Molino, legato, mandatum: Regi depulsum divino nutu periculum gratuletur. Literæ insuper additæ, quibus, quam id gratum Reipublicæ extitisset, declarabatur. 1605

Ceterum suspiciones in Italia exortæ nondum comprimi poterant. Fuentanus comes novi aliquid semper moliri: vel in Rhætos infensus, quod perstare in Veneto fœdere decrevissent; vel veritus, ne ex arcta Senatus cum Henrico amicitia, consiliorumque communione, aliquid ad convellendam Hispanorum potentiam tandem erumperet. Inde militum delectus habere, de novis arcibus extruendis, veteribus sarciendis, atque novis propugnaculis firmandis in Venetorum finibus cogitare. Ea ut diffidiorum seges amputaretur, Inicum Cardineum, Regis legatum, Senatus consulto ad se Patres vocant: ostendunt, non aliam ob causam cum Rhætis finitimis fœdus junxisse, quam, ut se resque suas tueantur: non in aliorum perniciem ictum; non ejusmodi consilia Reipublicæ, neminem lædere assuetæ, quæ summa semper benevolentia atque observantia Hispaniarum Reges prosecuta sit: dummodo sancita fœdera, sarta tectaque permaneant, nullam concordiæ rationem aspernaturos: ob id nuper Padavinum in Rhætiam, ut cuncta pacate ac tranquille definiantur, misisse. Idem quoque Francisco Priolo, apud Philippum oratori, scriptum: quo dissipatos in aula sermones veritatis objectu discutiat. Quæ vero cum Cardineo egerint, Fraxineo legato exponunt; Henrici sententiam amplexos, qui experiundum potius consilio quam armis arbitrabatur. Ad Padavinum quoque datæ literæ: si, salvis Reipublicæ juribus, componi controversiæ possint, adsensurum: si ab Casato, Fuentani legato, proponatur, ut transitum copiis ad Venetorum defensionem per eorum fines Rhæti permittant, modo ne in Insubres arma ferant, quemadmodum fœdere continebatur, illico Senatum certiorem faciat, ejusque sententiam expectet. Interea literæ Madritum perveniunt de iis quæ Cardineo Patres, quæque Priolus in Hispania significaverat. Nubes, quæ publicam tranquillitatem turbatura videbatur, Fuentano ad saniora pacatioraque consilia traducto, discussa est. Padavino redituro in patriam petenti, Antonius

Venetorum cum Hispanis de Rhætorum fœdere officia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605 tonius Maria Vincentius in obeundo apud Rhætos munere sufficitur.

Antonius Maria Vincentius in Rhætos mittitur.

In Illyrico ob Uscochorum incursus nonnihil turbatum, finitimis Turcis querelas miscentibus, quod per Reipublicæ fines in eorum agros se intulissent, jumenta abegissent, captivos homines effeciissent. Literis atque omni officii genere cum Cæsare ac Ferdinando actum, ut eos motus comprimerent, neque genti per Venetas ditiones transitum permitterent, ne finitimum hostem concirent, potentissimumque Regem in Rempublicam lacesserent. Andreæ Gabrielio imperatum, quæ in Adriatico sinu triremes sint, coactis, e Murlacæ euripo exeuntes Uscochos adoriatur; neque ulla iis ratione, juxta ea, in quæ cum Rebata Paschalicus convenerat, egressum permittat. Quoniam vero termini inter Venetas ac turcicas ditiones ab Jacobo Superantio post initam cum Selimo pacem positi, longius sese Turcis inferentibus, amoti fuerant, plurimumque agri Jadertinis finitimi usurpaverant; ab Achomate petitum, ut, denuo locis inspectis, juxta initas Superantii tempore pactiones termini statuerentur. Id, Octaviano Bono, legato, curante, impetratum, ab Gabrielio in ea provincia confectum est. In id ut facile Achomates consentiret, postulatorum æquitas non modo, sed rerum turcicarum status effecerat. Nam bellum a Persarum Rege illatum, post Taurisium occupatum recruduerat. Etenim cum Assanes Cicala in latissima Vani planitie una cum Cehurdorum duce Chioseique Seferi Arziruni Bassæ copiis castra locasset, ab Persarum Rege legati cum literis muneribusque ad illum accedunt, propensum in pacem Persæ animum significant. Cicala, nihil amplius sibi pertimescendum ratus, negligentius militaria munera obit. Persa solertia atque astu vincere assuetus, qui haud procul centum millium expeditorum equitum in armis habebat, cum quinquaginta millibus inopinantem aggreditur. Atrox prælium initur; victor Persa in Vanum oppidum Cicalam propellit, idque statim obsidione cingit. Eodemque anno Sigismundus Poloniæ Rex, filio suscepto, ut sacro baptismati abluendo interesit, amantissimis literis Principem invitat. Ad illum Aloysius Foscarenus, legatus est designatus. Finium quoque controver-

Persarum contra Assanem Cicalam victoria.

Sigismundus Rex Reipublicam, ut filii baptismati interesit, invitat.

versiis, quæ diu mutuis damnis atque injuriis Vicetinos & Oeniponti comitatus incolas exercuerant, ab Cæsare ac Maximiliano, Senatuque missis procuratoribus, finis est impositus. Gaudentius Madrutius ab illis, a Senatu Nicolaus Contarenus lecti; qui, finibus, accurate inspectis, Roveretum convenere; ibique cum publicis tum privatis discussis rationibus, certos limites, quibus in posterum omnis dissidiorum materia amputaretur, statuendos sanxere.

1605 *Controversiæ de finibus Vicetinis compositæ.*

Finis Libri Decimisexti.



BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

EPI-

EPITOME.

INgens exarſit inter Paullum V. Pontificem & Venetos contentio, cum Pontifex, ut Veneti leges ſuas abrogarent, atque eorum magiſtratus a clericis manus abſtinerent, poſtularet, contra Veneti jura ſua acerrime tuerentur. Marinus interea Grimanus, Reipublicae Princeps, fato functus eſt, ac Leonardus Donatus ad principatum elatus. Ad Pontificem extra ordinem legatus eſt Petrus Duodus, eique in mandatis datum, ut, quod ſaepe ante per literas perque Nanium, ordinarium oratorem, factitatum pariter fuerat, & propenſam erga ipſum Reipublicae voluntatem Pontifici ſignificaret, & quae eſſent Reipublicae jura, eumdem doceret. Paullo nihilominus intentatum eccleſiaſticum fulmen intorquere placuit. Ducem ac Senatum a fidelium coetu ſejunxit; univerſae Venetae ditioni ſacris interdixit. Nequis vero intra Veneti imperii fines pontificias literas evulgare auderet, ſimul ne quas concitata plebs turbas daret, maxima ſolertia, claſſe etiam & terreſtribus copiis auctis, cautum eſt. Tum ſparſis in vulgus libellis, utrimque enthymematis certatum; deinde res ad juſtum bellum ſpectare viſa eſt. Delectus utrimque habiti, ceterique apparatus facti. Univerſis tamen Europae Principibus in id intentis, ut priori amicitia Venetorum & Pontificis animi coaleſcerent, tandem Jojeuſae Cardinalis, cui id Galliae Rex mandaverat, potiſſimum opera, unanimi Pontificis & Venetorum conſenſu, lis omnis dirempta, atque amice compoſita eſt.



HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER DECIMUSSEPTIMUS.



IN extrema fere operoſi hujuſce laboris parte id præfari liceat, quod initio, dum manum huic ſcriptioni admoverem, dixiſſe memini; procul ira, amore, odio, quæ proſtremis hiſce temporibus contigere, me literis mandaturum. De acerrimis inter Paulum quintum Pontificem Maximum ac Venetos diſſidiis ſcripturum, nullus me a veritate promenda affectus abducet; non acres controverſiæ agitatæ, quibus vel in Patrum collegio, vel in Senatu interfui; non inexpectato ejaculatum in Rempublicam fulmen; non denique inſitus amor in patriam a munere ſuſcepto avocabunt. De his, inquam, diſſidiis, quæ ex parvis orta initiis, adeo ſe extulere, ut per Italiam atque Europam omnem pervagata, ex ſcriptorum contentione in cruentum fere bellum, quo publica quies, reipublicæ chriſtianæ ſtatus, religio denique ipſa in 1605

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605 in diſcrimen vocabantur, exarſere. Vix enim Paulus quintus pontificatus limen attigerat, cum omnia ſedulo in Italia decreta Principum, Senatus conſulta, leges circumſpctare cœpit; ut, ſi ulla in re vel pontificatus majeſtatem, vel Eccleſiæ dignitatem ac libertatem læſam arbitraretur, invictum eccleſiaſtici decoris patrocinatorem ac defenſorem profeſſus acerrime vindicaret. Inde Genuenſium decreta nonnulla ut facile abrogarentur impetraverat. Eamdem vero de Venetis palmam relaturum ratus, patentes iis, qui male in Rempublicam animati erant, aures præbere, allata diſquirere cœpit.

Initium a Vicetini, e Saracenorum familia, Canonici, nondum majoribus ſacris initiati, petulanti libidine exortum; qui cum, matronæ cujuſdam amore captus, affinitatis ſpecie, aditum ſibi ad eam aperuiſſet, nullis minis aut precibus in ſuam ſententiam pellicere potuiſſet, amore in rabiem verſo, inſigni dedecore eam afficere decreverat, quo tetrius nullum honeſtæ mulieri accidere poteſt; domus illius fores noctu turpiſſime fœdaverat. Ea re luce per civitatem vulgata, cum reus facinoris ignoraretur, mulier Venetias convolat; Decemviros adit, orat, obteſtatur; honori ſuo ac famæ, cui indigna a ſceleſtis inuſta fuerat nota, pro ampliſſimi magiſtratus auctoritate conſulant. Decemvirum collegium intolerandum exiſtimans ejuſmodi homines in præcipuis civitatibus inveniri, qui muliebri pudicitiæ inſidias ſtruant, voti impotentes, exitium pudoris ac honeſtatis machinentur, Vicetino magiſtratui mandat, quis facinoris reus ſit, diligenter perquirat. Illum cum multorum teſtium dictis Saracenum fuiſſe conſtaret, idemque per ſummum ſcelus publica quædam ſigilla abraſiſſe deprehenderetur, a Decemviris in judicium vocatur. Id Romæ nunciatum, obſcure initio adrepens, tandem ad Pontificem defertur; qui ſtatim Joannem Delphinum, Cardinalem, Vicetinum Epiſcopum, ad ſe vocat; quid iſthuc rei ſit, exquirit. Re cognita, Auguſtino Nanio, legato, accerſito, quamprimum Saracenum Antiſtiti remitti a Senatu poſtulet, petit.

Levi hac arrepta opportunitate non deſunt, qui inteſtino in Ve-

Venetos odio æſtuantes, faciles iis aures præbiturum Pontifi- 1605
cem aggrediantur. Duo Senatus conſulta ad eum perferunt: alterum anni M. DC. V. xvij. kalendas aprilis, quo cavetur, ut, quod a majoribus anno M. D. XXXVI. in Venetiarum civitate ac ducatu ſancitum fuerat, id in reliquis Reipublicæ civitatibus ac ditionibus ſervaretur, *ut nullus teſtamento, venditione, aliave cauſa bona immobilia perpetuo eccleſiaſticis relinquere, vendere, alienare inconſulto Senatu queat: biennio tranſacto, bonis divenditis, pretia eiſdem pro legatis venditis aſſignentur*. Alterum anni M. DC. III. iiij. idus januarii, quo, *ne eccleſiæ, xenodochia, monaſteria exſtrui, neve novi religioſorum cœtus ac ſocietates, abſque Senatus permiſſu, induci poſſint, graviſſimis pœnis prohibetur*. His perlectis legibus, imminutam a Republica Eccleſiæ libertatem, Pontifex, convulſam ſuam juriſdictionem, meſſi alienæ manum a Senatu admotam conqueritur: non illi de eccleſiis, non de eccleſiaſticis perſonis rebuſque ſtatuere, decreta condere, leges ferre datum: ſui pontificatus tempore vel tantillum a ſæculi Principibus jura Eccleſiæ vel lædi vel imminui non paſſurum: Senatui ſcribat; quamprimum leges abroget, ex publicis monumentis deleat; id niſi ex priſca Patrum ſibi religione ac pietate pollicitum fuerit, nihil vel ad vindicandam eccleſiaſticam libertatem, vel ad tuendam amplitudinem præcipuæ in terris dignitatis prætermiſſurum. Quoniam vero per eos dies Brandolinus, Nerveſiæ abbas, ob nefaria ſcelera, quæ ob atrocitatem ſilere præſtat, Decemvirum juſſu in carceres conjectus fuerat; acrius inſtat, ut una cum Saraceno, Horatio Matthæjo, Epiſcopo Hieracenſi, apud Rempublicam Nuntio, remittatur: non Principum, ſed ſacerdotum judicio clericorum crimina ſubjici oportere. Eadem, quæ a Pontifice Nanio dicta fuerant, a Matthæjo in Principis Patrumque Collegio acri ac vehementi ſermone explicantur. Patres Senatus conſulto reſpondent, nihil novi Rempublicam feciſſe, quæ majorum leges, longa temporum ſerie probatas, primaria in urbe ſervatas, inſtauraverit, ac in reliquis ditionibus promulgari juſſerit: jam anno M. D. XXXVI. de non alienandis, Principe inconſulto, laicorum bonis, nemine contradicente, legem latam adhuc vigere; in majoribus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605 bus comitiis trecentis ab hinc annis decreto vetitum, ne Reipublicæ injussu ecclesiæ, xenodochia Venetiis instituerentur, neve novorum religiosorum cœtus ac sodalitia inducerentur: una cum Republica in gravissimis criminibus quodcumque genus hominum judicandi morem exortum, summorum Pontificum diplomatibus ac privilegiis confirmatum: itaque Paulum, ut acquiescat, rogare, neve gravissimis turbulentissimisque temporibus, quibus barbarorum arma in foribus Italiæ perstreperent, sibi obsequentissimos filios turbare vellet: enim vero nullis neque precibus neque rationibus aut demoveri, aut flecti Paulus poterat.

Jam quatuor ad eum oratores lecti Romam pervenerant, atque perhonorifica legatione in Apostolicam Sedem cultum, in Pontificem observantiam patefecerant. Franciscus Contarenus in Regum aula, in qua Veneti oratores excipi solent, gravem luculentamque orationem habuerat, qua conciliare sibi Pontificis animum quacumque ratione nixus, temporum calamitate, communium hostium potentia ob oculos positis, cum veteribus tum recentibus Reipublicæ meritis commemoratis, ingentem ad Purpuratos, atque omnes qui frequentissimi ad eum audiendum confluxerant, prudentiæ atque eloquentiæ laudem tulerat. Jam superioribus mensibus Scipio Burghesius, Cardinalis, Pauli nepos; Franciscus ac Joannes Baptista, fratres, in patriciorum cœtum (qui summus honos, Regibusque expetitus est) cooptati fuerant, quod ad promerendum pontificatus studium ac voluntatem egregium videbatur. Attamen ille privato cum oratoribus alloquio, Ecclesiæ jura Reipublicæ mirum in modum commendat: leges abrogari, clericos sacerdotum judicio permitti flagitat. Illi graviter ac pro Reipublicæ dignitate respondent. Denuo petit, ut quam primum in patriam reversi, ejus mentem Senatui exponant; ni satis ei fiat, invitum, quid dignitas Apostolicæ Sedis, quid ecclesiastica libertas exposcat, acturum. Inde adjicit, quod ære alieno, difficillimis temporibus antiquitus contracto, se absolvere nihil erogando Senatus decreverit; id haud parvo sacratorum virorum detrimento futurum: quod mutuis pecuniæ commerciis Ferrarienſibus negotiatoribus sit interdictum: quod suis in Adriatico sinu navigatio tuta libera-

beraque non sit: quod Phari Antistes e Venetis ditionibus 1605
sit ejectus, conqueritur. Quibus facile conjectu erat, malevolos, atque in Venetum nomen infensos homines ejus in Rempublicam animum exasperasse. Iis cum oratores exacte respondissent, quæ præterea a Senatu in mandatis habent, exponunt; ac primum, ne nuper electus Antistes Romam examinandus accedat, petunt. Id se aperte concessurum Paulus negat. Sacerdotum decumas, ad Rempublicam gravissima impensarum mole, aliqua parte levandam, nunquam pernegatas, flagitant. Quid sibi in ea re decernendum sit, cogitaturum, respondet. Cenetensium controversiæ, quæ jamdiu inter Apostolicam Sedem ac Rempublicam vigebant, ut tandem definiantur, rogant. Immaturum negotium esse, inquit. Nulla re impetrata, oratores discedunt.

Interea acrius instat, urget per Nanium, perque Matthæjum, ne mora amplius adhibeatur. Matthæjus in Principis ac Patrum Collegio gravi ac severo supercilio enunciat, æternæ damnationi obnoxios, qui leges condidere: Pontificem irritas nullasque declarare: reos clericos in judicium vocare nefas esse: petere, ut quamprimum Respublica obtemperet. Ea, ut moris est, in Senatu recitata, incredibile dictu, quanta Patrum mentes admiratione ac stupore defixerint. Insueta, inaudita cunctis Pontificis postulata videbantur, qui, vix inito pontificatu, ad concutienda Reipublicæ libertatis fundamenta, leges evertendas, Senatus decreta tollenda, animum adjecerit. Fit Senatus consultum, ut ei per oratorem significetur: *Summa animi perturbatione ac mœrore, quæ cum a Nanio accepissent, tum a Matthæjo exposita sint, audisse; publicum nimirum libertatem, quietem, leges funditus exscindi, eas leges, inquam, quibus sapientia ac religione insignes viri per tot temporum spatia florentem pacis bellique artibus Rempublicam posteris reliquerint: de iis quæ ad illam recte administrandam pertinent, Senatum, qui nullum post Deum in terris judicem aut censorem agnoscat, aliud rationem reddere non consuevisse: pro illius tamen in Sanctissimum Sedem, quam majores summo semper cultu prosequuti fuerant, reverentia, atque in illum observantia, quæ ad leges condendas* Senatus responsum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605 *impulerint, quo jure Respublica in fontes ecclesiasticos animadverterit, minime reticenda duxisse : non odio in ecclesiasticos viros bonaque permotam, utpote quæ ad pietatem ac religionem colendam retinendamque pertinent, nulli unquam cesserit ; sed ad Reipublicæ firmamentum, ad civium statum, ad subditorum incolumitatem, majorum exemplo leges condidisse : non id moliri, ne ecclesiæ exstruantur, quæ complures ac splendidissimæ in Veneto imperio conspiciuntur : non id cogitare, ne novæ religiones admittantur, quarum perfugium Veneta civitas semper exstiterit : id tantum, ne Senatu inconsulto atque invito fiat, cavisse : nihil ab ecclesiis peti, nihil postulari, sed ut sacrati homines iis, quæ possident, quæ sane amplissima sunt, contenti, laicis, quæ remanent adhuc immobilia bona, inscio ac reluctante Principe, ne auferant, eripiant, cum præsertim pretii tantumdem erogetur : demum novi nihil adversus religiosos viros, quod in jus vocentur, agi, vetere jam inde a Reipublicæ initiis instituto, a summis Pontificibus amplissimis literis sæpe probato, in graviorum criminum reos clericos, magistratus sententiam dicere solitos : gravissimum Saraceni canonici crimen esse, qui publica sigillorum abrasione majestatem læserit, qui honestæ mulieris famam in perillustri civitate fœdaverit : nisi gravissimi magistratus auctoritate consceleratorum hominum plectatur audacia, nusquam matronarum pudorem, familiarum decus tutum atque intactum fore : postremo in omne facinorum genus prolapsum Brandolinum abbatem, Decemvirum jussu merito vinctum, carceribus detineri.* Quæ suprema illius Collegii auctoritas sit, Pontifex docetur : eo quietem ac tranquillitatem publicam niti ; cives quantumvis dignitatibus insignes, se Decemvirum judicio subducere non posse ; quæ illi decreverint rata sanctaque ab omnibus haberi : nulli, nisi Deo Optimo Maximo, actorum rationes reddere. Multa his addita, quibus Pontificem a sententia discedere, leniri, ac flecti posse sperandum videbatur, eoque magis, quod Senatus frequens cunctis suffragiis decretum tulisset.

At conceptæ sententiæ firmius, ac tenacius inhærens ; sacris legibus, conciliorum auctoritati, ecclesiasticæ libertati pugnantia Senatus decreta esse contendit ; Pontificum diplomata

mata ac privilegia, quæ ad se missa fuerant, nihili ducit. 1605
Nanius ratione, veteribus institutis, aliarum gentium moribus Reipublicæ causam tuetur. *Cur enim, quæ jam inde a Venetorum cunabulis leges moresque viguerint, ea modo labefactanda atque infringenda sint ? An Principi subjectis imperare non liceat ? an cuncta tandem in ecclesiasticos confluere sinat, ut, nervis imperii debilitatis ac retusis, tandem Respublica contabescens intereat ? Quid enim id aliud est, quam viribus spirituque nudatam prodere, atque per summam impietatem jugulare ? Quid injuriæ aut damni sacratis viris inferatur, si bonorum precia, quibus pro libitu uti queant, persolvantur ? An non idem in Gallia, Lusitania, Sarmatia, Germania, plerisque Italiæ locis factum esse ? an non Clementem, Sanctissimum ac prudentissimum Pontificem, Lauretanam domum, indies fidelium undique congestis donis, sese efferentem compressisse, neve agros circumjectos ad se traheret, imposterum vetuisse ?* Ad ea Paulus, *Quod veteri consuetudine Respublica nitatur, id ei potius officere,* contendit : *in re summi momenti hucusque erratum ; qui ejusmodi condidere decreta, æternis cruciatibus torqueri, quod Ecclesiæ libertatem violarint, quod in sacratos viros leges tulerint, quod limites sibi a jure præscriptos transilierint. Quod vero de Lauretana domo dicatur, nihil esse : Clementem sacrorum supremum Antistitem, & eumdem ecclesiasticarum ditionum principem, iis legibus adstrictum non fuisse : ab ipso metipso Antistite facultatem de Lauretana domo decretum condendi principem obtinuisse. Si vero aliarum gentium instituta ac mores percenseantur nihil nisi ex Sedis Apostolicæ auctoritate actum : idem & Senatus ab eo peteret ; re inspecta, si ita videretur, concessurum.* Augustini Nanii cum Pontifice disceptationes.

Tum Nanius : *Condendarum igitur legum facultatem a Pontifice Senatus petet ? Spernendum principatum, insitam rempublicam, si in iis, quæ ad alius statum vel servandum vel augendum pertinent, ab aliorum nutu pendeat, ab aliis leges exposcat. Hæccine erit illa humanorum principatuum auctoritas ac potestas, quam a Deo Optimo Maximo, nulli alii præterea, acceptam Principes reipublicæque liberæ referant ? Quis vero æqua animo audiat, majore*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605 *noſtros, ſanctiſſimos viros, quos ob egregie pro religione ac patria geſta, in cæleſti ſede locatos, feliciſſimo ævo perfrui credendum ſit, inferorum pœnis devotos, æternas præclare geſtorum pœnas pendere? Si ſedato animo, non turbulento hæc inſpexeris, Sanctiſſime Pater, nil niſi ſumma æquitate ac ratione a Senatu actum deprehendes.* Pari contentione de non conſtruendis eccleſiis, neque novis inducendis cœtibus diſceptatum. *Quod privatis in ſuo fundo ac laribus permittitur, minime Principi pernegandum*, Nanius diſſerit. *Id & æquitati conſonum, & ab aliarum provinciarum inſtitutis non abhorrens; a Romanis quoque ipſis ſedulo ſervatum, ne abſque Senatus Populique auctoritate collegia, ſodalitia urbe exciperentur, fana templave exædificarentur. An* (inquit) *quæ in ſuis urbibus, arcibus, oppidis geruntur, ignorare Principes debent? Si publicis ſubſtructionibus nova ædificia obſtent, negligere? cujuſvis generis hominum conciliabula admittere? Hancine liberam civitatem ac Rempublicam voces, in qua cuicumque, quod ſibi expedit, moliri liceat? Quis ignorat, baſilicas exſtructas, templa, quæ arcium ſecuritati officerent erecta, bello imminente, ſolo æquata eſſe? Huic incommodo obviam itum. Cui noxa infertur? quem lædit hoc Senatus decretum, quo potius eccleſiarum ſaluti incolumitatique conſulitur? Quis neſcit, ab exteris hominibus in populorum animis ea jaci ſemina, quæ nonnunquam in maximas turbulentaſque ruinas excreverint? Depravatos civium mores, civitatis uſus convulſos, ut, ſi in iis dignoſcendis vel inertia, vel injuria lapſum ſit, eo ſæpe res deductæ ſint, ut, malis invaleſcentibus, nullum remedium adhiberi potuerit. An vero paucæ religioſorum ſocietates in urbe Venetoque imperio cenſentur? Eccleſiæ, cœnobia, xenodochia, collegia, cœtus tam virorum quam mulierum in immenſum adeo aucti, ut, niſi cum ſummo delectu novi admittantur, de veteribus ac recentibus actum ſit. Quod apud Venetos religioſorum hominum genus non ſumma pietate excipitur? quantum ſtatis temporibus annonæ frumentariæ tribuitur? quoties auro atque argento e publico egentibus ſuccurritur? Teſtes ipſimet religioſi viri ac mulieres, quorum plerique omnibus iis abundant, quæ non modo ad vitam tuendam, ſed etiam cum*

cum bonorum affluentia degendam humanis votis exoptari ſolent. Hæc Nanius. Contra Paulus: *Quæ ad eccleſias ſacratoſque viros pertinent, non regii, ſed pontificii juris eſſe; in id canonum interpretes conſentire; decreta iis de rebus promulgare ſæculi Principibus vetitum; manifeſta adeo hæc eſſe, ut nullo neque exemplo neque ratione egeant.* Demum Nanius ad clericorum judicia tranſgreſſus; *Nullum fuiſſe tempus*, inquit, *quo in graviorum criminum ſontes clericos Reſpublica non animadvertit: ſi majorum monumenta evolvantur, ſi publicæ inſpiciantur tabulæ, per omnes ætates non modo in Venetiarum civitate ac diœceſi, ſed in univerſo imperio cunctis ditionibus de iis judicia habita: ea inſtituta cum Republica orta, diuturno uſu ſervata, Pontificum literis probata, ſumma cum moderatione exercita, ad ſubditorum tranquillitatem, ad pacem in civitatibus alendam neceſſaria, optimum legum interptretem uſum edocuiſſe. Xyſti* IIII. *Pontificis Maximi, Innocentii* VIII. *Alexandri* VI. *Clementis* VII. *Pauli* III. *diplomata exſtare, quæ Venetorum conſuetudines probent, inſtituta laudibus efferant, canonica* (*ut ajunt*) *initia habuiſſe affirment.* Ad hæc Pontifex: *Rempublicam legitimos terminos exceſſiſſe; jus in urbe Veneta ac ducatu ex Pauli* III. *decreto tantum obtinere; id cum in aliis civitatibus exercuerit, privilegiis excidiſſe.* Eo tandem redit: *Ni leges abrogentur, ni clerici remittantur, invitum, quid pontificiæ dignitati, Eccleſiæ libertati conveniat, non in Rempublicam odio incitatum, ſed munere ſibi a Deo Optimo Maximo concredito impulſum, effecturum.* Hæc concitato adeo animo enunciabantur, ut jam non amplius rationi locus relinqui videretur.

Harum diſſenſionum rumor Italiam non modo, ſed totam fere Europam pervaſerat, ac varie pro cujuſque ſtudio excipiebatur. Non deerant qui in Apoſtolicam Sedem atque in Italicum nomen infenſi, diuturna pace florentem provinciam bello implicari cuperent. Alii imminenti turbine, qui ex hiſce diſſidiis ſuboriri poterat, mirum in modum angebantur. Cæſar Pannonico bello diſtentus, ne ulterius ii motus ſeſe efferrent, optabat, cum inde barbarorum potentiam augeri, & ſibi cum potentiſſimo hoſte adimi dimicandi ſubſidia intelligeret. Sed harum rerum nuntiis in Hiſpa-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605 *Hiſpanorum procerum diverſa ſententiæ de diſſenſionibus Venetorum cum Pontifice.*

ſpaniam allatis, non una omnium ſententia fuerat. Pleriſque contentiones in Pontificem ac Venetos minime diſplicebant, quod Italorum Principum diſſenſionibus aditus ad regiam augendam potentiam amplior fieret : Pontificum ac Reipublicæ conjunctione nullum majus ad Italiæ dignitatem libertatemque firmamentum : ea ſi diſſolvatur, labare cuncta : non modo ad principatum augendum, ſed ad reliquos coercendos Principes fortunam ſenſim opportunitatem daturam. At qui regni gubernaculis præerant, Philippo minime conducere, ut Italica quies turbaretur, exiſtimabant, quippe qui magnam optimamque partem Italiæ poſſideret, quæ, bello exorto, in diſcrimen vocaretur. Exhauſtæque etiam continenti Belgico bello vires, Henrici Galliarum Regis fortitudo, durata aſſiduis præliis militia, haud parum deterrebant. Itaque qui ſagaci ingenio conjectabant, ali incendium eo uſque Hiſpanos paſſuros, donec in apertum bellum erumperet; ac tum demum, ne latius evagaretur, curaturos, arbitrabantur. In Gallia vero nunquam quieſcere ſolita, diſſimiles animi vulgus militum; atque ii proceres, quorum arma pace rubiginem contrahere videbantur, bellum externum cupere, uberem ac fecundam provinciam deſtinare, in qua ſi ſemel belli faces illuxiſſent, inextinguibili prope incendio conflagraturam. Rex autem ipſe potius pace, quam armis quaſſatam ſuperioribus tempeſtatibus Galliam firmari, priſtinaſque vires aſſumere poſſe ratus, magnam ex iis diſſidiis moleſtiam percipere, omnemque operam ac ſtudium Senatui ad eos motus ſedandos adhibiturum polliceri,

Interea oratores, qui gratulationis munus cum Pontifice impleverant, Venetias revertuntur; cumque nondum de more in Senatu retuliſſent, inſtare Pontifex, obteſtari, minari, ac ne minimam quidem cunctationem pati. Ea cum a legato crebris literis ſignificarentur, quod graviſſimis in rebus ſæpius Pontificum animos mulcere ac flectere uſu compertum erat, Senatus conſultum proponitur; ut orator Romam mittatur, qui Reipublicæ erga Sanctiſſimam Sedem obſequium, erga ipſummet Paulum obſervantiam declaret, uberius exactiuſque Senatus conſilia, rationes exponant; ſi forte vel delinitus officio vel ratione permotus miteſceret, cum certo

certo ſciret non obfirmato animo, neque diſſidiorum avido in ſententia Senatum permanere, verum pro legibus, pro libertate, quod eſt pro laribus ac focis, niti. 1605

Tum Leonardus Donatus, qui palam omnium Patrum ore legatus deſignabatur, ſuggeſtum conſcendens, gravi ac prolixa oratione præſentem reipublicæ chriſtianæ ſtatum deplorat, ut, quo tempore potentiſſimus hoſtis Pannoniam armis laceſſit, Caniſium ademit, Strigoniam occupavit; quo Stephanus Boſcajus ſociatis armis Stiriam ac vicina Italiæ loca, Scytharum barbarorumque colluvione immiſſa, depopulatur, eodem inexpectatus Italiæ turbo adeo ingens immineat. *Illud mortalium fortaſſe*, inquit, *errata, ut ab irato numine plectantur, commeruere. Tantorum vos ne igitur malorum origo, qui Rempublicam per manus vobis traditam ſanctiſſimis inſtitutis legibuſque munitam accepiſtis; qui majorum virtutes gloriamque æmulamini; qui pro dignitate, pro libertate graviſſima bella ſuſcepiſtis; pro religione, pro Apoſtolica Sede ſæpius ſanguinem fudiſtis; vexatos, impetitos, in omne miſeriarum genus prolapſos Romanos Pontifices ſublevaſtis, ac propriis veluti humeris ejectos in propriam ſedem reſtituiſtis? Et nunc, prob dolor! eo ventum eſt, ut in decreta ſapientiſſimi hujuſce Senatus impetus fiat. Abrogari leges, everti judicia, fundamenta libertatis quaſi cuncta miſceri, id demum ſummum jus habeatur: quæ ſi permittitis, jam vobis de imperio actum eſt; jam diadema illud, quo caput Reipublicæ refulget, dejiciendum. Sed quid hæc commemorem, quaſi vero de magnanimitate ac conſtantia veſtra ambigam, qui toties, ſpretis periculis, proculcatis adverſis, invictum animum præſtitiſtis? Via hac regia hoc quoque tempore incedendum; hoc uno franci adverſus conatus poſſe exploratum eſt. Etenim ſi in decretis veſtris invictum robur, in animis vivam virtutem ineſſe deprehenderint: quis ambigat, eos fluctus plena conſtantia abjecturos? At ſi parum firmos mutanteſque cognoverint, acrius inſurrecturos, nec unquam, niſi quæ velint conſequantur, quieturos? Neque ego, ait, ego ſum, qui legationem probem, cum Pontificis adeo obfirmatum animum eſſe animadvertam, ut potius ſpiritus inde majores ſumptu-*

Leonardi Donati oratio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1605 *pturum, nimiumque iſtud obſequium metui tributurum exiſtimem. Quid enim afferri adeo in æqua cauſa poteſt, quod vel ab ordinario oratore vel a Senatu omiſſum fuerit? Quod ſi tanta in hac vobis legatione ops reponenda videtur, ut placari Paulum vobiſque conciliari poſſe arbitremini; id me facile a vobis impetraturum ſpero, ne confectum ſenio, tot perfunctum vel apud chriſtianos vel apud barbaros Principes legationibus, hoc anni tempore, media hieme, inclementi ac rigido cælo Romam mittatis. Non enim præſtantes cives patriæ deerunt, qui firmi viribus ætatiſque robore id munus patriæ libentiſſime perſolvant.* His in hanc fere ſententiam a Donato enunciatis, cum in ſuffragia itum eſſet, cunctis fere calculis de oratore eligendo decretum latum eſt. Ipſemet Donatus ſtatim lectus: civis religione, integritate, prudentia, eloquentia, maximarumque rerum uſu percelebris, qui ætatem graviſſimis negotiis, difficillimis temporibus, bello & pace cum domi tum foris apud Europæ atque Aſiæ Principes legatus contriverat, ſeptieſque eodem Romæ perfunctus munere, ingentem ſibi gloriam ſummo cum patriæ fructu comparaverat.

Leonardus Donatus ad Pontificem orator.

Ea illuſtri ſignificatione ſanctiſſimoque legationis nomine averti ac ſiſti poſſe Pontificis conſilia Patres arbitrabantur, ſperandumque videbatur. Cum natali Servatoris die, dum Senatores, ut divino miſſæ ſacrificio intereſſent, in aulam conveniſſent; dum Marinus Grimanus per multos dies graviſſimo conflictatus morbo animam ageret, Horatius Matthæjus accedit; ac præter morem, non integro eorum, qui publicis conſultationibus præſunt, numero, binas Pontificis nomine Conſiliariis literas exhibet, quas hortatorias ac minatorias vocant. Iis ut Senatus tandem mandatis obtemperet, petere Pontificem, aſſerit; ni id faciat, gravia interminari: adhuc Patribus voluntati illius morem gerere permiſſum. Pauca ſubnectit, quibus coactum ſe ſuo ſatisfeciſſe muneri affirmat. Breviter reſponſum: *Mirari, quod tam ſolemni die, qui lætitiæ ac jucunditatis plenus eſſe ſolet, quo Deo Optimo Maximo pro eximia in humanum genus pietate agendæ ſint gratiæ; hoc, inquam, tempore, quo miſſarum ſolemnibus Senatui una cum Principum oratoribus adſiſtendum eſt, feralem hunc atque acerbitatis plenum nuntium attulerit: opportune, perlectis literis, Senatum reſponſurum.* Nocte inſequente Marinus Grimanus, Princeps, cum per decem ferme annos principatum geſſiſſet, exceſſit: felicitatis, quo illud inierat, nunquam interrupto curſu celebris, religione vero & charitate in patriam, quam reliquæ Principe dignæ comitabantur virtutes, inſignis. Ne Pontificis literæ ante novi Ducis creationem reſignarentur de Præconſultorum ſententia decretum. Grimani obitum Regum ac Principum oratores cum ſexviris, qui a Principis exceſſu uſque ad ſucceſſoris creationem in palatio degunt, dolent; unus Matthæjus Nuntius ab eo Ducis optimi memoriæ perſolvendo munere abſtinuit. Poſt exequias, perplexa illa comitiorum ratione, majorum ſolertia excogitata, de novo eligendo Principe agi cœptum. Matthæjo Pontifex præcipit, ut uno ac quadraginta Senatoribus, qui ex veteri inſtituto Principis electioni incumbebant, denunciet: *Quod nexu excommunicationis adſtringantur, non poſſe in demortui locum ſufficere.* Idque acturus erat Matthæjus, ſi Collegium, quod a Ducis obitu oratores admittere legibus prohibetur, adire licuiſſet. Interim re maturius perſpecta, quæ ex pravo conſilio incommoda ſuboriri poſſent, animadverſis, ut inſueta denunciatione abſtineret, Nuncio reſcriptum eſt.

Horatius Matthæjus, legatus, literas minatorias Conſiliariis exhibet.

1605

Marini Grimani Principis obitus.

M. DC. VI.

1606 LEonardus Donatus, Eques ac Marcius Procurator, Senatu univerſoque patricio ordine plaudente, totaque acclamante civitate, quarto idus januarii Marino Grimano ſuffectus eſt; principatuſque inſignibus inauguratus ſupremum magiſtratum iniit. Dum vero ſuggeſtum [illegible] quod *naviculam* vocant, navalium virorum humeris per forum de more geſtaretur, ſuperſtitioſi homines in futurarum diſſenſionum omen traxere, pueros niveis pilarum globis (nam per eos dies affatim nix cælo defluxerat) de die factis certantes; in palatii portæ ingreſſu haſtile, quo vexillum Reipublicæ ſuſtentabatur, perfractum; paſſimque plebis voces bellum inclamantes. Nec deerant, qui vaticinos verſus evulgarent, quibus Italiæ ingentes eo anno portendi calamitates prænun-

Leonardus Donatus ad principatum erectus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 prænuntiabantur. Ita humanum genus nonnunquam hiſce præſtigiis eluditur, futurarumque rerum ignarum inveſtigandi curioſitate circumagitur. Prima cura novo Duci fuit, ut Pontificis literæ perlegerentur. Binæ erant, quinto idus decembris datæ, ejuſdem prorſus exempli; idque poſtea Matthæji errore factum, compertum eſt. Summa fuit: *Pro pontificatus munere Eccleſiæ jura ac immunitates tueri Paulum cogitantem, leges nonnullas partim a majoribus partim a Senatu ipſo latas, quæ eccleſiaſticæ libertati maxime officerent, animadvertiſſe; quarum prior erat anni* M. DC. III. *de novis eccleſiis non exſtruendis, religioſiſve cœtibus abſque Senatus auctoritate inducendis: altera de immobilibus eodem inconſulto in eccleſiaſticis non alienandis; quæ antea anno* M.D.XXXVI. *in civitate ac ducatu lata, nuper ad cunctas Venetas ditiones extenſa fuerat: eas porro leges juri libertatique eccleſiæ adverſari; qui antea condidiſſent, æternæ damnationis pœnas luere; Senatum excommunicationis* latæ (*ut ajunt*) ſententiæ *ſubjacere: irrita nullaque hæc decreta pronunciare: ut quamprimum abrogentur, atque e tabulis publicis eximantur, jubere: id in omnibus imperii Veneti civitatibus vulgari, ſeque ſtatim certiorem fieri, præcipere: niſi mandatis Patres obtemperent, eccleſiaſticum fulmen interdictumque adhibiturum.* Hæc ferme literarum ſententia fuit; quæ cum in frequentiſſimo Senatu recitarentur, dici non poteſt, quantum rei novitate, ac præſertim in majores ſanctiſſimos viros jactatis conviciis ac probris, exarſerit. Sed animi impetus magnis rebus aſſueta Patrum prudentia repreſſit, ne irarum ſtimulis perciti, aliquid de Reipublicæ erga Apoſtolicam Sedem reverentia imminuerent.

Literarum Pontificiarum ſententia.

Petrus Duodus ad Pontificem orator. Senatus ad Pontif. literas reſpõſum.

Itaque Donati Principis loco, Petrus Duodus, orator ad Pontificem deſignatur, civis eximia doctrina, pietate, rerumque uſu præſtans. Mox pontificiis literis Senatus conſulto reſponſum: *Non ſine ingenti animi mœrore atque admiratione, quæ binis eadem die eodem exemplo datis literis continerentur, cognoviſſe: de tollendis etenim iis legibus agi, quibus a trecentis annis imperium majores adminiſtraverint; quos ſane cum beatiſſimis ſpiritibus in cælo Deo Optimo Maximo adſiſtere ſperandum ſit: nam quod ad eccleſias abſque Senatus*

tus permiſſu non ædificandas attinet, nil eſſe cur Pontifex conqueratur: ne privatos quidem homines aliquid in domo ſua vel agro moliri, inſciis ſe ac renuentibus pati; ſæpe baſilicas ac templa in munitis oppidis publicæ ſecuritatis detrimento erecta; hiſce incommodis obviam ire munus Principis eſſe: in urbe non modo verum in toto imperio Veneto immani fere ſumptu excitatas, ac magnificentiſſimo ornatu exculta ædes ſacras conſpici, ut aliis ſubſtruendis locus fere non ſit; religiones novoſque hominum cœtus, vel inconſulto vel abnuente Principe, ex quibus crebro ingentia mala acciderint, civitatibus excipi æquum non eſſe; recentibus inductis, vetera ſanctitate probata loca obſoleſcere; proventus piorumque largitiones veteribus noviſque ſuſtentandis arctas eſſe: de bonis vero non alienandis plurima a majorum prudentia, ad ſubjectos ſublevandos, ad Rempublicam terra marique graviſſimis exhauſtam ſumptibus tuendam, ſancita exſtare, ne breviſſimo temporis intervallo cuncta in eccleſiaſticos laberentur, qui immenſis prope divitiis aucti, præcipuam atque opimam agrorum partem poſſideant; nonnullas hiſce legibus Reipublicæ civitates uti, apud omnes nationes ſervari: ceterum eam in Senatu pietatem vigere, ut ſi quid petitum ab eo fuerit, ultro ſe liberaliter conceſſurum polliceatur: his atque aliis ab oratore uberius explicandis ſperare, ut fronte ſerena in Rempublicam, a majorum ſuorum pietate minime degenerem, Pontifex oculos flectat, qui ſæpius pro Apoſtolicæ ſedis dignitate hoſtibus pectora objecerint, vitam cum ſanguine intrepide profuderint, idem præſentes quoque, ſi ſe occaſio dederit, non diſpariouſa, non minore magnanimitate facturos.

1606

His attente perlectis, Paulus, neque rationibus neque officio permotus, vehementius excanduit. Non verbis, at rebus ſatis ſibi fieri, flagitare; quod pontificium munus ac dignitas poſtulet, facturum minari; in Deum Optimum Maximum cujus cauſa ageretur, curam omnem atque ſollicitudinem rejecturum. Aeſtuantem Pontificem ſedare ac delinire Nanius adortus, ne acerbe admodum cum obſequentiſſima Republica agere velit, enixe rogat: quanti vel publicæ quietis vel Italiæ libertatis interſit, ut indiſſolubili

nexu

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 nexu Apoſtolica ſedes cum Republica conjuncta ſit, expendat. Ejus oratione aliquantiſper commoveri Pontifex incipit : Deum, hominesque obteſtatur, eccleſiaſticæ libertatis ac dignitatis ſibi concreditæ tuendæ tantum ſtudio cauſam hanc ſuſcepiſſe ; quæcumque in Rempublicam commoda atque ornamenta ab eo proficiſci poſſint, ſemper præſtaturum. Verumtamen aliquam diſſidiorum componendorum rationem inveniri ſe vehementer cupere ; egregiam hanc voluntatem Senatui orator teſtetur. Si ei Saracenus canonicus remittatur, ut Reipublicæ gratificetur, Decemvirum judicio Brandolinum abbatem permiſſurum, Summorum Pontificum privilegia ſarta tectaque conſervaturum. Quod vero ad leges ſpectat, vel abrogari, vel in poſterum minime ſervari Patres curent, efflagitat : alteras interim quinto idus decembris datas literas, quibus de ſacerdotum judicio agatur, nequaquam miſſurum. Eadem quæ Pontifex Nanio dixerat, Matthæjus, multa de Pauli erga Rempublicam benevolentia, pietate, clementia præfatus, Principi Patribuſque ſignificat. His enunciatis, concordiæ ſpes aliqua effulgere viſa ; ſed ut apertius de Pauli voluntate doceatur, Aloyſius Bragadenus, Conſilii Sapiens, Matthæjum interpellat ; an, Saraceno remiſſo, Pontifex acquieſcet ? Tum ille, omnibus in rebus ſatisfieri Paulum a Senatu ſibi, velle, reſpondit. Ea verba cum expenderentur, Saraceni remiſſione ſibi aditum ad reliqua obtinenda comparare velle, exiſtimatum eſt. Quid aliud eſſe, Brandolinum in Senatus gratiam Decemviris permittere, quam omnem penitus Reipublicæ in clericos animadvertendi facultatem eripere ? quid latis legibus obſervantiam demere, quam penitus eas abrogare atque infringere ? Inde Senatus Conſulto, ut integrum negotium proficiſcenti Romam Duodo permitteretur, decretum, utque id Paulo ſignificaret, Nanio injunctum. Quoniam vero de hiſce diſſidiis Reges ac Principes certiores illum feciſſe, ſuamque cauſam tueri nixum afferebatur ; idem efficiendum Senatus cenſuit.

Pontifex autem, reſponſo audito, urgere acrius ; legati moram æquo animo non ferre, quem ab itinere inclemens cælum, hieme media rigens, viæ nive & glacie obſitæ remo-

remorabantur. Cum in procinctu eſſet, aliæ a Matthæjo Pontificis literæ afferuntur, quibus canonicum abbatemque Nuntio Apoſtolico remitti poſtulat ; Senatum anathemati ſubjectum denuo declarat ; privilegia amiſſa ; ſententias, acta a majoribus præſentibuſque in clericos, irrita nullaque pronunciat : ni quamprimum nexi remittantur, minas intentat ; gravia, acerba quæque obnuntiat. Vulnus adhuc recens non parum hæ inexpectatæ literæ exaſperarunt. Juſtum dolorem Senatus, ferventemque generoſæ mentis affectum, animi conſtantia cohibuit. Summa cum moderatione reſponſum : *Non abſque mœroris atque admirationis acceſſione perlectas literas, quod diſſidiorum materiam indies augeri, infringi leges, eripi judicia, priſcas conſuetudines, a cunabulis Reipublicæ ortas, convelli a Pontifice animadvertat : nil aliud poſtulata hæc innuere, ut nempe Apoſtolico Nuntio in carceres conjecti remittantur, niſi ut quam in ſontes clericos poteſtatem Reſpublica exercuit, qua ſane nunquam legitimos terminos egreſſa, ſumma cum æquitate uſa fuerit, ea penitus exuatur : hanc Pontifices, ſæpius ad Antiſtites datis literis, clariſſimis veluti teſtibus comprobaſſe ; iis pacem inter ſubditos, tranquillitatem in civitatibus retentam : quod hucuſque per majores præſenteſque actum eſſet, id æqui bonique Pontificem conſulturum ſperare : his de rebus omnibus uberius oratorem, qui propediem Romam venturus eſſet, acturum.*

1606

Pontificis alteræ literæ a Matthæjo ad Senatum allatæ.

Senatus reſponſum.

Diſceſſit Duodus martii menſis initio ; Romam xiii. kal. aprilis ingreſſus, quinto kalen. Senatus mandata Pontifici expoſuit. Reipublicæ cauſam graviter egit ; rationes aperuit, jura diſcuſſit ; nihil, quod, vel ad illum a ſententia dimovendum, vel ad animum flectendum idoneum arbitraretur, omiſit. Venetorum libertatem, leges, inſtituta perpendit ; reipublicæ chriſtianæ ſtatum ob oculos poſuit, exitia, quæ inde proficiſci poſſent, vaticinatus. Inde ad majorum monumenta tranſgreſſus, ingens religionis ſtudium, ejuſque cauſa plurima bella cum ſummis Principibus ſuſcepta percurrit : quæ cum reliquis chriſtianis proceribus in celeberrimis Hieroſolymitanis expeditionibus geſſerint, quot urbes expugnaverint, quæ

Petri Duodi, oratoris, ad Pontificem oratio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 quæ præmia reportaverint : pro Alexandro tertio, ſummo Pontifice, ea geſta, quæ nunquam temporis diuturnitas vel clariſſimæ luci ab invidis hominibus offuſæ tenebræ obſcurare aut delere poterunt. *Quoties* (inquit) *immaniſſimi Turcæ de profanando Chriſti Servatoris humani generis auguſtiſſimo ſepulcro, deque Franciſcani ſodalitii viris expellendis cogitarunt? Effeciſsent id profecto, furiis in chriſtianos agitati, niſi Senatus auctoritas nefariis conatibus obſtitiſset. At, vel ſurgente vel ſummis incrementis aucto Ottomanorum imperio, quot bella pro religione, pro chriſtiana republica Veneti geſsere? Quid Bajazetis, quid Suleimani, quid Selimi impetus commemorem? Quam fortiter excepti? quot emiſsæ claſses? quot effuſi theſauri? quanto civium ſanguine reſperſa maria, ut, alternante fortuna, modo illatis, modo acceptis cladibus, certatum, donec victoria illa inſigni ad Echinadas maritimum turcicæ gentis robur depreſſum eſt? Opes certe publicæ non ad civium luxum, libidinem, avaritiam; ad libertatem, ad chriſtianam religionem, ad Italiam, atque adeo ad ipſos Pontifices tuendos congeruntur. Quæ ſi quis non turbido animo intelligat, ingenti laudum præconio Senatum cumulet. Nam, ut reliqua omittantur, terra marique Italia imperio Veneto adeo tecta eſt, ut labefactari illud nequeat, quin eodem concuſſa motu, hæc provincia in ſummum diſcrimen adducatur. Creta veluti firmum propugnaculum Turcis objicitur; Corcyra, Epiro proxima, Italiæ pro munimento eſt; e cujus regione Dalmatia ſita, oppoſitam hujus provinciæ oram in alta ſecuritate atque otio retinet. Quis porro Venetorum magnanimos auſus non admiretur, qui, ut ampliſſimum exteris nationibus aditum intercluderent, irrupturoſque aliquando in Italiæ penetralia barbaros, quod ſuperioribus ſæculis ſæpe contigit, averterent, ingentem Palmæ novæ urbis molem excitandam decreverint? Eo Senatus cogitata, conſilia ſpectant, ut nihil non præclarum ad Reipublicæ libertatem, ac chriſtianæ fidei decus, Italiæque tranquillitatem meditetur. Quid porro optatius hiſce diſſidiis barbaræ gentes, communes hoſtes, in perniciem noſtram ſummis votis expetere ac moliri potuiſſent? Hoſtes Italiæ foribus imminent, noſtrum interitum atque exitium ſitiunt. Italia, religio-*

ligionis domicilium, diuturna pace humanis omnibus artibus 1606
exculta, populorum numero, urbium nobilitate florens, omnium rerum affluentia inſignis, eo nunc ducitur, ut inteſtinis diſſenſionibus contabeſcat. Quem non permoveant incerti rerum eventus, tot imminentes clades, quas tua tantum pietas, religio, amor, Paule quinte, extinguere potis eſt? qui ſi Rempublicam veluti parens reſpicias, non vereor, ne tantarum rerum vim perſentias; quoquo te vertas, ingruentium calamitatum ſpecies obverſantes non intuearis. A te uno tantarum rerum pendent eventus. Si te chriſtianæ religionis amor accendit, ſi pietas in Deum exſtimulat, ſi aliqua humanæ gloriæ titillatio, quæ in magnis viris non improbatur, animum pupugit: alia te manent, quibus æternum de chriſtiana republica promerendo, tuum immortalitati nomen commendes. Sive enim interna ſive externa tecum reputes, quid præſtantius, quam lapſos mores corrigere, vetuſtiſſimorum ac ſanctiſſimorum hominum diſciplinam jacentem excitare? quid divinius, quam hæreſes profligare, immunem ab omni labe, atque ab humanis affectibus intactam ſinceramque fidei veritatem ſervare? quid illuſtrius quam ad reipublicæ chriſtianæ incrementum animum cogitationeſque dirigere? Heroum illorum præclaros impetus æmulari, qui Crucis vexillum in Judæam uſque, nunquam intermoritura cum gloria, comportarunt? Si hæc adſpexeris, non vereor tandem, te Rempublicam, vere chriſtianam, vere catholicam amplexurum, boſque animorum motus atque certamina compreſſurum.

Pauli Pontificis ad Duodum oratorem reſponſum.

In hanc ferme ſententiam, cum ratione tum prece, verſare Pontificis animum Duodus nitebatur. Verum ille: *Omnia jam acta a Nanio*, inquit: *nihil ab eo adduci, quin antea allatum fuerit, poſſe: ut amplius audiat, niſi, ut ei gratificetur, non eſse: ni aliud a Senatu afferat, jam ſibi quid agendum ſit, ſtatutum animo atque immotum ſedere.* Cum igitur adeo obfirmatum Pauli animum advertere, non ita properandum in re ſummi adeo momenti eſſe ait: tempus petit; ſcripturum Senatui, poſtremamque ejus voluntatem allaturum. Vix id Pontifex permiſit: *Scriberet Senatui, ut ſatis ſibi quamprimum fieret.* Duodi ac Nanii literæ kalen. aprilis, qua die novi Præconſultores Collegium ineunt, perfe-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 perferuntur: quinto idus Senatus consulto responsum. Sæpius adductas Reipublicæ rationes vel legum vel judiciorum repetitas: tum christianæ reipublicæ statum; turbulenta difficillimaque tempora subjecta; debacchantes in Pannonia Turcas; Scytharum aliorumque barbarorum colluvione cuncta prosterni; jugo excusso ac perfracto, populos, novis studentes rebus, omnia permiscere: si gravissimæ hæ contentiones inter Apostolicam sedem ac Rempublicam accesserint, quis non communium hostium, impiorum, hæreticorum, pestilentissimorum hominum conatus, arma, spiritus non immensa incrementa accepturos arbitretur? Complura addita, quibus perpetuum in Apostolicam sedem Reipublicæ obsequium atque observantia significabatur: non exiguas adeo ei vires suppetere, ut contemnenda videatur: terra marique satis pollere: majorum exemplo cuncta ad pontificatus dignitatem adhibituram iis in rebus, quæ neque illius libertati, neque regimini officiant: quam Veneti obsequentissimi Apostolicæ sedis, ejusque Sanctitatis filii sint, aperte declaraturos. Hæc Duodus Pontifici significare jussus, mandata statim exsequitur: breviter Reipublicæ rationibus perstrictis, quam periculi plenam aleam aggressus sit; turbulentas reipublicæ christianæ tempestates; imminentia atque eruptura mala subjicit, nullo unquam tempore Senatui imputanda, qui nihil quod ad eximium erga sanctissimam illam Sedem studium patefaciendum spectaret, omiserit; jura exposuerit; oratorem miserit; tantum, ne libertas, ac publici regiminis compages solverentur, petierit; illis servatis, in reliquis a majoribus haustam pietatem, religionem, cultum declaraturum.

Senatus decretum, ne excommunicationis diplomata reciperentur, ne novitates admitterentur.

Plurima in hanc sententiam summa dicendi vi a Duodo explicata, nihil impetrarunt, jam enim excommunicationis sententiam prelo excudi Pontifex jusserat. Quod cum a Senatu cognitum esset, ne quis ob eam rem in civitate motus fieret, pontificia diplomata, gravissimis propositis pœnis, ne acciperentur, statuit. Decemvirum Magistri ecclesiarum antistites ac cœnobiarchas ad se vocarunt: ne quid novi in religionis cultu moliantur; suo quemque muneri, uti assueverant, incumbere, capitis pœna adje-

adjecta, præcipiunt. Nemo fuit, qui non se obtemperaturum, nihilque immutaturum, constanter affirmaret. Jesu tantum sodalitii homines nutare aliquantisper visi. His satis se munitos esse Patres arbitrabantur, cum præsertim nemo fere esset, qui, licet eo usque progressum Pontificem intelligeret, attamen vel novitate ac magnitudine rei perterritum, vel saltem ab iis, qui in Purpuratorum collegio prudentiores essent, imminentiaque pericula animadverterent monitum, cœptis absistere posse non sibi suaderet. 1606

Verum Paulus, irarum fluctu exæstuans, quodcumque acturus esset, irrevocabile animo gerebat, licet mane decimo sexto kalen. maji, antequam Cardinalium collegium ingrederetur, cogitabundum hæsitantemque Arigonius confirmasse, eique animos addidisse diceretur. In collegio, minoris momenti negotiis peractis, observari fores jubet: inde graviter atque acerbe de Republica Veneta conquestus, violata Ecclesiæ jura, eversam libertatem, contempta Pontificum decreta, Concilia, Canones exaggerat: ac primum in legem de bonis (ut ajunt) *emphyteuticis* anno M. DC. III. latam, de qua neque oratione, neque scripto, neque per Nuntium cum Senatu egerat, acerrime invehitur. De aliis mox legibus ac judiciis agit. *Mature*, inquit, *omnia perpendisse; excellentes doctrina viros adhibuisse; Senatum sæpius monuisse, adhortationibus usum, minis deterruisse; ut leges abrogaret, reos clericos remitteret, petiisse; neque per ordinarium, neque per extraordinarium oratorem quidquam impetrasse: ad remedia tandem juris confugere decrevisse: excommunicationis fulmen in Ducem ac Senatum intorquere, interdictum in Veneto imperio, ni tempore statuto pareant, promulgare statuisse; quænam ea de re Cardinalium sententia sit exquirere.* Jam Pontificis mentem noverant. Jam edictum prelo excusum sciebant. Itaque cuncti, Venetis, Delphino scilicet ac Valerio, exceptis, in Pontificis sententiam ivere. Augustinus Valerius, *rem magni momenti esse*, inquit, *in Rempublicam, optime de Apostolica sede meritam, acriter adeo invehi, ut ecclesiastico fulmine plectatur: maturare rem examinandam duodecim gravissimorum doctissimorumque ex eo collegio hominum*

Arigonius Cardin. Pontif. in sententia contra Venetos confirmat. Pauli Pontificis contra Venetos exaggeratio.

Augustinus Valerius Card. Pont. impetum morari nititur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 *num consilio antea perperdendam esse*. Paulus, qui dum ad Valerium ventum esset, ne verbum quidem enuntiaverat, ad eum conversus, *exacte rem discussam excellentiumque virorum judicio exploratam, minimeque ambiguam esse*, inquit. Neque dubium plerique arbitrati sunt, quin, si aliqui auctoritate ac virtute in Purpuratorum numero præstantes libere atque ex animo sententiam dixissent, temporis mora injecta, imminens jam malum avertere potuissent; cum certum sit, nonnullos doctrinæ uirtutisque opinione eminentiores secus antea iis de rebus sentire non obscuris verbis significasse; in quorum numero Cæsar Baronius fuit, qui cum antea cum Nanio oratore Pontificis impetum detestatus esset, *neque cum Veneta Republica, cujus cum sede Apostolica conjunctione, Italiæ libertas ac dignitas staret, ita agendum*, dixisset; mutata sententia, Pauli factum adeo extulit, ut eo facto inter cælites adnumerandum censeret; idque posterorum memoriæ in suis Annalibus traditurum affirmaret.

Cæsar Baronius Cardin. Pont. impetum detestatur. Cæsaris Baronii sententiæ mutatio.

Edictum itaque promulgatur, insignoribusque urbis partibus affigitur. Multa ab incondita plebe in Venetum nomen probra ac maledicta jactantur. Summa diplomatis hæc erat: *Ni leges abrogentur, ni clerici remittantur, post elapsos quatuor ac viginti dies, Ducem ac Senatum excommunicatos pronuntiare; aliis vero tribus transactis, imperium omne Venetum interdicto ecclesiastico subdere*. Nova adeo ea res, atque inexpectata plerisque visa, ut vix sibi suaderi potuissent, tot armis undique circumsepta christiana republica, Pontificem levissimis de causis incendium in Italiæ visceribus excitare velle. Non deerant qui dicerent, nunquam propenso in Venetos animo Paulum exstitisse; cardinalicio galero fulgentem de Reipublicæ legibus moribusque obloquutum; primis initis pontificatus diebus cum a Decemvirum Collegio, ut ab exilio Annibalem Gambaram Brixiensem, familiarem suum, revocaret, petiisset, neque impetrasset, ægre admodum tulisse; ut opem Senatus Pannonico bello exhiberet, per Offredum Nuntium, perque literas petenti minime satisfactum. Inde, ut Franciscus Vendramenus, Venetiarum Antistes a Senatu designatus, Romæ examinan-

Diplomatis contra Venetos promulgati sententia.

nandum se sisteret, statuisse; sacerdotum decumas pernegasse; vulnus tectum animo, externis significationibus ne prodiret, cohibuisse. Alii vero, cum Genuensium ac Lucensium decreta nonnulla vel abrogari vel emendari obtinuissent; reluctantem atque obsistentem Senatum offendisset; ingenti dolore curciatuque animi affectum: complures malevolos homines, Reipublicæ hostes, flammam aluisse: veritum subinde, ne si, subortis hisce dissidiis, acquiesceret, id non prudentiæ, sed timori atque ignaviæ tribueretur, eo usque progressum, ut non citra ignominiæ notam deflectere a suscepto itinere posse arbitraretur. 1606

Itaque tertiodecimo kalen. maji cum promulgati in Rempublicam anathematis nuntius esset allatus, nihil quod ad religionem imperiumque tuendum, subjectosque in officio continendos attineret, omittendum, Patres rati; sequenti die, duodecimo kal. maji Senatum accersunt. Ad classis numerum augendum, triginta triremium gubernatores creantur: duo peditum Italorum millia conscribi; trecentis ac sexaginta Epirotis equitibus, qui in continenti erant, centum ac quinquaginta adjungi; trecentos e Cyrno ad publica stipendia evocari (ut Corsi in universum sexcenti essent) decretum. Benedictus Maurus, Marcius Procurator, legatus in continentem missus. Duodus orator Roma abscedere, Pontificique obnuntiare jussus: *Imminentium turbinum causas, non in Rempublicam, sed in ipsum mortalis conjecturos*. Exinde, qua ratione pontificio edicto obstendum, Reipublicæque dignitati ac juribus consulendum esset, adhibito præstantium juris utriusque consultorum consilio, agitatum. Diversis sententiis disceptatum. Quidam ad futurum concilium provocandum esse censebant; id & antea a summis Principibus atque ab eadem Republica Xysto quarto, Julio secundo Pontifice Maximo, effectum: eo vim edicti inhiberi; venerando, atque alias Pontificibus metuendo Concilii nomine Pauli impetum sisti posse. Alii contra, obnunciatione potius obtestationeque utendum arbitrabantur: id & expeditius, & perpetuo Republica in Apostolicam Sedem obsequio convenientius fore; provocationem arduam, multis undique circumseptam impedimentis futuram.

Trierarchi a Senatu electi, & alii bellici apparatus.

Benedictus Mauro, in continenti eum imperio legatus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 Igitur obteſtatio in hanc ferme ſententiam eſt excuſa : Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus inſcripta erat. *Pontificatus initio Sanctiſſimum Patrem Paulum quintum, leges, inſtituta, conſuetudines, quibus bona exiſtimatio, vita denique ipſa ſubjectorum continerentur, a Republica, ut abrogarentur delerenturque, petiiſſe : Patres per Auguſtinum Nanium, ordinarium legatum, quæ ad leges condendas, veteremque morem retinendum Senatum impuliſſent, exponenda curaſſe : & cum non admitterentur, perpetui, atque a majoribus per manus traditi erga Apoſtolicam Sedem obſequii egregio argumento, extra ordinem oratorem deſignaſſe, qui & eximium Venetorum in Apoſtolicam Sedem cultum teſtaretur, & graviſſimam Reipublicæ cauſam explicaret : obſeratas illius aures offendiſſe : xv. kal. maji, ni ſtatuto tempore pareret, anathema in Senatum intorſiſſe, ſacris imperio Veneto interdixiſſe : iis cum majorum inſtituta, imperii fundamenta convellerentur, libertas quoque ipſa in diſcrimen vocaretur ; re primum mature perpenſa ; virorum juriſprudentia, ſacrarum legum notitia, theologicaque ſcientia inſignium conſilio adhibito ; anathema ipſum indebitum, invalidum, nullum, nulloque juris ordine pronunciatum, irritumque eſſe obteſtari : ea interim remedia, quæ majores aliquando Principes, atque ipſa Reſpublica alias amplexa fuerat, adhibere noluiſſe : ne interdicto obtemperare, neve illud ſervare quis audeat, jubere : profiteri, obteſtari firmam, immotam, inconcuſſam Senatus mentem eſſe, conſtanter in vetere avita Catholica atque Apoſtolica religione perſiſtere, conſuetumque in Romanos Pontifices ſtudium atque obſequium majorum exemplo exhibiturum : Deum Optimum Maximum enixe orare, ut Pontificis flectat animum, atque ad Reipublicæ rationes, cauſæ illius veritatem æquitatemque dignoſcendam permoveat.*

Venetorum de illata excõmunicatione obſtetatio.

Dum hæc fiunt, feſta Aſcendentis in cælum Servatoris dies illuxit, maritimo prælio victi Ottonis, Federici Imperatoris filii, reſtituti Alexandri tertii, pacis Venetiis anno M. C. LXXVII. inter Eccleſiam Imperiumque initæ memoria percelebris. Nunquam major populi concurſus, nunquam lætior civitas. Huc

Huc accedebat immenſo opere atque impenſa recens navigium, ad veteris jam vetuſtate collapſi formam extructum (*Bucentaurum* vocant) quibus ſane anniverſaria mare deſponſandi pompa illuſtrior reddebatur. Conſcendit una cum Senatoribus Princeps, Regum Principumque oratoribus, atque ipſomet Horatio Matthæjo, Pauli Nuntio, latera ſtipantibus. Bucentaurum triremes aliquot, biremes, celoces, atque infinitus propemodum cymbarum numerus, lætis acclamationibus proſequebatur. In ea vero celebritate mirum omnibus videbatur, in ampliſſimum Senatum, in civitatem innumeris prope mortalibus refertam, religione inſignem, in tot oppida atque urbes, nulla graviori cauſa adductum, adeo ſævire Pontificem decreviſſe. Cuncti in Matthæjum oculos conjicere, atque moderationem Senatus extollere, quod, quo tempore anathemate a Pontifice feriebatur, eodem perhumaniter ejus Nuntius exciperetur, Principique adſideret. At Matthæjus, qui neque civilium rerum uſu, neque humanarum cognitione præſtabat, verecundia veluti perfuſus hærere, paucaque fari : *Adhuc concordiæ, ſi hinc atque inde, proclinatis ad pacem animis, nonnihil remitteretur, locum eſſe.* Matthæji verba in Senatu recitata, abſque reſponſo dimittenda Patres non eſſe, cenſuere. Itaque ei publico decreto ſignificatur : *Ingentem ac neutique diſſimulandam ex Pontificis inſueta agendi ratione moleſtiam Rempublicam percepiſſe, indigne cum ea actum eſſe : ceterum ſi anathema Pontifex ſuſtuleri[t], quin de his rebus agatur, minime Senatum recuſaturum.* Multa Donatus Princeps ſubnectit : *Neque mitti, neque anathemate cum Principibus agendum : periculorum impendentium culpa Rempublicam immunem fore : jam in vetera illius inſtituta, leges, fundamenta impetum factum ; de iiſque profligandis, convellendis ac prorſus tollendis actum. At in hoc* (inquit Matthæjus) *error vel ſatur, quod temporariam juriſdictionem tuibere Reipublicæ Paulus nolit ; tantum, ut leges adverſus eccleſiaſticam libertatem conditæ abrogentur, peti[t]*. Ad ea Donatus: *Jam ſe ætatem fere in maximarum rerum negotiis pertractandis exegiſſe, multa Romæ difficillimis temporibus*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 *ribus cum Summis Pontificibus pertractaſſe; neminem anathematis fulmen, ne in minores quidem Principes vel intorſiſſe vel arripuiſſe.* Tum Matthæjus, *Chriſti tandem Vicario obtemperandum eſse*, inquit. Illico Princeps: *Libenter obtemperaturum, ſi ea, quæ Chriſtus juſſerat, a Pontifice præciperentur.* Hæc atque alia incaleſcentibus animis jactata.

Matthæjus Nūtius Venetiis diſcedit.

Verum poſtridie ejus diei Matthæjus, diſceſſus venia a Senatu poſtulata, Romam eſt profectus. Eadem die per diſpoſitos equos Nanio injunctum, ut ſtatim, Hieronymo Zonio, qui negotia Reipublicæ obiret, privato Romæ relicto, in patriam revertatur: nondum enim Senatui compertum erat, a Pontifice Nanium oratorem dimiſſum. Ad Veronæ ac Vicetiæ Cardinales datæ literæ, quibus, ut patriæ res juvarent, Zonio pro rerum temporumque opportunitate faverent, petebatur. At Valerius ab exortis inter Paulum ac Rempublicam diſſidiis, incredibili mœrore animi affectus, levique febricula correptus, ingraveſcente jam ætate, per eos dies occubuit; vir ſane doctrina vitæque ſanctitate illuſtris, qui, variis in lucem editis ſcriptis, ſuum immortalitati nomen conſecravit, atque eximium in patriam amorem nullo non tempore clariſſimis argumentis patefecit. Obteſtatio typis excuſa, conſpicuis, inſignioribuſque urbis locis, in baſilicarum templorumque valvis affigi juſſa, perque omnes Venetorum ditiones miſſa; Collegii Patribus, ut Romam perferendam curarent, injunctum. Literæ ad ſubjectos omnes datæ, quibus, quæ inter Pontificem ac Rempublicam acciderant, ſignificantur; ad eorum bona, vitam, exiſtimationem tuenda retinendaque eas contentiones ſuſceptas; quidquid opum, quidquid auri, quidquid virium in Republica ſit, ea omnia ad illorum utilitatem decuſque collaturam. Hæc a ſingulis vel urbium, vel oppidorum magiſtratibus in publicis civium cœtibus perlecta, mirum quam cunctorum animos inflammaverint, quantos illis ſtimulos in Venetum nomen caritatis addiderint. Omnes certatim opes, fortunas offerre. Legati, qui ab univerſo imperio Veneto principatum Donato gratulaturi ad urbem accedebant, gratulationibus oblationes miſcere; vitam, fortunas Reipublicæ devovere. Neque minor in ecclesiaſticis viris ad Reipublicæ parendum obſequens animus inſpiciebatur.

Senatus Nanium a legatione revocat.

Auguſtini Valerii, Cardinalis, obitus.

Venetorum ſubjecti opes ſuas Reipublicæ offerunt.

1606

Ea omnia cum ad Pontificem perferrentur, mirum in modum angebatur, quod anathematis veluti fulminis jactu concuſſas ac perterrefactas mortalium mentes in ſeditiones atque tumultus erupturas, ſibi pro explorato conſtituiſſet; Brixiæque præſertim motus exorituros arbitraretur, quod Ignatiani, qui plurimum ea in civitate ſibi auctoritatis comparaverant, ejuſmodi ſpes in Pontifice aluiſſe dicerentur. Verum opinione fruſtratus, cum paſſim edictum negligi, populos impavidos cunctorum ſpem conſtantia ſuperaſſe intelligeret, modo iraſci, modo nutare, neque ſatis conſiſtere, nec alia niſi Jeſuitarum, Theatinorum, aut eorum, qui ab acuminato capitis integumento *Capucini* dicuntur, ſodalitia ſibi obtemperatura, jam tum vaticinabatur. Eorum namque magiſtris anteſignaniſque ſciſcitantibus, quid ſibi, pœna propoſita, agendum eſſet, cum ſacris legibus, ſi id acciderit, vel ſi primariæ eccleſiæ, quæ matrices aut cathedrales vocantur, Principi paruerint, licere tuto ſacra peragere, caveatur; primum ad deliberandum tempus popoſcit: mox decernendi difficultate permotus, rei definiendæ Collegium daturum affirmavit: tandem, ne obtemperarent, vitæque potius periculum ſubirent, licet ſecus ſacris legibus ſtatueretur, eis ſignificandum curavit.

Neque vero Pontificis ſpes de tribus illis ordinibus irrita fuit. Nam quatuor ex Ignatianis privatim Principem adeunt. *Suis inſtitutis*, inquiunt, *ut interdicto pareant obſtringi; quod tuto facere liceat, utro Reipublicæ præſtaturos: peccatorum exomologeſim aduturos, palam in eccleſia ſupplicationes precesque habituros, auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum expoſituros, concionaturos; a ſacris tantummodo myſteriis publice peragendis ceſſaturos: ni ita Senatui placeat, ultro exceſſuros.* Ad ea Princeps: *Quod tam cito ab inſtituto deceſſerint, mirari: non hæc totius civitatis in ipſos ſtudium benevolentiamque, non Reipublicæ cauſam promeritam, quam nemo, modo affectu liber atque immunis eſſet, non æquam arbitraretur: nihilominus Senatum, quid ſibi libuerit, decreturum.* Petro Antonio Ribeto, qui tum Francisci Vendrameni,

Jeſuitæ ſignificant interdicto ſe obtemperare nolle.

Principis reſponſum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 meni, Venetiarum Antiſtitis, nondum ab Apoſtolica Sede confirmati, vices obtinebat, duobuſque aureæ baſilicæ canonicis Senatus conſulto injunctum, ut Ignatianorum cuncta ad templi cultum ſpectantia notis excipiant; bibliothecæ, quam inſtructiſſimam atque egregiam habebant, indicem conficiant: veſtimenta, libros, privataque ſcripta, uti petierant, auferre permiſſum. Duo inſuper earum rerum curatores (*œconomi* vocantur) dati: marcii templi ſacerdotibus, ut ſacra in eorum eccleſia peragerent, cunctaque eccleſiaſtica munera obirent, præceptum. Sexto idus maji duabus excepti naviculis, Decemvirum accenſis, ne quid in itinere incommodi acciperent, comitantibus, noctu Ferrariam verſus iter habuere, cunctis (mulierculis quibuſdam, pauciſque, quos ſibi devinxerant, exceptis) ſumma eorum diſceſſu voluptate affectis, omniaque in illos probra maledictaque jacientibus; ac ni publica obſtitiſſet pietas, lapidibus quoque a plebe impetiti diſceſſiſſent. Privatas domos cœnobiaque adeundo, ne proficiſci permitterentur, contendiſſe; ſcripta complura flammis dediſſe; multa clam ſurripuiſſe, ferebantur. Id pro certo conſtitit, Inicum Cardineum, Philippi legatum, per eos dies ſæpe ad illos ventitaſſe, capſulas cera oblitas aliquot domum aſſervandas aſportaſſe. Nihil in eorum ædibus magni momenti inventum. Statim cunctis cum terreſtribus tum maritimis magiſtratibus datæ literæ, ut Ignatianis omnibus tuto abitum permitterent.

Jeſuitæ Venetiis abeunt.

Capucini ac Tolentinates Venetiis diſcedunt.

Eorum exemplum Capucini ac Tolentinates ſecuti; qui licet patere templa, alios ſacerdotes divina peragere, ſacris ſuos inſervire permiſſuros, concionaturos, canonicas horas recitaturos, ſacrificia occulto ſe celebraturos obtuliſſent; attamen, ne ſi id fieret, in diverſas partes civitas ſcinderetur, idemque ab aliis ordinibus peteretur, Patres veriti, profectioni annuere. Capucini, crucis vexillo præeunte, æris campani funibus deligatis, non abſque cunctorum civitatis ordinum indignatione, qui in eos ſemper omnia munificentiæ ac liberalitatis argumenta cumulaverant, proficiſcuntur. Tolentinates noctu abiere, quodque in Ignatianis, idem in iis ſervatum; curatores conſtituti, indices conſcripti, ſacerdotes ſacra in eorum templis peragere juſſi. Inter hæc vel rei novitate

vitate illecti, vel ingeniorum acumine incitati, vel quod quiſque Principum gratiam aucupari niteretur, utrimque ſcripta prodiere, quibus vel Reipublicæ leges atque inſtituta acerrime omni argumentorum atque exemplorum genere defendebantur, vel acta Pauli V. Pontificis legibus ſanctionibuſque aſtruebantur. In ea Bergomenſis ditionis parte, quæ diœceſis Mediolanenſis eſt, in ara quadam, ſervandi interdicti rationem, typis excuſam, primum omnium inventam fuiſſe conſtat. 1606

Venetorum ſedulitas, ne in ſcriptis, quid contra catholicam religionem ineſſet.

Inde ingens ſcriptorum copia effluxit; ac ne quid in publicum emergeret, quod catholicæ religioni officeret, theologicæ facultatis juriſque prudentiæ inſignibus viris mandatum, ut ſcripta ſedulo examinarent atque expenderent, neve quidquam vel catholicæ religioni adverſum, vel probris maledictiſque reſperſum in publicum emitti ſinerent; cum e contra nihil non amarulentis in Rempublicam dicteriis, probris, atque injuriis refertum a Romanis proficiſceretur. Excelluit e Venetis Antonius Quirinus, Senator, qui vulgari idiomate ad Reipublicæ ſubjectos admonitionem conſcripſit, ea dicendi vi rationibuſque conjunctis refertam, ut nihil ad permovendos animos efficacius, nihil præſtantius conſcribi potuiſſe omnes conſtanter affirmarent. Pauli quoque e Servorum ordine in eo genere enituit induſtria, qui luculentam Apologiam perſcripſit, in qua doctorum hominum judicio ſingularis ingenii famam eſt aſſequutus; ut alios interim omittam, qui ſoluta non modo oratione, verum etiam metro iis de rebus perſcripſere. At Pontifex ea pro Venetis cuncta ſcripta ab Inquiſitionis magiſtris vetanda curavit; ſi quis perlegeret, apud ſe retineret, anathemate devinctum ſanxit: quod tunc animos hominum accendit, ut, gliſcente ſcribendi libidine, innumeri propemodum manus calamo admoverent, acerrimeque Rempublicam tuerentur. Inter ſacratos viros, qui pro Pontifice acrius in Venetos ſtilum exercuere, Cæſar Baronius, Cardinalis, exſtitit, qui Paraneſim perfricta adeo fronte, ac verborum virulentia ad Senatum conſcripſit, ut ſtomachum, ingenſque in illius nomen cunctorum odium concitaret. Neque defuere, qui mordicus pro Senatu dimicando, in illum acerbe ſalamum perſtrinxerint.

Ve-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 Verum de toto eo ſcriptionum genere non una omnium erat ſententia. Quidam, ut a ſcriptis abſtineretur, maluiſſent; cum iis indies exacerbatis animis, contentionum ſeges magis magiſque excreſceret. Quid in Gallia civilium turbinum tempore accidiſſet, memorabant; ab inſignioribus non modo, ſed gregariis quoque hominibus diſſenſionum ſemina hauſta: impreſſa mortalium animis publicæ quieti ac tranquillitati adverſa, quæ fere in immenſum incendium illud auxere. Pontificis auctoritatem in diſcrimen vocari, plerique improbabant: ignaræ plebi complura, quibus ſenſim ab officio avocabatur, inſtillari. Alii ſecus arbitrabantur, nullo magis obfirmatam Pauli mentem flecti poſſe, quam ſi, ſcriptis editis, quam infirmis rationibus niteretur, chriſtiano orbi patefieret.

Senatus decreta ad quietem in civitate retinendam.

Dum in hoc ingeniorum certamine fervent animi, una Patrum cura atque ſtudium erat, ne quis in urbe motus accideret. Tres qui pro tranquillo civitatis ſtatu excubarent, deligi, latum. Marcus Antonius Memius, Antonius Priolus, Marcii Procuratores, Nicolaus Donatus, Principis frater, lecti; tribus ex Procuratorum numero, qui decem ex patricia gente ad id ſublegerent, fori cuſtodia concredita; ex patriciorum ac civium ordine bini, quibus quinquaginta darentur viri, ſingulis vicis præeſſe juſſi; arma ex publico armamentario tradita. Per eos quoque dies, Principum legatis in collegium accerſitis, quæ poſt pontificium diploma acciderant, Matthæji ab urbe diſceſſus, Nanii a Pontifice dimiſſio ſignificantur. Cantacrojas, Cæſaris legatus, Senatui gratiis actis, omnibus de rebus Cæſarem ſe certiorem facturum pollicetur. Fraxineus, Henrici orator, moleſte admodum immerentem in eos anfractus Rempublicam incidiſſe, ferre teſtatur; operam omnem ſtudiumque ſuum ad eos ſedandos turbines defert. Inicus Cardineus, Philippi legatus, egregiam in Rempublicam Regis voluntatem profitetur: *Nihil publica Italiæque præſertim tranquillitate antiquius; nimis hoc tempore afflictas perturbataſque res chriſtianorum eſſe, ut iis id quoque incommodi addendum ſit; tum Patres ad veterem a majoribus acceptam prudentiam retinendam, concordiamque ineundam hortatur: Nuntio Venetiis, Reipublicæ oratore Roma*

Senatus Principum legatis rerum ſtatum exponit.

Roma digreſſis, ad Principum legatos conciliandi cum Republica Pontificis ſpectare munus: quod ad ſe pertineat, omni in id ſtudio enixurum: hæc a Rege in mandatis habere. Demum, ut ſervandæ quietis, ac pacis Italiæ ratio habeatur a Senatu flagitat. Donatus Princeps, *A Pontifice diſſidiorum cauſam exortam*, reſpondit; *quod anathematis diploma, inſpectante Duodo legato, affigi juſſerit; quod Nanium dimiſerit; quod Rempublicam ipſam contumelia affecerit; Senatui publicam tueri libertatem conſtitutum eſse; nihil ad eam retinendam omiſsurum: ſi denuo Paulus Rempublicam non laceſſiverit, nihil ultra tuitionem moliturum; ſin ulterius tetenderit, quod publicam dignitatem deceat, quacumque ratione effecturum.* Hæc a Principe graviter: nam tametſi Villienius, apud Paulum orator, ſuborientia diſſidia initio foviſse, Philippi Regis auxilia, vires, opes ad Apoſtolicam Sedem ſuamque dignitatem tutandam Pontifici pollicitus ferebatur: attamen variis ita diſtracti curis ſolicitudinibuſque Hiſpani erant, ut, Belgico diuturno graviſſimoque bello impliciti, Pannonico ob Rudolphi ſubſidia diſtenti, auri egeſtate preſſi, novas res in Italia moriri poſſe, non viderentur.

1606

Villienius, Hiſpanus orator, Pontificis cum Venetis diſſidia fovet.

At Henricus prævalido exercitum Sedanum aggreſſurus, omnium mentes ad ſe attraxerat, licet eos motus facillime auctoritate bellicaque virtute compreſſiſſet. Nam ex qua Bironii conjuratio detecta fuerat, cum Mareſcallus Turrenius e Gallia in Germaniam, mox Sedanum, ſuæ provinciæ oppidum, ſe recepiſſet, Rex cuſtodiæ ſuæ cohortibus, levioris armaturæ æquitatu, cataphractorumque aliquot ſignis ſeptus, Sedanum profectus, vel vi, vel obſidione oppidum in ſuam poteſtatem redigere decreverat. Dum vero cohuni militum caſtris metandis incumberent, opportuna loca aditusque ſcrutarentur, obſidionem pararent, Turrenius, vi non expectata, per internuntium Regi obſequium detulit, fœderibus regno Regique adverſis obliteratis. Arce Sedanenſi ſequeſtro tradita, milite ſumptuque regio in quadriennium alendo, quo tranſacto, ea rurſus potiretur: ſi rebus interim novis ſtuderet, ablatum dominatum in alium transferret. Inde Rex oppidum ingreſſus, publica lætitia exceptus, ſtatim milite dimiſ-

Turrenius comes Henrico Regi Sedanum tradit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 dimisso, Lutetiam est reversus. Itaque brevi compositis Sedani rebus, copiisque dimissis, nihil jam a Gallis ad turbandam Italiæ pacem (uti Pontifex maxime verebatur) pertimescendum videbatur.

Itaque infensis tantum animis acriter decertabatur, dum Pontifex quacumque ratione interdicto obtemperari; Veneti, ne quidpiam de cultu divinisque cæremoniis immutaretur, contenderent. Ob id, ut a Patrum Collegio pietate atque auctoritate insignes viri bini singulis cœnobiis attribuerentur, qui sedulo, ne quid tumultus accideret, excubarent, decretum. Supplicationes festo Dominici Corporis die tanto concursu populi concelebratæ sunt, ut nihil vel ad pietatem vel ad pompam relictum fuerit; innumera auri, argentique vasa celata, sculpta, statuæ, fercula summo artificio elaborata, prisca ac recentia sanctorum virorum præclara facinora egregie repræsentata cernebantut; sacerdotum ac cœnobitarum ingens numerus; quodque ad insitam in patriciorum animis religionem insigne ea die fuit, Princeps Cæsaris atque Henrici legatis stipatus, toto insequente Senatu, accensis cereis, venerabundi omnes atque in preces effusi inspiciebantur, ut plerique tempestatis hujusce calamitates obortis lachrimis deplorarent. Contra vero nihil a pontificiis ad sacratos viros ab urbe atque ditionibus Venetis amovendos omittebatur: licet præter eos, quos memoravimus, religionum ordines, reliqui ne de discessu quidem cogitarent; pauci qui minus Senatus dicto audientes erant, vel moniti ad officium rediere, vel occulto se Venetis ditionibus subduxere. At Pontifex qua iracundia, qua suspicione agitabatur; Senatus obnunciationem ferre æquo animo non poterat; Joannis Gersonis atque aliorum, quæ in vulgus quotidie emittebantur, scriptis mirum in modum commovebatur; magis magisque ob Nanii legati missionem exaggerasse Patrum iracundiam pertimescebat; Donati Principis facundiam, auctoritatem, eximiumque rerum maximarum usum perhorrescebat: nec deerant ex Purpuratis, qui, initio illius applaudere sententiæ visi, modo velox ac præceps consilium carperent. Erant quoque, qui, nisi cito certamina hæc comprimerentur, dubitarent, ne, a Venetis, transalpinarum gentium auxiliis ad suam defen-

fensionem in Italiam evocatis, efferis atque pontificio nomini infestis nationibus ad Romam diripiendam aditus fieret. 1606

Ceterum Jesuitarum sodalitii viri publice ac privatim non modo Pontifici suffragabantur, sed infensi in Venetos nihil non moliebantur, quo vel rudiorum mentes seducerent, vel tumultus, si qua possent, excitarent. Passim in Italiæ civitatibus palam in Rempublicam invehi; in concionibus probra, convicia, maledicta congerere; cunctos ad odium in Venetos impellere, incitare. Id minime ferendum Patres rati, Senatus consulto ejusmodi decretum tulere: *Cum Ignatiani, ab eorum primordiis in civitatem recepti, magna cum privatim tum publice beneficia acceperint, ingrati, atque in Rempublicam infensi animi complura argumenta, eaque non obscura, ediderint; placere, ne imposterum Venetis ditionibus excipiantur, nisi prius intercedat Collegii decretum, universorumque ejusdem ordinum consensus, nullo dissentiente, atque discrepante; deinde vero integra res ad Senatum referatur, in quo non pauciores, quam centum octoginta Senatores conveniant, & senis e suffragiorum partibus, quinæ adsentiantur.* Verum eo vehementius & voce & scriptis in Venetos Ignatiani invehebantur, atque inter ceteros Ludovicus Galliardus, Patavinus, Mantuæ a Romanis, uti ferebatur, jussus, acerrime pro suggestu adversus Rempublicam Senatusque obnunciationem linguam acuerat. Quod cum indigne Vincentius Mantuanorum Dux qui præsens aderat, tulisset, severe admonitum, sex horarum spatio suis ditionibus facessere præcepit. Eodem tempore cum Ludovicum Moscam, Romanum, Franciscani ordinis (eorum qui a soccis nomen desumpsere) Apostolicum procuratorem, ut in religiosos viros inquireret, Mantuam venturum allatum esset, petenti, ne hominem admitteret, Senatui morem gessit; Castilionem (quod oppidum in Mantuanorum finibus est) adventantem ulterius non progredi, sed statim excedere mandavit: neque eo contentus, cum ditiones cunctas, viresque suas, se ipsum denique Reipublicæ obtulisset, ingentes illi a Senatu gratiæ actæ.

Pontifex per eos dies diploma (jubilæum vocatum) quo omnes ad erratorum expiationem augustissimi Eucharistiæ sacramen-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 menti ſumptionem, precum ad Deum Optimum Maximum pro præſenti Eccleſiæ ſtatu effuſionem, cæleſtibus propoſitis præmiis excitabantur, emiſit; idque per chriſtianum orbem, Venetorum imperio excepto, promulgari juſſit. Ea re haud parum cuncti civitatis ordines commoti, quod non tam ad opem divinam implorandam, quam ad notam Venetis inurendam vulgatum fuiſſe videretur, cum præſertim, ut Veneti a ſacris arcerentur, a Regibus ac Principibus enixiſſime Paulus contendiſſet. Pragæ in id adeo acri ſtudio ejus Nuntius incubuerat, ut jam publice ſacris, uti aſſueverat, Franciſcus Superantius, Reipublicæ legatus, a Cæſare non adhiberetur; ab ejuſque conſuetudine Principum legati abſtinerent; quod ſane mirum in ea civitate videri poterat, in qua nullo diſcrimine, tum vetus catholicaque, tum noviſſima religio ſumma cum libertate vigeret; quodque adhuc magis mirandum erat, ſub id tempus a Rodulpho cum Pannonibus pax ea lege iniretur, ut cuique liberum religionis arbitrium atque cultus eſſet; cui rei cum alias vehementer Pontifex obſtitiſſet, Nuntius, ne verbo quidem, ob acerrimas cum Republica contentiones, repugnaverat: ut plerique obſtupeſcerent, Paulum cum Venetis decertantem, peſſum ire in Pannonia catholicam religionem ſinere.

Sub id quoque tempus Aloyſius Fuſcarenus, Reipublicæ legatus, in Sarmatiam pervenerat, omnique officii genere mandato Regis exceptus fuerat, licet Bernardus Cracoviæ Cardinalis, edictum in Venetos promulgare a Pontifice juſſus, illum nullo officio eſſet perſecutus. A Rege ſenatoribus, uti moris erat, minime ſtipato exceptus eſt, tum quod ob regni tumultus pauci admodum ex eorum numero in urbe eſſent, tum quod Cardinalis atque ſacrati viri ab eo ſe congreſſu abſtinere, decreviſſent. Sigiſmundum in ſuis ædibus adiit; connubium nuper initum Senatus nomine gratulatur. A Senatore latina oratione illius juſſu gratiæ ingentes Reipublicæ actæ, domumque perhonorifice eſt deductus. Denuo Regem allocutus, de exortis inter Pontificem ac Rempublicam diſſidiis docet: quam immerito eccleſiaſticum in Venetos fulmen Pontifex intorſerit, exponit; rationes Reipublicæ aperit; inde conqueritur, *quod tot terrarum ſpatia ſibi emenſo, & ab ami-*

Aloyſii Foſcareni ad Sarmatam oratoris ejus Rege officia.

amica Republica legationi deſtinatæ, edicti pontificii promulgatione nota inuratur, ea præſertim in cauſa, in qua minime de religione ageretur: jam, ſi id permittat, dignitatem regiam in diſcrimen vocatum iri. Rex ſummam ex iis, quæ inter Pontificem atque Rempublicam acciderant, moleſtiam cepiſſe, vultu verbiſque ſignificat; ſtatimque vocari Senatum jubet, in quo, ne abſque ejus permiſſu edictum vulgaretur, decretum eſt; idque Nuntio, qui eam ob rem urbe exierat, Cardinalique nuntiari juſſum. Ad Pontificem quoque datæ literæ, quibus, *ut ſatis Reipublicæ faceret, in cauſa præſertim ad religionem minime ſpectante*, petebatur: *alios Reges Reipublicæ cauſæ favere, rationes illius probare, ſeſe intelligere: ne edictum in Sarmatia vulgaretur, idem in Henrici tertii, Henrici quarti, Galliæ ac Navarræ Regum, atque in Cæſaris Eſtenſis cauſa in Sarmatia ſervatum.* In Gallia nullis pontificii oratoris officiis vel precibus a veteri in Rempublicam benevolentia Henricus averti poterat; liber Petro Priolo, oratori, ad templa aditus; nihil de priſca conſuetudine immutatum. Cum Carolo Emanuele, Allobrogum Duce, omni officiorum genere actum, ne ſupplicationibus, quæ pro indicto jubilæo habendæ erant, Petrum Contarenum, legatum, admitteret: at Carolus, ut Reipublicæ offendendæ cauſam amputaret, filiarum Principum interventu, ab invitandis Principum legatis abſtinuit. Cum primum emiſſi fulminis nuntius in Britanniam eſt allatus, in publicis comitiis acerba graviſſimaque in Catholicos decreta ſunt. Rex, publicationis bonorum neciſque pœna propoſita, ſanxit, ut omnes ſubjecti intra anni ſpatium jurejurando aſſererent, ſeſeque obſtringerent; neque Paulo quinto, neque ſucceſſoribus ſe poſteroſque ſuos quacumque ex cauſa a cœtu fidelium amovendi, in Regem regnumque ipſum quidpiam moliendi jus eſſe: oppoſitam huic ſententiam veluti religioni adverſam hæreticamque, deteſtarentur atque ejurarent: ex quo multæ in Anglia turbæ excitatæ, quæ haud dubie ab Italiæ fluctibus emerſere.

1606

Sigiſmundi Regis decretum de Pontificum edicto non promulgando.

Sigiſmundi Regis ad Pontificem de Veneta cauſa literæ.

Romæ Halincurtius, Henrici Regis legatus, una cum Ebroicenſi Cardinale atque Allobrogum oratore in ædibus Joannis Delphini, Cardinalis Vicentini, conveniunt; de toto negotio

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 gotio differunt. Ex omnium sententia Henrici & Caroli legati Pontificem adeunt; Gallus rogat, instat, urget: pronuntiatum edictum abroget; tum locum tractationi fore: ni faciat, jam nihil amplius sibi, quid in ea re agat, superesse. Sabaudus Gallum subsecutus, eadem obnixe supplexque petit. At Paulus a Principibus se desertum acriter conqueritur: in ordinem Venetos redigere, eosque ad præstandum officium cogere oportuisse. Halincurtius, *ut gravissima in re matura consultatione utatur*, Pontifici suadet; *Purpuratos singillatim accersat, sententiam exquirat; Clementem imitetur, quem in Henrici Galliarum Navarræque Regis causa idem feciſſe constabat*. Paulus, negotium exacte expensurum, vel privatim Cardinalium singulorum mentem exploraturum, vel rem omnem ad Collegium delaturum pollicetur. Inde Purpuratorum suffragia secretis alloquiis excipit. Horum quidam (ut ferebatur) edicto intercedendum non esse censebant: alii ante amotionem satis Pontifici faciendum a Venetis arbitrabantur: pauci admodum intercedendum existimabant.

Philippus Hispaniæ Rex suas opes Pontifici defert.

Ea sententiarum perplexitate anceps Paulus, cum ad Collegium referre statuisset, ecce ex Hispania Philippi literæ Villienæ Marchioni, legato, superveniunt. Is statim, tribus Hispanis Cardinalibus comitatus, ad Pontificem se confert; regias literas defert. Harum sententia erat: *Jam inde, hereditario veluti jure a majoribus tradito, in Sanctissimam illam Sedem obsequio permotum, in hisce cum Venetis dissidiis regna, vires, semetipsum denique, si occasio tulisset, terra marique Pontifici præsto futurum polliceri: ut jussa exequerentur, in Italia ministris mandasse*. Perlectis literis, adeo ingenti gaudio, ut vix lachrimas cohiberet, Paulus perfunditur: *Tanti memoriam beneficii, sibi Apostolicæque Sedi collati, nunquam ex ejus animo elabi passurum; verba, ad pares meritis gratias habendas, non suppetere; si cuncta quæ possidet, tribuerit, effuderit, ne minimam quidem tanti officii partem assequuturum*. Regis pietatem, religionem innumeris laudibus ac

Villienii, Hispani oratoris, petitiones.

præconiis effert. Villienius quoque Philippi pollicita extollit: *Ut Veneti ab eo veniam exposcant, effecturum; deinde jure rationeque disceptandi locum futurum; at in omnem eventum Regis patrocinium illi minime defuturum*. Hæc subinde petit,

tit, publicæ lætitiæ signa in urbe edantur, in Patrum Collegio Philippi literæ recitentur, in publicas tabulas ac monumenta redigantur, ne amplius cum Gallis ea negotia agitentur. Verum Paulus, legato perhumaniter dimisso, nulli eorum, quæ postulata fuerant annuit. Extemplo harum rerum nuntii urbem universam pervadunt: literarum exemplar cunctis Purpuratis exhibetur; ingenti omnes lætitia corripiuntur, metu prorsus abjecto, quo de Venetorum apparatuum nuntiis cunctorum animi detinebantur. At qui humanarum rerum usu præstabant, ea potius Hispanorum artibus, quam in Italia res novandi cupidini, tribuebant: literis Regem non ita obstringi, quin, si ei libuisset, secus facere, nihilque Pontifici præstare posset: bello Belgico, assiduis sumptibus Hispanorum vires exhauriri; extorrum, Pannonum ac Turcarum arma, Pannoniæ, Daciæ, aliisque locis infesta; in Italia vero, cujus præcipuam opimamque partem possiderent, cum belli incendium excitarent, exteris nationibus, transalpino milite oppleta provincia, divina cuncta atque humana permixtum iri; illatas ab iis belli faces, in eorum caput fortasse recasuras: jam certis rumoribus afferri, agmen navium, in Indiam occiduam missum, naufragium perpessum; Ordines Batavos copiis auctos, duo Hispanorum millia concidisse; Escluſam frustra oppugnatam, Spinolam trecenta tantum aureorum millia ex Hispania detulisse; in iis centum ac quinquaginta millia syngraphis contineri. His atque aliis, plerique ad ostentationem Hispanicam literas effictas, nihilque ab iis emolumenti, nisi fucatum quemdam inanemque fastum Pontificem relaturum, opinabantur. At Henrici legatus, quamprimum Hispanicos rumores per urbem dissipari animadvertit, Pontificem convenit: *Cunctos, allatis ex Hispania literis, ingenti gaudio perfusos, perstrepere urbem, gestire omnes, intelligere: dolendum potius ægerrimeque id ferendum, quod causa difficilior redderetur, belli in Italia semina, in ingentia pericula evasura, jacierentur; magnum ex iis Henricum Galliarum Regem dolorem molestiamque capturum: at si quid in Italia turbaretur, non otiosum belli spectatorem fore; quid ejus dignitas, quid præsentium rerum status posceret, effecturum*. Ad ea Pontifex, *Pietatem maximorum Regum quæque sibi gratam*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 *tam esse*, respondit ; *nihil*, *inscio Halincurtio*, *facturum*; *ambobus regiis legatis aures præbiturum* : *earum*, *rerum*, *quæ a se Villienius efflagitaverat*, *nihil agendum censuisse* ; *non publica lætitiæ signa edi*, *non literas in Patrum collegio recitari voluisse* : *haud dissimili affectu Reges ambos persecuturum*, *cuncta sibi ab eorum religione*, *atque in Apostolicam Sedem observantia polliceri*.

At Hispani, licet peramplis verbis Philippi erga religionem studium, auxilia Pontifici oblata, extollerent ; attamen pacis concordiæque sequestrem Regem fore eodem tempore vulgabant. Cardineus legatus Principem Patresque adiens, nulla Regis literarum mentione facta, propensum illius in publicam pacem ac tranquillitatem animum testatur ; *medium se ad eam ineundam adhibere velle*. Franciſci quoque Prioli ex Hispania literis afferebatur, Pauli nuntium enixe a Rege in Venetorum causa subsidia efflagitantem, responsum ejusmodi tulisse : propendere quidem in Pontificem Hispanos ; at modo multis gravissimisque circumventos curis esse ; in occiduam Indiam profectas naves absorptas ; in Belgio bellum fervere ; Pannoniæ Turcarum arma imminere : propterea, ne bellum in Italia excitetur, Philippo constitutum esse : ad ea Pontificis Nuntium, saltem nonnihil in Pontificis gratiam se acturos simularent, demississime ac lacrimabunde petiisse. Ex iisdem Prioli literis compertum, ex Italia veredarios cum Pontificis literis, ipsius manu exaratis, ad Regem Lermæque Ducem advenisse, quibus a Rege, uti catolicæ religionis observantissimo, Apostolicæque Sedis studiosissimo, opem implorabat : Ducem autem, quem tantæ regnorum molis fundamentum esse affirmaret, sibi conciliare nitebatur : his effectum, ut, si rerum eventus exposceret, vires, regnum, seque ipsum Rex Pontifici obtulisset : verum eo loco res Hispanorum esse, ut de bello inferendo cum ob superiores causas, tum quod pecuniæ inopia premerentur, cogitare non possent. Quæ licet secus in vulgus jactarentur, in proceribus tamen idem Italiæ pacis studium dignoscebatur. Nam Lermæ ac Terræ novæ Duces, ut controversiæ componerentur, se maxime cupere, Priolo significabant ; ut a durioribus sententiis deflecteret, Senatum hortabantur : si quod obse-

obsequii argumentum Pontifici exhiberetur, tandem hisce dissidiis modum imponi omni studio Regem enixurum. 1606

Hispanorum decretum de Veneto oratore a sacro sacello excludendo.

Nuntius, ut Venetum legatum a regio sacello excluderet, omnes ingenii nervos intendebat. Duodecim ob eam causam theologicæ facultatis professores coguntur. Prima die congressus ex eorum numero aliquot Reipublicæ causam tuebantur, major pars Pontifici favebat ; postero in eorum sententiam reliqui concessere, excludendumque legatum censuere. At Rex, nihil sibi decernendum ratus ; festis divi Joannis ac Petri diebus, a sacris publicis se abstinens, ad Escurialem est profectus. Cum primum de literis a Philippo ad Paulum conscriptis Neapolim est allatum, Prorex, Internuncius, Sanctacrucius secreto conveniunt. Ut classis statim emmittatur, decernitur : octo ac viginti triremes apprime instructæ, tria Hispanorum peditum millia, trimestres commeatus, pecuniæ, tormentorum ceterorumque id genus ingens copia recensebatur. Italorum Principum triremes secuturas ferebatur ; Pontificis quatuor, totidem Melitensium, Genuensium sexdecim, Auriæ duodecim, Sabaudi duas, Hetruscas quatuor, ut in universum summam septuaginta conficerent. His ab Augustino Dulcio, Senatus scriba, cognitis, Senatus consulto Jacobo Justiniano, classis legato, præcipitur, ut, triremibus duabus Corcyræ relictis, quæ Philippi Paschalici, legati, imperio subessent, cum reliquis in Hadriaticum sinum se reciperet. Joannes Baptista Contarenus, Illyrici atque Epiri legatus, classem conscendere, eique cum summo imperio præesse jussus. Ad eam augendam, ut tres majores triremes armarentur, latum ; præfectus Laurentius Venerius est lectus ; bini gurbenatores creati Justus Antonius Bellenius, Marcus Antonius Baduarius. De Helvetiorum quoque numero evocando, in id Fraxineo, Henrici legato, operam pollicente, agitatum. Quindecim ab eorum millia ac Antonium Mariam Vincentium in Rhætos transmitti, ut ex fœdere, pecunia accepta, præfectos ac milites, si ita res exposcerent, in promptu haberent. Quoniam vero ad Flaminiæ ac Piceni litora tuenda copias conscribi Ferrariæ magnam militum vim cogi nuntiabatur, Rhodigium binæ militum cohortes, quæ Constantio Capriolo, Brixiensi, cui oppidi

Pontificiorum & Hispanorum decretum de elapse emittenda.

Joannes Baptista Contarenus, legatus, classem conscendit.

Senatus decretum de Helvetiis & pecuniis in Rhætos mittendis.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 pidi cuſtodia concredita fuerat, parerent, miſſæ; tormentarii pulveris bellicorumque apparatuum vim eo devehi imperatum; legatum quoque, qui trans Mincium amnem regionem tueretur, mitti decretum: Nicolaus Delphinus lectus. In Creta Nicolao Sagredo, legato, mandatum, ut quantum maxime poſſit triremium numerum inſtrueret: duo efferæ atque montanæ Sfacchiotarum gentis ſagittariorum millia, Marii Gazii, militum tribuni, incolarum ingenii, totiuſque inſulæ ſitus apprime docti, opera adhibita, vere novo in Italiam mitteret: cunctos ad opem Reipublicæ ferendam cohortaretur, deque Cretenſium ſubſidiis ad Senatum perſcriberet. Qui in urbem frumenta importari curarent, in continentem miſſi: Marcus Lauretanus in Rhodiginos, Maphæus Michaelius in Vicetinos ac Veronenſes, Marcus Antonius Contarenus in Tauriſanos ac Carnos. Ac licet eo anno frumenti inopia tota fere Italia premeretur, Romæ ſextarius Venetus amplius quinque nummis aureis veniret; Neapolis quoque ac Sicilia, Italiæ horrea, eodem malo conflictarentur, ut Prorex extrahi annonam frumentariam vetaret: in Veneto tamen ſolo ſumma frumenti aliarumque rerum uberrima affatim copia exſtitit.

Nicolaus Delphinus trans Mincium legatus.

Mandata ad Nicolaum Sagredum, Cretæ legatum, de triremibus inſtruendis & militibus conſcribendis.

At Hiſpani, ſex ac viginti triremibus, quibus Pontificis Nuntius, e portu ſolventibus, benedictionem impertiit, Neapoli digreſſi, Meſſanam contenderant; decem ac quatuor milite bellicoque apparatu egregie adornatis, Hidruntum ſe contulere; ibi Sanctacrucius, ne quidquam de illius conſiliis emanaret, celocibus navigatione interdixit. Brunduſium delati, nonis auguſti, prima noctis vigilia, Epidamnum contendunt; ad eam partem, qua oppidum in orientem vergit, cum binis ſcloppettariorum millibus diluculo, Sanctacrucio duce, illati, inopinantes, paucos, imparatoſque adorti, portas proſternunt. Decem tantum piraticam exercentes Turcæ, qui intra ædes quaſdam ſe receperant, obſiſtere adnixi, tormentorum, quos *moſchettos* vocant, grandine perculſi cecidere. Direpta atque incenſa urbe, ex Turcis centum ac quinquaginta abduxere, Chriſtianos ducentos in libertatem vendicavere: ex inopi civitate præda parta, aliquot tantum bellica tormenta abducta. Summo ab Hiſpanis artificio ea acta fuiſſe creditum, ut in Adriaticum ingreſſi, Reipublicæ, quæ ſinus ſibi imperium jure aſſerit, no-

Epidamnum ab Hiſpanis captum.

notam aliquam incurrerent, id minime auſuros, niſi eodem 1606
tempore Paſchalicus, Corcyræ legatus, quatuor triremibus retentis, claſſis præfectum cum viginti Cytheram iter arripere juſſiſſet, quo maria tuta redderentur, atque eques quidam Mediolanenſis, quem cum prædatoria navi in ſinum venturum ferebatur, averteretur.

Dum hæc fiunt, ingens inter Reges æmulatio indies augebatur, uter confectæ inter Venetos ac Pontificem pacis palmam referret. Legati ambo Senatum ad concordiam vehementer hortabantur. Hiſpanus haud parum regiæ exiſtimationi detractum iri, ſi, qui tot in Italia ditiones obtineret, publicæ pacis ſequeſter non eſſet, arbitrabatur. Gallus decoris plurimum Henrico accedere exiſtimabat, ſi is, qui nuper Seguſianis Salaſſios commutaverat, neque urbes aut oppida amplius in Italia poſſideret, tantum auctoritatis nanciſceretur, ut graviſſimas in ea provincia exortas contentiones conſilio atque auctoritate dirimeret. Inde palam Hiſpani profitebantur, quamvis eæ, de quibus diximus, a Philippo ſcriptæ ad Paulum literæ fuiſſent, tamen non minori quam antea ſtudio pro concordia Regem enixurum; palamque Cardineus legatus in Principis Patrumque Collegio enuntiaverat: Pontifici opem Philippum quidem pollicitum fuiſſe; verumtamen eodem tempore ſuis miniſtris, ut lites ſedarent, diſſidiaque temperarent, mandaſſe: ne Senatus iis, qui per tot annos coalitam in Italia pacem turbare ac violare vellent, fidem haberet. Sæpiuſque, uti ſibi mandata ampliora darentur, Cardineus petebat.

Galliarum & Hiſpaniarum Regum æmulatio in rebus Italicis componendis.

Fraxineus binas Henrici literas eodem ferme tempore Patribus detulit, alteras Moncæo, alteras Lutetiæ datas. Prioribus ſummas Senatui gratias agebat, quod per literas perque oratorem, de ingenti in Sequanæ amnis trajectu una cum Regina ac Delphino filio declinato periculo, eſſet gratulatus. Poſterioribus, ut quamprimum cum Pontifice controverſiæ definirentur, immenſo prope deſiderio flagrare ſignificabat: in id, ſtudium omne operamque adhibiturum; quæcumque proficiſci ab ſe poſſent, pro Republica facturum. Fraxineus gravi ſermone literas ſubſequens, Patrum animos ad aliquam pacis ineundæ rationem flectere enititur. Nullo Reipu-

Henrici Regis ad Venetos litera.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 blicæ detrimento id aſſequuturum ſperare, ſi in has conditiones coventum fuerit, ut nempe eodem tempore interdicti diploma Pontifex, obnuntiationem Senatus amoveat. Deinde ſartis tectiſque, ut ajebat, legibus, earum tantum executioni intercedatur; rei, qui carceribus detinebantur, roganti Henrico liberaliter permittantur; religioſorum familiis, quæ nullam aliam ob cauſam, quam interdicti metu, urbe diſceſſerant, tutus reditus eſſet: ſi in hæc Senatus conſentiat, ſumma ſpe Regem adduci, cito certaminibus diremptis, Rempublicam Pontifici conciliatum iri. Collegii Patres Fraxineo reſponſum dandum hujuſmodi Senatuſconſulto cenſebant: de enixa in Rempublicam voluntate quantas maximas poſſet, Senatum Regi gratias agere: ſi Pontifex interdictum amoveat, eodem tempore obteſtationem ſe amoturum; Saracenum Regi conceſſurum; Brandolinum, quod atrociſſimorum criminum reus ſit, ut aliorum, quam Decemvirum judicium ſubeat, æquum non arbitrari. Decretum ex parte Chriſtophorus Valerius, continentis Sapiens, magna dicendi vi diſſuadere nixus, rei ambo uti Regi permitterentur, cunctis ferme ſuffragiis pervicit. Verum neque ea re Pauli animus flecti poterat; eoque res deducebatur, ut non tam Principum ſuffragationibus, armorumque apparatu, quam ſcriptis utraque ex parte evulgatis certaretur, ingenti eorum cum dolore, qui parvis initiis adeo in dies excreſcere incendium conſpiciebant, ut ſummorum Pontificum auctoritas, Principum poteſtas, editis paſſim ſcriptis, in vulgus traducerentur.

Concordiæ conditiones a Fraxineo Senatui propoſitæ.

Senatus decretum & reſponſum.

Jacobi Angliæ Regis ad Senatum literæ.

Eo rerum ſtatu Jacobus Angliæ Rex, datis ad Senatum literis, quas Henricus Hutonius, legatus, gravi oratione cumulavit, cauſam ſe Reipublicæ ſuſcepiſſe ſignificavit; omnem in ea propugnanda auctoritatem, operam, regni opes collaturum: non odio in Pontificem id conſilii cepiſſe; ſed ut Principum auctoritatem in communi re tueretur, cum ſatis illi conſtaret, jure atque æquitate Senatum niti. Regi ingentes gratiæ actæ, memoriam beneficii nullo unquam tempore ex præſentium poſterorumque animis deletum iri; viciſſim paribus officiis benevolentiæ atque obſervantiæ reſponſuros. Id ab Anglo patrocinium ſuſceptum magnum Hiſpanis faceſſere negotium cœpit, veritis, ne ſi ulterius tenderent, Jacobum, cum quo nuper

nuper pacem inierant, denuo, recentibus illius gentis in Hiſpanicum nomen irritatis odiis, ad arma propellerent. Quapropter, ut ex Venetorum animis ſuſpicionem omnem eximerent, pacis ac concordiæ cupidos ſe eſſe, privatis publiciſque colloquiis ſignificabant. 1606

At Pontifex nulla alia re magis, quam perpetuo vulgatis ſcriptis permoveri atque accendi videbatur: iis imprimis, quæ ab Antonio Quirino edita fuerant, quibus ſumma eloquentia rationumque momentis Reipublicæ jura tuebatur; nec non, quæ Paulus e Servorum familia conſcripſerat, quibus adverſantium ſcripta acerrime impugnare ac convellere nitebatur. His ductus Pontifex, ex Cardinalium numero tredecim ſelectis, qui omnes Hiſpanicarum partium cenſebantur, Gallis ſecluſis; eiſque ad ſilentium jurejurando adactis, quæ hucuſque in Venetorum cauſa acta ſint, exponit: *Nihil hucuſque a ſe vel minis, vel anathemate impetratum; pontificiam dignitatem, ſcriptis in vulgus paſſim editis, exagitari. An hæc pati æquo animo poſſet? an ſua tempeſtate imminutum de pontificia auctoritate aliquid patiatur? Quod eccleſiaſtico mucrone obtinere nequeat, id ferro ipſo atque armis experturum. Proinde ſibi ſtatutum eſſe, quacumque ratione præduros nimium Venetorum animos perdomare: hæc animo verſantem nihil opportunius exiſtimaſſe, quam tot præſtantiſſimos viros, pietate uſuque rerum præcellentes, ex univerſo Purpuratorum ordine deligere, quibuſcum ſua conſilia cognita graviſſima in re communicaret; illorum virtute, auxilio ſuam dignitatem retenturum auctumque ſperare.* Hic omnes illum laudibus efferre; religionem, prudentiam, fortitudinem animi commendare; quod infracto animo, vivido ſpiritu obſtere reluctantibus decreverit: quod ad ſe ſpectaret, omnes ingenii conatus nervoſque adhibituros, ut cuncta ex dignitate ejuſque voto perficiantur. Statimque, incalescentibus animis, decretum, ut quadraginta peditum, quatuor equitum millia conſcriberentur; Franciſcus ac Joannes Baptiſta Burgheſii, Pontificis fratres, alter Ferrariam, Anconiam alter mitterentur; vulgoque Rainutio Parmenſi ſummum imperium delaturum Pontificem ferebatur. Cumque ad hæc conficienda ingenti pecuniæ vi opus eſſet, quatuor ex tredecim, qua ratione ea colligi poſ-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 poſſet, ſedulo exquirerent, injunctum. Ea re per Romanam urbem vulgata, Halincurtius, Henrici legatus, ſtatim ad Pontificem adit; nullam Galliarum Regis habitam rationem, conqueritur; *Gallos Purpuratos in ſumma momenti re, quæ chriſtianæ reipublicæ ſalus vertebatur, minime admiſſos. Quid Regem, erga Apoſtolicam Sedem egregie propenſum, ejuſmodi promeruiſſe? An ampliſſimi regni vires, potentiam parvipendi?* Ad ea Pontifex leniſſimis verbis legatum demulcere: *Nil, Rege Chriſtianiſſimo inſcio, acturum; quæ ſtatuerit, decreverit, ei ſignificaturum.* Verum petenti legato, ut Galli quoque admitterentur, nihil ea in re immutari poſſe, affirmavit.

At cum de captivis Regi permittendis decretum in Galliam pervenit, maximas Henricus Senatui gratias egit: *Devinctum ſe ob id Reipublicæ fateri; vel hoc præſertim argumento in illum egregiam Patrum in ſe voluntatem ac benevolentiam animadvertere: ni Paulus acquieſcat, eo confici negotium poſſe, ſi legum executio inhibeatur.* Ad hæc Priolus orator: *Abunde Regi ſatisfactum, Senatum arbitrari: nihil reliqui eſſe, quo Pontifex deliniri poſſit. Quid enim id aliud eſſet quam Reipublicæ fundamenta, quæ ſolis legibus innitantur, evertere? quid niſi pravo exemplo peſtem in ſuam perniciem aliquando evaſuram alere? Cur Veneti eas leges condere nequeant, quæ in reliquis chriſtiani orbis provinciis vigent, ſervantur? Cur, ſi Pontifex a jure & æquo minime abhorrere profitetur, æqua lance rerum momentis non expenſis, ſecus cum Venetis, quam cum aliis agendum exiſtimet?* Urgebant hæc Regis animum: ſeque omni officio, ut Paulus acquieſceret, effecturum pollicebatur. Cum Halincurtius, quæ a Senatu de ſontibus Henricus obtinuerat, Pontifici ſignificaſſet, atque, ut eum facilius ad concordiam traduceret (quamquam id minime Senatus ſtatuerat) adjiceretur, obteſtationem amoturum; ut ex juris præſcripto reliqua decernantur, non recuſaturum: Paulus excandeſcere, Henricum a Venetis irrideri dicere, qui carceribus detentos ſibi traditurus alias profeſſi eſſent. Tum Halincurtius, Henricum pacis ſtudio incenſum, nihil ad eam conficiendam prætermiſiſſe; neque ſibi parum effeciſſe videri, quod Senatum ad ſanciendum de reis ſibi permittendis decretum impule-

Halincurtius fruſtra ad concordiam Pontificem redigere nititur.

pulerit: impoſterum nil amplius moliturum. Hic Paulus hære- 1606
re, Halincurtium vocare; eccleſiaſticis viris tradi reos eccleſiaſticos velle; ut in Collegio controverſiæ cum Venetis definiantur, non moleſte ferre; in id etiam Reipublicæ patronos admiſſurum, modo ſententiæ ſtare Senatus ſpondeat. Literas quoque ſibi ab Henrico ſcriptas, Pontifici Halincurtius perlegit. Summa erat: *Nihil aliud, quam Dei Optimi Maximi gloriam, chriſtianæque reipublicæ incolumitatem intuentem Henricum, ſe veluti ſequeſtrem in graviſſimo negotio interpoſuiſſe; ut Veneti quæ poterant præſtarent, enixe contendiſſe; neque vero parum obtinuiſſe arbitrari: niſi his Pontifex acquieſcat, ad armaque ventum ſit, vereri, ne ad hæreticorum in Italiam anhelantium impetum cohibendum impar prorſus ſit.*

Venetorum apparatus ad bellum.

Inter hæc ad bellum neceſſaria ſumma contentione parabantur. Ut ſex peditum millium delectus haberetur, Senatus decrevit: aucta militiæ ſtipendia; ſcloppettariis qui tribus aureis merebant, quatuor; qui moſchettis militabant, cum antea nummos quatuor aureos haberent, quini monetæ Venetæ tributi. Ut in Rhodiginam peninſulam legatus cum eadem, qua trans Mincium Nicolaus Delphinus lectus fuerat, auctoritate mitteretur, decretum: Joanni Jacobo Zannio munus delatum: præter incolarum militiam, duæ peditum ſelectæ cohortes, Epirotarum Equitum binæ turmæ tributæ. Armata navigia aliquot adjecta; ut omnem eam regionem Ferrariæ objectam, quæ ampliſſimis Pado atque Athefi amnibus alluitur, tueretur. Ad Benaci quoque lacus oram cuſtodiendam animum Patres adjecere: biremes, quæ in navali Piſcheriæ detinebantur, temporis vetuſtate collapſas reſici ac ſarciri juſſum: earum præfectus ſtatim ad Benacum proficiſceretur, latum: ut Sirmionis eo in lacu Catullæ inſulæ, quæ ſublicio ponte continenti jungitur, non minus celeberrimæ Catulli poetæ memoria, quam ſitus, ad imperandum lacui opportunitate inſignis, præſidium augeretur, ſanctum. Quoniam externo milite, ſi res procederet, opus erat, Chriſtophorus Surianus, ſcriba, e Gallia, ubi tunc cum Petro Priolo legato erat, in Lotharingiam profectus, Francisco Vaudemontio, tranſalpinarum copiarum imperatori, ſignificare juſſus: peditum atque equitum expeditas copias in promptu habeat;

Joannes Jacobus Zannius, in Rhodigiæ peninſula legatus.

Biremes in Benaco lacu inſtruuntur.

Chriſtophorus Surianus ſcriba in Lotharingiam mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 habeat; vere novo, si ita opus esset, in Italiam transiturus. Ad Nicolaum Sagredum, Cretæ cum summo imperio præfectum, datæ iterum literæ, ut triremes viginti armandas ea in insula curaret, & appetente vere in occidentem ad augendam classem transmitterentur. Neque interea rei frumentariæ cura omittebatur, undique propositis præmiis, quo ingens annonæ copia ad urbem confluerent; pactis quin etiam cum mercatoribus initis, ut ex iis, quæ ultra Gaditanum fretum sunt regionibus, frumenta conveherent. Haud impar in pulveris tormentarii subvectionibus solicitudo; nam etsi magna ejus copia in arcibus asservaretur, attamen quia illius præsertim vi bella conficiuntur, augendam esse Patres existimabant.

Senatus alia mandata Sagredo legato de triremibus instruendis.

Eodem tempore inter præcipuas curas ea erat, ut, quæ ad religionem retinendam spectarent, sarta tectaque forent; divinus cultus efflorescceret; nullis dissidiis aditus esset: in id Antistites sedulo hortari, monere; si qui nutare videbantur, erigere, animos addere, nonnunquam pœnæ metu terrere. Hinc fiebat, ut de veteri pietate nihil imminueretur, ubique vigeret religio: quodque prope miraculi loco habeatur, in tanta rerum novitate (contendentibus summo studio ecclesiasticis, ut aliqua in vulgus manaret dissensio) nihil asperum, nihil crudele in quemquam Religiosorum Senatus intentavit; eo tantum contentus, ut, si qui minus obtemperantes aut refractarii essent, ii ex imperio Veneto facesserent. Illud enim imprimis meditabantur Patres, ne qua ob religionem seditio, ne quis tumultus suboriretur. Nihil æque imperiis officere, quam religionis discrimina: pessumdatæ provinciæ, eversæ regiones, labefacta regna obversabantur animis; quapropter, ne quid ejusmodi irreperet, cunctos ingenii nervos intendere. Mirabantur plerique, contranitentia adeo studia; quod religionis princeps & custos, ejus cultum a præcipua Italiæ parte eliminari, templa claudi, sacrificia tolli, sacerdotes evocare eniteretur; Senatus contra, prisca instituta constanter mordicusque retineri, nihil immutari, in sacerdotes omnia benevolentiæ argumenta edenda curaret. Ceterum Pontifex, qui omnem in Philippi Regis auxiliis opem reposuisse videbatur, acrior indies effectus, arma meditabatur.

Majori

1606 Majori præsidio peditum atque equitum Ferrariam firmaverat; Franciscum Burghesium, fratrem, pontificiarum copiarum imperatorem designaverat; vectigalia in belli usus augebat; ad se Reges ac Principes attrahere cum officio, tum prece studebat; annonæ caritati, qua Roma pontificiæque ditiones maxime laborabant, succurrere summa ope nitebatur: quod sane malum fere tota Italia eo anno, ac Neapoli præcipue grassabatur.

Franciscus Burghesius pontificiarum copiarum imperator.

Interea ab Achomate Turcarum Rege sub Jafferi Bassæ auspiciis sexaginta triremium classis Hellesponto emissa fuerat; quæ ab Aegæo in Ionium delata, Nicopolim iter fecerat; Apolloniamque iturus, inde Epidamnum accessurus ferebatur, quo damna illata sarciret, oppidum reficeret, atque si qua posset, injuriam ab Hispanis acceptam ulciscceretur. In itinere Corciræum euripum prætervectus, alterna bombardarum consalutatione edita, de more a Philippo Paschalico, legato, donatus, ejus alloquium petiit; qui statim Victorem Barbarum, scribam, ad eum misit. *Jussum se a Rege*, Jafferus inquit, *classem Reipublicæ offerre, Venetæ se jungere, in Pontificem ac Hispanos impetum facere: proinde qua mente sit, quid opus facto, significet; nihil moraturum, quo Regis mandata perficiat.* Nova res legato visa, quæque maxime a Reipublicæ institutis ac pietate adhorreret. Sed ne præpotentis Regis studium (licet arcanis imperii involutum) spernere videretur gratiis Bassæ actis, *Jam duos elapsos menses*, inquit, *ex quo nihil ei vel Venetiis vel Byzantio allatum sit; propterea nihil certi promere se posse.* Ad hæc Jafferus: *Senatui scriberet, responsum quindecim adhuc dies præstolaturum.* Jam enim in exitu mensis september erat. At Joannes Baptista Contarenus, classis legatus, qui tunc in Corcyræ nigræ portu detinebatur, cum variis rumoribus cognovisset, turcicam classem ad Epidamnum sarciendam in Adriaticum venturam, inde in Apuliam Salentinosque impetum facturam; veritus, ne fastu turcico elatus Jafferus, penitius se se in sinum inferre vellet, quod & dignitati & auctoritati Reipublicæ adversum imprimis arbitrabatur; indecorum nomini Veneto fatus, si e portu discederet, atque in interiora se reciperet; præfectis ac trierarchis accersitis, quid agendum eo rerum statu sit, exquisi-

Jafferus Bassa classis imperator classem turcicam Reip. offert. Philippi Paschalici responsum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 quisitis sententiis, consulit. Communi consensu decernitur, Jafferum altius in Adriaticum penetrare volentem inhiberi; totius classis vi ac robore obsisti oportere. Igitur cuncta ad pugnam disponit, Turcarum violentiam repressurus; extemploque expedita celoce, quid consilii ceperit, Senatui significat. Eadem die, Contareni acceptis literis, Octaviani quoque Boni, legati, Byzantio supervenere: Bassam Visirum de dissensionibus Pontificis cum Republica edoctum, regiam classem, qua, uti ei libuisset, uteretur, Senatui deferre. Itaque statim, ne quid forte accideret, quo pax inopportune cum Ottomanis Regibus interturbaretur, Contareno Senatus consulto scriptum, ut a conferendis cum Jaffero armis abstineret; officio & consilio ageret. Cum vero triremes quadraginta Hispanorum in Tarentino portu detineri, Jaffero fuisset allatum, Nicopolim regressus, inde jam senescente autumno Byzantium rediit.

Octaviani Boni legati literæ de Turcarum promissis.

At Hispani mirum in modum de Italicis rebus soliciti, licet (ut antea diximus) Pontificis patrocinium suscepissent, a bello maxime abhorrebant; quippe qui minime suis conducere rebus rebantur, ingens adeo incendium exoriri, quo brevi omnia conflagrarent, amplaque eorum Italica possessio in discrimen incerti ac difficillimi belli vocaretur. Itaque Philippus Franciscum Castri comitem, legatum extra ordinem mittere ad Senatum decrevit, qui quacumque ratione dissidia inter Pontificem ac Venetos componeret. Erat is Lermæ Ducis ex sorore comite nepos; quem avunculus cum summopere diligeret, egregiam nactus occasionem videbatur, qua juvenem, nondum rebus pertractandis assuetum, insigni aliquo rudimento nobilitaret; ratus fore ut, si ejus opera pax in Italia coalesceret, futuræ amplitudinis firmissima fundamenta jecisse videretur. Nihil vero æque ac pacem tueri Lermæ Dux optabat; quippe qui ingentes fortunas, Regis gratiam ac favorem adeptus, ea se firmius tranquillo, quam turbato mari tueri & augere posse rebatur, ne tractandis armis bellica virtus, civilia consilia superemineret. Castrius itaque cum pernobili comitatu, Fabricio Sanguo, Vettrii Duce, nunquam ab ejus latere discedente, novembris initio Venetias accessit. De more a Senatoribus purpuratis exceptus, ad Justinianorum ædes

Franciscus Castrius Philippi legatus ad Venetos.

ædes ad divi Moysis deductus est, centenis in singulos dies aureis nummis donatus, lautiis adhibitis. Octavo idus novembris Principem ac Patres publice adiit; literis regiis exhibitis, causas, quibus a Philippo ad Rempublicam legatus sit, exposuit. Literarum summa erat: *Dissidiis, quæ inter Paulum summum Pontificem ac Rempublicam exorta fuerant, cognitis, cum ex eo incredibilem molestiam percepisset, nihil antiquius, quam ut quam primum controversiis finis imponeretur, neque ob eas pax publica interturbaretur, habuisse: proinde Franciscum, Castri comitem, oratorem ad Rempublicam designasse: suis rebus egregie consulturam, si pacem & concordiam amplecteretur.* Perlectis literis, paucis causas, quibus a Philippo ad Rempublicam legatus sit, exposuit. Postridie collegium ingressus, prolixa admodum oratione Patres ad concordiam hortatur. *In id se a Rege missum: nihil, quo dignitas libertasque Reipublicæ retineatur, prætermissurum: ut controversiæ dirimantur, tempore opus esse: interea ne, irritatis animis, publica tranquillitas turbetur, a Senatu petere, ut leges intermittantur: eo facto, reliquis facillime compositis, interdictum Pontificem amoturum: locum mox tractationi futurum.* Hoc caput Castrii orationis fuit. Senatus consulto responsum: *De propensa in publicam pacem, adeoque Rempublicam ipsam Regis voluntate, summas illi a Senatu haberi gratias: nihil Italiæ quiete, pro qua semper excubaverit, altius animis hærere: angi vehementer, eo Pontificem prolapsum, ut, rationibus Reipublicæ nequaquam perpensis, interdictum in illam intorserit: verum nulla unquam re de pristino studio, dummodo libertatem cum dignitate a majoribus acceptam teneatur, decessurum: ea argumenta observantiæ in Pontificem in hoc quoque gravissimo negotio dedisse, quibus, ut immerito emissum fulmen reconderet, adduci potuisset: sed cum de legibus agatur, quibus fundamenta Reipublicæ innitantur, nihil in iis immutare Senatum posse: si quæ alia in re, integra libertate ac dignitate, efficere queat, nihil in eo quemquam desideraturum.*

1606

Hispanorum Regis ad Senatum literæ.

Senatus responsum.

Interea ad Fuentanum Philippi literæ perferuntur, quibus, ni Respublica cum Pontifice conveniat, quamprimum triginta millium bellatorum numerum cogere variis e nationibus jube-

Hispanorum mandata ad Fuentanum Comitem de exercitu cogendo.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1606 jubetur; Germanorum nempe ſex millia, quatuor Helvetiorum, Hiſpanorum octo, Neapolitanorum ſex, ex Gallia Ciſalpina totidem : ad hæc quatuor equitum millia. Pontifex his nunciis magnam in ſpem evectus, fore ut Veneti vel ſponte vel vi obtemperarent, in Cardinalium conſeſſu, quo loco res ſint, exponit : *Alienos a concordia Venetos eſſe : nihil hactenus, Regum licet adhortationibus & ſuaſionibus adhibitis, impetratum : proinde Hiſpaniarum Regis oblata ſubſidia vel invitum accipere ; quippe qui ſemper catholicæ religionis atque eccleſiæ patrocinium eximia pietate ac liberalitate ſuſceperit : eodem animo Rodulphum, eadem pietate eſſe, licet expreſſe copias nondum obtulerit : nec ab hiſce conſiliis Henricum Galliarum Regem diſſidere*. His breviter dictis, ne Purpuratis dicendi in re graviſſima locus eſſet, ad alia tranſgreſſus, de eccleſiis diſtribuendis negotium aggreditur. Ferunt Pinellium Cardinalem, ætate, gravitate, rerum uſu præſtantem, ad dicendum ſurrexiſſe : cumque nuſquam conſilio (jam enim Paulus, quid ſibi faciendum eſſet, conſtituerat) locum eſſe cerneret, obmutuiſſe. Quapropter cuncta ad bellum conſilia & conatus convertebantur, fremente Halincurtio, quod nihil illi a Pontifice ea de re communicatum fuiſſet ; Henricum id indigne laturum affirmante. *An id eſſe, quod paulo ante ei Pontifex ſignificaverat ? an id, quod ſæpe profeſſus fuerat, ſe non armorum vi, ſed ſacrarum tantum legum auctoritate cum Venetis acturum ?*

M. DC. VII.

1607 HAec cum Venetias allata eſſent, anno M.DC.VII. Patres vehementius in belli apparatus incumbere : non ſumptui parcere, nihil intentatum relinquere, ut, ſi eo ventum eſſet, belli pondus exciperent. Et quoniam rerum maritimarum ſtudio auctam Rempublicam, in eaque cives toga exutos, ingentia ſæpe pro patria facinora armatos confeciſſe animadvertebant ; id præcipue curæ fuit, ut claſſis & numero & robore augeretur : ſi bellum exardeſceret, Flaminiæ, Piceni, Apuliæ litora invadi, Adriaticum tutari, averti hoſtes, turbari, ne qua in ſinum irruptio fieret, impediri poſſe. Itaque ut triremibus octo

octo ac viginti, quæ ſemper foris ſunt, Cretenſes viginti, quas antea Nicolaus Sagredus, legatus, ut armari curaret, juſſus fuerat ; Corcyræa una ; binæ ex Zacyntho ; tres e Cephalene ; decem urbanæ ; majores quoque triremes quatuor adjicerentur, latum. Joannes Bembus, Marcius Procurator, cunctos maritimæ militiæ gradus ſumma virtute emenſus, cum Senatus prærogativa majoribus comitiis claſſis imperator pridie idus januarii renuntiatus. Trierarchi in Senatu lecti. Neque minor in terreſtribus augendis copiis ſolicitudo : ut ſex peditum millia reliquis adjungerentur decretum : Hieronymus Martinengius, Petrus Advocarius quatuor peditum millia, bina ſinguli, conſcribere ſunt juſſi : Ezechieli Solzæ Bergomati ſexcentos, Petro Albano Cornelianenſi totidem, Fabio Marchetto quadringentos conficere præceptum ; præter cataphractos equites, ut mille loricati deligerentur ; id novum militiæ terreſtris genus eſt, inter gravioris ac levioris armaturæ medium, quo ſuperioribus annis Galli non abſque ingenti laude ac fructu uſi fuerant : qua in re eximia Franciſci Martinengii, leviorum equitum præfecti, virtus, atque in Rempublicam eximium ſtudium enituit : Epirotarum equitum numerus, qui quingentorum erat, ad mille augeretur. Joannes Baptiſta Padavinus, Decemvirum ſcriba, nono kal. februarii in Lotharingiam miſſus, quo Franciſcum Vaudemontium peditum ſex millia conſcribere Senatus nomine juberet ; Lotharingorum, Gallorum, Vallonum tria millia ; Germanorum mille ac quingentos, Helvetios totidem. Ut ſex præterea Rhætorum cohortes (quarum ſingulæ trecentis conſtabant) a trium fœderum republica, ex icto cum ea gente fœdere, evocarentur, latum : ea de re Antonio Mariæ Vincentio, qui tunc in Rhætis erat, data ſunt mandata. Ad hæc pecuniæ vis in continentem tranſmiſſa. Bergomum mille auri libræ, quæ centum aureorum millium ſummam conficiunt ; Brixiam tantumdem ; Veronam itidem illatum ; Cremæ quingentæ deſignatæ.

Inter hoſce belli apparatus de concordia inenda agitabatur. Reges ad ſe negotium attrahere. Hiſpanis indecorum videri, ſi ad alios conciliandorum Italicorum Principum negotium deferretur. Galli obniti, ne ipſi, qui nuper Subalpinis Italiæ clauſtra obtinuerant, penitus excluderentur. Pontifex ab

1607

Veneti claſſem augent. Joannes Bembus claſſis imperator.

Senatus decretum de novis militum delectibus habendis.

Franciſci Martinengii in Rempublicam ſtudium.

Joannes Baptiſta Padavinus ad Vaudemontium mittitur.

Senatus mandata ad Antonium Mariam Vincentium in Rhætis.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 ab Hiſpanis pendere : Gallis aliquando accedere, nunquam conſiſtere : ut ſummis in dies difficultatibus res implicari viderentur, neque quis exitus futurus eſſet, facile conjectaretur. Quapropter Senatus, ut plenius Henrici mentem exploraret, Petro Priolo, legato mandat, quis rerum ſtatus ſit, ei exponat : copias in Inſubribus a Fuentano augeri : cuncta armis in Italia perſtrepere : videat, an ſuis rebus conducat, Rempublicam, Galliæ arcta neceſſitudine ſemper conjunctam, in diſcrimen adduci, vireſque Hiſpanorum ac potentiam augeri : ſi ea, qua ſemper fuit, mente in Rempublicam Henricus exſtiterit, de iis, quæ ad rem communem faciunt, ſecum tranſigendis extra ordinem oratorem miſſurum. Multa Henrici animo obverſabantur ; æmulæ gentis potentiam atque imperium proferri ægre ferebat : Pontificum iras expertus fuerat ; de Venetorum dignitate atque incolumitate, vel veteri propenſione vel recentibus meritis vehementer erat ſolicitus : Batavis bello feſſis ni ſubveniret, facile in Hiſpanorum poteſtatem, utpote qui jam cum Anglo pacem firmaverant, conceſſuros cernebat ; aperte favendo, bellum redintegrare neceſſarium videbatur. In hac perplexitate eo inclinabat animus, ut Rhætos, qui infenſo in Fuentanum atque Hiſpanos erant animo, commoveret, atque in Inſubrum fines impelleret ; eo diſtrahi Philippi vires atque averti ratus poſſe. Ac ſi ad arma in Italia ventum eſſet, nihil æque ad tutandum Venetas ditiones opportunum exiſtimabat, quam ſi ab ea parte Inſubres a Rhætis invaderentur, qui ſecum quoque Helvetios vel periculi propinquitate, vel nexu fœderum attraherent. Itaque per Carolum Paſchalium gentem rerum novarum cupidam adeo impulerat, ut oratores opem petitum in Galliam mitteret, qui vigintiquinque aureorum millia in menſtrua ſubſidia impetraſſe, ac ſi opus foret, præfectos militum obtinuiſſe evulgaverant. Fraxineus orator quoque, ut Rhætis ſubveniret, Senatum vehementer hortabatur : hoc uno Hiſpanorum vires a Veneto imperio averti ; exſuſcitari in Inſubribus incendium, quod difficulter reſtingueretur, poſſe. Ob id quoque Herculem Salicem Rhætis ad Rempublicam mittendi Rex auctor fuerat, qui prolixa oratione, quæ Fuentanus moliretur, quo Hiſpanorum conſilia tenderent, perſequutus fuerat : *Nihil æque*

Senatus mandata ad Priolum in Gallia oratorem.

Henricus Rex contra Hiſpanos Rhætos concitat.

Hercules Salices, ad Venetos orator, & ejus expoſitio.

æque Fuentanum optare, quam, ut, Vulturena valle occupata, Auſtriacis continuatis ditionibus, Rhætos trans montes ablegaret, tranſalpinoque militi aditum ad Venetos juvandos in Italiam præcluderet : ad ea peragenda nihil a Fuentano prætermiſſum ſuperiore anno ; controverſiam finium inter quinque Helvetiorum pagos ac Rhætos ipſos excitatam, quo eis Montivolum, locum ad deſcenſum in Vulturenam vallem apprime opportunum, adimeret : quæ controverſia, licet ex publicis Mediolani inventis tabulis dirempta, denuo reſurgebat : nuper vero cum ex Fuentana arce Hiſpani duo milites intra Rhætorum fines fugientes ſe recepiſſent, in eorum ditiones impetu facto, inde abſtractos, in arcemque perductos, capite truncaverant : nunc demum niti, ut omnes Rhætorum genti in Italiam aditus obſepiant ; qui cum tres præcipui ſint, Poſclavum nempe, Bormium ac Tonalejus mons, qui ad Pontem ligneum in Brixienſium fines pertinet ; ſi id conſequantur, jam ſubſidiis ea ex parte in Galliam ciſalpinam mittendis actum. Quocirca viderent Patres, ne cunctando eo res redigerentur, quo potius pœnitendi, quam opem ferendi locus eſſet ; in graviſſimis rebus ſæpe temporis momento recte conſultorum rationes everti. 1607

Hæc vehementer Senatum impellebant, neque a juvandis Rhætis alienus erat. At quo Henricus animo in hiſce Italiæ diſſidiis eſſet, quæ conſilia agitaret, quid tandem decernerent cum prius cognoſcendum exiſtimaret, a Petro Priolo, legato, ſexto idus februarii literæ ſupervenere : *Regem ad concordiam cum Pontifice ineundam Patres vehementer hortari : quo majori auctoritate ac fructu in publicam pacem incumberet, neutri adhærere velle ; ut vero Rhætis ſubvenirent, nimium in modum ſuadere ; id enim illius animo penitus inſidebat, ut nimium ſe ſe efferentem Hiſpanorum potentiam quacumque ratione obtunderet.* His acceptis literis, intentiore cura cuncta ad bellum neceſſaria parabantur. Nam tertio idus februarii Joannes Bembus, claſſis imperator deſignatus, Petro Bondimerio, legato, ac triginta triremium præfectis lictoratus, magiſtratum ingenti pompa iniit. Forum, qua mare reſpicit, aulæis, periſtromatibus, ſignis mirifice ornatum inſpiciebatur : ſplendorem augebant trophæa bellica, hoſtium ſuperioribus bellis partæ exuviæ, ducum ſtemmata. Bembus ducentorum

Henricus Rex Venetos ad concordiam cum Pontifice & ad Rhætos juvandos hortatur.

Joannes Bembus claſſis imperium ſuſcipit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 torum purpuratorum comitatu cum in divi Moysis fano sacris de more interfuisset, inde in forum, insignibus bellica virtute viris, qui tunc in urbe erant, prægredientibus, peditibus centum ac quinquaginta galeatis cum fistulis ferreis, Epirotis scloppettariis sexcentis, tormentorum libratoribus quadringentis, quibus omnibus Julius Peregrinus, Bononiensis, Reipublicæ militum tribunus, imperabat, recta ad auream basilicam continenti sclopporum consalutatione deductus est. Ibi denuo solemni ritu magnificentissime re divina facta, eadem pompa ac strepitu per giganteam scalam in Patrum aulam, in qua Princeps in solio constitutus, utrimque Consiliarii ac Præconsultores adsidebant, ascendit; stansque paucis inquit: *Cum Senatui visum esset, difficillimo tempore maritimum sibi imperium (quæ suprema in Republica dignitas habetur) concredere, ei, quas vix animus capere posset, agere gratias: cunctos industriæ atque ingenii nervos in gravissimo munere recte administrando, ut conceptæ de se opinioni respondeat, adhibiturum; opes, sanguinem, vitam ipsam, uti alias fecerat, pro patria libenti atque alacri animo discrimini objecturum: neque secus præfectos aliosque præstantes cives, qui maritima virtute excellebant* (ad quos tunc versus orationem flexit) *facturos; quippe qui læti vitam pro Republica devovissent.* Ad hæc Donatus, Bembi oratione commotus, ut vix cohibere lachrymas posset, *In te vero*, inquit, *Joannes Bembe, divi Marci Procurator, ingentem spem Respublica posuit; quem semper turbulentis temporibus gravissimis rebus præfecit; omniaque in te vel munera vel decora, quæ in civem conferre Respublica potest, cumulate congessit; ex tuis egregiis gestis ingentes fructus, vel ad incolumitatem vel ad gloriam reportavit. His ductus Senatus, hac tempestate classis imperium summa consensione tibi detulit, certo vaticinans fore, nil abs te nisi egregium profectum iri. Nos interim de præclara ista in patriam voluntate, animique alacritate tibi, vobisque, cives optimi, qui majorum nostrorum celsos ac eximios spiritus æmulati, pulchrum pro patria, libertate, ac dignitate mortem oppetere arbitramini, gratias agimus, feliciaque omnia compre-*

Joannis Bembi ad Donatum Princ. verba.

Leonardi Donati Princ. ad Bembum responsum.

1607 *precamur. Aequam justamque causam tuemini, patriam libertatem ab iis, qui minus debuissent, impetitam, oppugnatam defenditis. Deum Optimum Maximum, qui nunquam hanc patriam deseruit, propitium, adjutorem habebitis; vosque victores ingenti cum gloria revertentes præstolabimur.* His habitis, per forum ad armamentarium, tota confluente civitate, se contulit, suggestumque conscendit, a quo utrimque usque ad publicas ærarias ædes militum alæ cum alabardis pertinebant; ac, ne quid ad curiositatem omittatur, auri atque argenti signati quindecies centena millia in perampla mensa apposita fuerant; solida ex auro catena in centum pedes, quanta fori latitudo est, protensa; mensam ipsam ac porticus fornices ambiebat. Ex eo auri argentique cumulo classiariis stipendium exhibitum. Inde maximo concursu ad proprias ædes deductus Bembus, convivio maritimos viros excepit; totaque dies summa lætitia concelebrata est.

Interea cum a Benedicto Mauro, legato, in consilium Joanne Baptista Montio ac Ferdinando Rubeo adhibitis, de transalpino milite consilia inita fuissent; atque magis conducere existimaretur, trium Helvetiorum millium, quam mille ac quingentorum numerum, ut antea Padavinus, Decemvirum scriba, jussus fuerat, conscribere; ea re Senatui significata, ut eam summam vel a Vaudemontio vel a præfectis Helvetiis conficiendam curaret, præceptum. Tumultuabantur interea Rhæti, jamque arma capere coeperant; sexcentorum peditum præsidio ad tenendos Vulturenæ vallis aditus miserant; sexcentorum Claveni comitatui præsidium imposuerant; sex cohortes ex transalpinis evocaverant; variisque rumoribus dissipaverant, Fuentanum tripartito Vulturenos invasurum, ex Fuentana nempe arce, Bormio, ac Solis valle: inde Gaudentium Malluccium cum sex Germanorum millibus, quos in Oeniponti ditione conscripserat, transiturum; jamque centum ac quinquaginta peditum numero e Gravedona, propinquo oppido, propugnaculum auctum. His permotus, ut in quatuor menses Rhætis tria aureorum millia tribuerentur, Patres decrevere. Salici Senatus consulto significatum: *Datt iis ex fœdere præ-*

Rhæti suos milites instruunt.

Venetorum decretum de subsidiis Rhætis mittendis.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 *ſtandis non tenerentur , attamen veterem erga gentem propenſionem eo argumento probatam voluiſſe : ſperare , additis ſociorum auxiliis , facile ſuſpiciones omnes amotum iri : hortari , ſuadere , ut rerum ſuarum tutela contenti , nihil , quo in ſe finitimorum arma provocent , moliantur* . Tunc Salices majora expoſcere : *Quid opis , ſi ad arma ventum eſſet , Rhætis afferrent* , flagitare *: de propugnaculo adverſus Fuentanam arcem exſtruendo conſilium atque auxilium* requirere . Eodem tempore Antonius Maria Vincentius ſignificabat , multa , quo minus perficerent ea , quibus ex pactione tenebantur , Rhætos impedire : Vulturenæ vallis præſidio militum ac præfectorum numero imminuto , quot polliciti fuerant , milites præſtare non poſſe : majora ſtipendia petere ; ut tranſitum per eorum fines concederent , concilium (quod *Pittacum* appellant) evocandum . At Salices contra Patribus affirmare , perſancte Rhætos fœderis pacta ſervaturos , tranſitum , licet vehementibus urgeantur officiis , conceſſuros . Neque minus laborabant Patres de itineribus , quibus Germani iter habituri dicebantur , obſepiendis . Propterea Ferdinandus Rubeus , tormentorum præfectus , ſedulo Veronenſium aditus ac ſemitas notaverat . Ut Benaci cuſtodia , decem longis navigiis biremibus adjectis , augeretur , ſancitum . Benedictus Piſaurus Benaci præfectus lectus : Antonius quoque Landus cum ſumma auctoritate annonæ militaris curator in continentem miſſus .

Benedictus Piſaurus Benaco lacui præfectus .

Antonius Landus annonæ militaris curator .

Henricus de componendis Venetorum cum Pontifice controverſiis vehementer ſolicitus , Franciſcum Jojeuſam , Cardinalem , nobilitate , virtute , rerumque uſu inſignem , Venetias mittere ſtatuit , ut ejus auctoritate aliqua concordiæ ratio iniretur . Is e Gallia per Allobroges in Italiam profectus , Taurinumque in ſubalpinis accedens , ſecundo Pado Ferrariam delatus , cum ad Pappociarum vicum aliquot dies commoratus eſſet ; de ejus adventu Patres certiores facti , ut a Foſſæ Clodiæ prætore Reipublicæ nomine exciperetur , juſſere . Decimoſexto kalen. martii a purpuratis Senatoribus ad Sancti Spiritus fanum cum publicis navigiis obviam itum . Aedes illi , quæ olim Ferrarienſium Ducum fuerant , tuncque ab Antonio Priolo , Marcio Procuratore , obtinebantur , tributæ , victuſ-

Franciſcus Jojeuſa Cardin. a Galliæ Rege Venetias miſſus .

victuſque ex ærario ſuppeditatus . Poſtera die publice , Senatoribus de more comitatus , Principem Patreſque adiit . Multa de Henrici in Rempublicam egregia voluntate , deque illius amplitudinis ac dignitatis tuendæ ſtudio , pleraque de ingenti ejus deſiderio , ut , tandem diſſidiis , quibus per annum ferme Italia agitabatur , finis imponeretur , differuit : ob eam rem Venetias miſſum , omnem operam , curam , diligentiam in re graviſſima adhibiturum . Literas regias adjecit , quas , ne publice recitarentur , petiit . Summa erat , percupidum , ut ſubortæ controverſiæ tollantur , Jojeuſam Cardinalem ad Rempublicam deſtinaſſe , eique ut fides , quæ ſibi haberetur , eo in negotio aliiſque in rebus Patres exhiberent , petere . Poſtridie ejus diei , qui dominicus fuit , ad illum inviſendum Princeps cum Collegii Patribus profectus . Ei Cardinalis a leva ſub conopeo adſedit . De itinere pro Republica ſuſcepto a Principe gratiis actis , mutuiſque officiis & humanitate refertis ſermonibus habitis , illum uſque ad navigia , cum quibus acceſſerat , Jojeuſa deduxit . Decimo vero kalen. martii a Franciſco Molino , Marcio Procuratore , conſilii , Aloyſio Fuſcareno , continentis Sapientibus , domo eductus , ſecreto Collegium adiit : deque propenſo Regis in Rempublicam animo pauca ſuperioribus haud abſimilia præfatus , *Nullam aliam ob cauſam in neutram partem propendere Henricum voluiſſe* , affirmavit , *niſi ut expeditius atque utilius in commune bonum incumberet : experientia , rerum præteritarum uſu edoctum jam (quæ illius ingens eſt prudentia) ſi ad arma ventum ſit , Apoſtolicæ Sedis Reipublicæque ipſius exitium intueri : Italia externis copiis , ferro , ſanguine exundante , cuncta divina humanaque turbata , divulſa , everſaque proſtare : nihil a Republica Henricum petere , quod ab ejus libertate , dignitate , amplitudine ſejunctum ſit : jam in multis conventum eſſe , ut nempe qui vinculis detinebantur , ſacrati viri Regi permittantur : ut in ſtatuta die a Paulo interdictum , a Senatu obnuntiatio revocetur : ut legati Romam , qui de amotis cenſuris , deque via ad amice tractandum aptefacta , gratias Pontifici agat , mittatur : ut idem de eccleſiaſticorum ac Venetorum ſcriptis ſtatuatur : id fere unum ſupereſſe videri , ut aliquid in iis , quæ ad leges attinent Reipublicæ inte-*

Jojeuſæ Cardinalis ad Venetos propoſitio .

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 *integra libertate ac dignitate, ſtatuatur; id porro haud difficile fore, ſi, dum Romæ agitur, nihil circa leges utrimque innovetur: eo pacto jam cuncta proclivia arbitrari; in id vel Patres ituros ſperare, vel eximia Senatorum prudentia alias rationes excogitaturum, quibus ad exitum negotium perducatur.* Hæc Jojeuſa.

Franciſcus Caſtrius quoque una cum Inico Cardineo Collegium accedit. *Jojeuſam inviſiſſe*, inquit; *operam ei omnem ac ſtudium detuliſſe, quo ſimul in publicam quietem intenderent: ſub ſignis illius militaturum: eam Regum conjunctionem ſummopere Pontificem optare, Philippum probare, ab ea ſe minime averſum Senatum oſtendiſſe: an id Patribus placeret petere: Philippum mirum in modum a Republica, ut diſſidiis finis imponatur, flagitare; ejus rei ob chriſtianæ reipublicæ bonum ingenti deſiderio flagrare: itaque conjunctim cum Gallis acturum; eadem quæ illi proponerent, ſi ita Senatui placeat, propoſiturum; ſecus, ſi aliter videatur, facturum: quæ publica mens ſit, expoſcere.* Ac ſane licet Hiſpani ingentia Pontifici polliciti fuiſſent, cuncta tamen ad eorum potentiam atque in Italia auctoritatem oſtentandam feciſſe, noſcebantur; cum Italico bello maxime abhorrere viderentur, atque per eos dies Franciſci Prioli oratoris literis nuntiaretur, ſecretius Regis conſilium enixe a ſe petiiſſe, ut in Regis gratiam Reſpublica omnes cum Pontifice diſſenſiones dirimeret. Jojeuſæ Senatus conſulto gratiæ de itinere ſuſcepto actæ. Adjectum: *Nihil unquam vel publica tranquillitate vel Italica pace antiquius ei exſtitiſſe; in pleriſque conſenſum fuiſſe, ut ſi, qua pietate videri cupit Pontifex, revera eſſe velit, jam nihil ad Reipublicæ in illum obſequium ac obſervantiam declarandam deſiderari queat. Nam quod ad leges ſpectaret, in eis exercendis a majorum pietate ac religione non receſſuros: quid ultra efficere Senatus poſſit, non ſupereſſe: ſi quid, quod libertati ac dignitati publicæ non officiat, inveniatur, libenter ac prompte amplexurum: peramplum aditum ad negotium ex Henrici ſententia ac voto, cum Pontificis aſſenſione conficiendum patere, in quo ſumma illius prudentia ac virtus in commune commodum ſumma cum omnium expectatione eluceſcat.*

Hiſpanorum procerum ad Italicam pacem propenſio.

Se-

Senatus conſulto de more a ſcriba perlecto, gravi oratione Jojeuſa ſubſequutus, ita dicere occepit. *Præſenti rerum ſtatu inſpecto, te, Princeps Sereniſſime, vos, Patres optimi, Henricus ad concordiam ex animo enixe hortatur, ſuadet, rogat. Quid enim, exorto bello, exortis armis, niſi ingens Apoſtolicæ Sedis detrimentum, niſi veſtræ Reipublicæ ingentia pericula, damna, clades manent, quorum infauſta monumenta incendii cineres diuturno tempore ſervabunt? Experientia, rerum uſu edoctus eſt Henricus, quo bello, quo pace loco res mortalium ſint; quot populorum cædes, urbium excidia, omnium everſiones bella ſecum trahant; quantum periculorum, tempeſtatum, ſanguinis exantlandum ſit, eo melius novit nemo. Inde nil mirum videri debet, ſi vos ad pacem ita vehementer hortetur. Reipublicæ cauſam a præconſultoribus ſuis pertractari, examinari, diſcuti juſſit: poſt varias diſquiſitiones, ſententias, cogitata cum diu cuncta animo pervolutarit, nihil aptius, nihil conducibilius invenit, quam ut aliqua ratione Pontifici ſatisfiat. Id aſſequi poſſe arbitratur, ſi, ut alias dixi, dum Romæ agatur, Reſpublica latis legibus non utatur. Nihil ob id de illius amplitudine, dignitate, libertate detrabitur, nil imminuitur. Non Senatus acta, non decretum*, inquit, *peto, ne inde aliquid poſteris vel tenuiſſimæ labis offuſum fuiſſe videatur: id quod facillimum ac leviſſimum ſit, tantum poſtulo. Ut Henricus verbo tenus Pontifici ſatisfacere poſſit, exiguo hac in re Senatus nutu contentus ero; quod ſi a vobis impetrabo, jam rem omnem confectam video. Id unum vos Patres oro atque obſecro, ne quid efferatur, omnia ſeverioris ſilentio premantur, ne hinc alii cuncta turbandi atque evertendi inſam arripiant.* Hæc ſummatim Cardinalis. Caſtrius eadem poſtulabat, nempe, ut dum Romæ agitaretur, nil circa leges Senatum innovaturum, Pontifici fidem quam Rex obſtringeret; in eoque cardinem univerſæ rei vertari, ajebat.

1607 *Jojeuſa Card. ad Venetos oratio.*

Caſtrii, Hiſpani oratoris, petitiones.

Hæc ſumma eorum, quæ proponebantur, fuit; licet adhuc nonnulla in ambiguo verſarentur, an orator, amota interdicto, vel antea Romam mitteretur, an Ignatiani reciperentur. Primo Jojeuſa obviam ire poſſe dixerat, ſi legatus triduo vel quatriduo ab interdicti amotione diſcederet; alterum ma-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 majoris ponderis esse affirmabat. Hispanus, ne Ignatiani pactis includerentur, vehementer, neque sine fructu contendisse, dicebat, a Gallis in magnam spem Pontificem adductum sodalitatis ejus viros receptum iri: id si ita, ut ferebatur, se se haberet, quod facilior ad pacem gradus fieret, gratulari. Pauca quin etiam de absolutione a Senatu petenda mussitabat. His fiebat, ut nihil certi statuere Patres posse arbitrarentur, dum una avulsa, altera difficultas suboriretur: ac licet verbis Galli Hispanis consentirent, attamen dum singuli palmam ferre contendunt, negotium quotidie implicarent, pacta everterent, nova proponerent, potius nihil confici, quam æmulo concedere vellent. Re variis consultationibus per aliquot dies agitata, tandem hoc Senatus consulto Gallo ac Hispano responsum. *Reliquis omnibus difficultatibus sublatis, si id statutum sit, ne orator nisi ab amotione interdicti Romam mittatur, neve Ignatianorum mentio habeatur, satis antea dictum Senatui videri, Rempublicam in legum usu a majorum pietate ac religione non recessuram: tantumque legatis tributum existimare, ut communi consensu negotium perficere possint, cum præsertim cum eo Principe agatur, cujus sinceritas ac fides cunctis perspecta, in dubium vocari nequeat, quique suam erga summos Reges observantiam ac studium omni officiorum genere declaraturus sit.* Cardinalis, Senatus consulto, *sibi satisfactum eo decreto*, inquit, *licet apertius maxime cuperet; non esse, cur modo Patribus gratias ageret, sed consulto (cujusmodi id sit) ad rem ex voto conficiendam usurum.* Postridie, qui fuit decimoseptimo kalend. aprilis, Castrio in Collegium adcersito, eodem Senatus consulto recitato, haud multum sibi illud placuisse, non obscure innuit: *Magis dilucide Patres post tot menses, quibus Venetiis morabatur, loquutos oportuisse: nihil eo responso sibi polliceri, nihil præstare posse; attamen, Senatu jubente, Pontifici omnia significaturum.* Jojeusa, cum diu multumque gravissima in re cogitationem defixisset, nil opportunius sibi visum fuisse, Patribus significat, quam vespere citato itinere Romam proficisci. Franciscus Molinus, Eques, divi Marci Procurator, Aloysius Fuscarenus, Eques, qui gratias agerent,

Senatus decretum, & ad Gallos & Hispanos responsum.

ent, ad eum missi. Ii, & Jojeusæ egregiam in Rempublicam voluntatem, & spem ex sententia rei conficiendæ reportant. 1607

At jam Franciscus Castrius, nulla interjecta mora, quatuor tabellariis jussis per dispositos equos Romam contendere, quæ a Senatu decreta erant, Pontifici significaverat: præterea nihil Gallo concessum, nihil certi sancitum. Id consilii Castrium cepisse credebatur, veritum, ne secreto quidpiam Jojeusa impetrasset, quo absque Hispanorum interventu, negotium perficeretur. Itaque cum nuntii Romam pervenissent, Hispani Cardinales palam dicere, in vulgus proferre, decreto Senatus nihil, quod in rem sit, contineri. Id ut facilius omnium animis imprimatur, verborum, quæ Senatus consulto enunciata fuerant, ducenta exemplaria dispergenda curarunt. At quo consilio sibi Venetorum existimationem lædi posse arbitrabantur, eo nimirum prudentia & constantia Senatus inspiciebatur, quod nihil demissum, nihil abjectum, nihil suis vel institutis vel legibus adversum polliceretur; eaque omnium, ac præcipue eorum, qui nulli factioni addicti, libere judicium ferebant, sententia erat: licet hæ Hispanorum voces summis clamoribus Paulo perferrentur: *Venetos cum Gallis ad Pontificem decipiendum conjunctos: viderit ipse, ne capi se verbis sinat: de pontificia dignitate maxime agi.* Quibus adeo commovebatur, ut summa adseveratione Hispanis Cardinalibus significari juberet, nunquam ex iis, quæ Castrius perscripserat, negotium confecturum: ni amphora a Jojeusa afferrentur, actum arbitrari, omnem concordiæ spem præcisam iri.

Cum vero Joejusa decimoseptimo kalendas aprilis Venetiis discessisset, decimoquinto kalend. Fanum, Flaminiæ oppidum accessit. Ibi lætis populorum vocibus pacis nomen ingeminantium exceptus, divina re peracta, per Lauretanos arrepto itinere, undecimo kalendas dimidia noctis hora Romam pervenit. Sequenti Paulum adit: exponit: *Henricum in Italiæ atque totius christianæ reipublicæ bonum incumbentem, dissensionibus exortis finem imponi cupere: vehementer ad id non privatis rationibus, sed publicæ tranquillita-*

Jojeusæ Cardinalis Romam contendit, & Pontificem ad concordiam hortatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 *litatis paciſque ſtudio commoveri: exinde, quæ egerit, quam cunctis ingenii nervis contenderit, ut aliqua honeſta ratio concordiæ ineatur, ſignificat: in Venetis egregiam voluntatem, religionis eximium ſtudium, pacis deſiderium perſpexiſſe; quidquid per eos effici poterat, cumulate præſtaſſe; amplius non facturos, atque ab iis, quæ ſibi communicaverant, ne tantillum quidem receſſuros: ni iis habitis diſſidii exitus inveniatur, peſſimo loco res fore, jam tum autumari: nobilitatem infracto animo cuncta pericula ſubituram, bellum alacriter ſuſcepturam, nihil, quo dignitatem una cum libertate tueatur, prætermiſſuram: vires illi maritimas ac terreſtres adeſſe, in bellicorum apparatuum ſingulare ſtudium, ingentes theſauros, externorum Regum ac Principum neceſſitudines, quibus extrema quæque pro patria amplexuri ſint.* Dicente Jojeuſa, cum haud parum Pontifex commoveri videretur, inquit: *Niſi præter ea, quæ certo Senatum decreviſſe noverat, ſibi aliquid concederetur, nullo pacto conſenſurum.* Caſtriique literis, de quibus antea diximus, perlectis, ſubdit: *Non ejuſmodi, quas Jojeuſa affirmaverat, Reipublicæ vires, non eam ſibi, ut vulgo ferretur, vim auri atque argenti eſſe: ancipiti bello in Inſubribus nempe ac Ferrarienſibus Reipublicæ dimicandum; mari, qui obſiſterent, futuros; neque cum hominibus Diiſque pugnare Venetos poſſe arbitrari: quacumque ratione Apoſtolicæ Sedis dignitatem tueri ſtatutum ſibi, & immotum eſſe: quidquid adhuc auri in Hadriani mole reliquum eſſet, exhauſturum, vaſa quin etiam ſacra, ſi opus in eam rem ſit, devenditurum & conflaturum.* Hæc cum perturbate dicerentur, Jojeuſa nonnihil concedendo, alia refellendo, molliter excipere Pontificem nixus, ita ſibi complanare iter ſtuduit, ut quam maxime illius animum ad concordiam flecteret: tantumque & ratione, & dicendi vi, qua maxime poterat, effecit, ut vultus ſerenitate, ac leniſſimis verbis facile ingens pacis deſiderium patefaceret.

Pauli Pontificis ad Jojeuſam reſponſum.

Dum hæc gererentur, maximique Reges certatim ſuboriens in Italia incendium, gloriæ deſiderio incenſi, reſtinguere nituntur; veritus Cæſar, ne qui ſupremam in chri-

chriſtiana republica dignitatem obtinebat, parum ſuæ exiſtimationi conſuluiſſe exiſtimaretur, ſi, laborantibus ceteris, ipſe conquieſceret: Carolum Emanuelem, Sabaudiæ Ducem, Venetias mittere decrevit; Franciſcumque Caſtillioneum Marchionem citatis itineribus in Italiam properare juſſit, qui Auguſtam Taurinorum accedens, cum Carolo ageret. Is enim ſuam Cæſari operam pollicitus, ingenti cupiditate graviſſimi pertractandi nogotii incitabatur; vel quod inde haud contemnendam gloriæ acceſſionem ſibi comparaturum arbitraretur; vel ut ex omnium animis jamdiu conceptam opinionem evelleret, quod pacis ac quietis parum ſtudioſus, ad bellum impetus, quibus natura ferebatur, ſummo ſtudio & cura alere conaretur; vel ut Rodulphi gratiam iniret, cui jampridem animo filiam conjugem deſignaverat; vel demum quod celebriorum Italiæ urbium, Romæ nempe ac Venetiarum, videndi deſiderio teneretur. Verum antequam in viam ſe daret, quæ in animo habeat, Petro Contareno, Reipublicæ oratori, ſignificat: an ſuus Venetias adventus gratus eſſet futurus, quove loco res eſſent, petit. Contarenus lætis animis, ſi Venetias acceſſerit, exceptum, iiſque honoribus, qui & illius in Rempublicam meritis, & ſuorum majorum cum Republica neceſſitudini conveniant, excultum iri affirmat: Quod vero ad negotium attineat, tantum Patres præſtaſſe, ut nihil jam vel ad illorum in Sanctiſſimam Sedem obſequium, vel ad publicæ pacis ſtudium patefaciendum ſupereſſet: cuncta ad Pontificis permolliendum animum officia adhiberi oportere, ut iis, quæ rationi atque æquitati minime ſejuncta ſint, acquieſcat. His, cognitis, Joannem Baptiſtam Solerium, antea ordinario legationis munere apud Rempublicam perfunctum, extra ordinem oratorem miſit, qui decimoquinto kalendas aprilis una cum altero legato, Joanne Baptiſta Provena, in Patrum Collegium introductus, Caroli literas officii atque amoris notis refertas ſubſequutus, illius in Rempublicam benevolentiam obſervantiamque ampliſſimis verbis teſtatus, ſubjecit: *Italiæ pacis ac tranquillitatis Carolum percupidum eſſe: a Rudolpho, ut ejus nomine legatus Venetias accedat, quo in commune*

1607 *Rudolphus Cæſar Sabaudiæ Ducem Venetias mittere decernit.*

Joannes Baptiſta Solerius, Sabaudiæ Ducis orator ad Venetos.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 *mune hoc pacis publicæ bonum omni vigore animi incumbat, injunctum.* Solerio Senatus consulto responsum: *Si Carolus Venetias venerit, Patres non modo, verum cunctos civitatis ordines hilari animo ipsum excepturos.* Addita Solerio lautia, quingentorum aureorum torquis dono datus. Eodem tempore Castillioneus Venetias pervenit. Se una cum Sabaudo a Cæsare ad Rempublicam legatum, inquit: illius adventum, ita eo consentiente, ut, quo loco negotium esset, intelligeret, progredi voluisse; responsum quamprimum Senatus expectare. Quæ ideo hactenus acta fuerant, quæque Regum legatis recitata, eadem Senatus consulta fuerunt significata. Cum eo responso postridie discedens Romam proficiscitur.

Franciscus Castillioneus Marchio a Cæsario Venetias venit.

Interea tumultus apud Rhætos magis in dies augebantur. Cum enim trium circiter millium peditum præsidium Vulturenæ valli imposuissent, neque eorum spei a fœderatis satisfactum sibi videretur, ne pecuniam a Republica exhibitam reciperent, transalpinis perscripserant: duoque Rhætorum præfecti, Fuentani promissis onerati, Mediolano in suas ditiones se contulerant, infimam plebem in proceres concitaverant, intestinum ac civile bellum aluerant, cuncta seditione repleverant. Itaque Rhæti ad Jantum oppidum concilium indixerant, in quo de transitu ex fœdere Venetis permittendo ageretur: neque enim in id proceres, absque omnium consensu, ea rerum perplexitate ac turbatione, consentiendum existimaverant. Eodem tempore literæ a Joanne Baptista Padavino, Decemvirum scriba, e Lotharingia afferebantur; quibus literis ea, quæ cum Helvetiis ac Vaudemontio egerat, continebantur: *Per Tigurinos, Bernates ac Basilienses Helvetiorum pagos pertransisse; trium peditum millia, per eorum fines externo militi transitum obtinuisse; inde lente admodum militibus Reipublicæ nomine conscribendis operam navari cognovisse; idque Pontificis literis effectum, quibus Carolum Patrem ac Cardinalem filium, ne Venetis opem ferrent, hortabatur, rogabat: indignum esse, ut, qui catholicæ religionis semper propugnatores fuerant, modo in ipsum Pontificem arma induerent: non de Francisci Vaudemontii filii, qui jam muneris sibi a Venetis injuncti tempus expleverat, dignitate agi;*

Rhætorum tumultus Fuentani comitis opera excitatus.

Pauli Pontificis literæ ad Lotharingiæ Ducem, ne Venetis milites conscribi permitteret.

cui si augendæ amplitudinis studium infixum sit, Vexilliferi Ecclesiæ munus delaturum: atque ut nihil ad externa auxilia ea ex parte Venetis intercludenda prætermitteret, Cardinali alias literas dedisse: Herculem Verdellium, Cremensem, Hierosolymitanum equitem, militiæ Venetæ adscriptum, ad se accersitum moneret, ne Reipublicæ nomine milites conscriberet: id equitem sacratum, in Hierosolymitana militia recensitum, minime decere: illum vero & sibi delato muneri, & debito in Rempublicam, cujus beneficiarius erat, officio deesse non posse, affirmantem, in pollicito opere perstitisse. His cognitis statim Nancæum se contulisse, a Duce benigne ac perhumaniter exceptum; cum, ut quamprimum copiæ in Italiam mitterentur, peteret, ejusmodi responsum tulisse: cupere se, ne publica tranquillitas interturbetur, dissidia componantur; nihil ad eam rem prætermisisse; Marnevillium a secretis in Italiam misisse (qui sane superioribus diebus Venetias accesserat) *minime milite Reipublicæ opus fore: Cardinalem vero, si Padavinus pro concordia ineunda ad eum accessisset, libenti animo excepturum; secus, pro eo quo fungebatur munere, excipere non posse.* At Vaudemontius febri correptus, lectulo tunc detinebatur: idque ex eo profectum plerique arbitrabantur, quod cum fidem Reipublicæ obstrinxisset, paterque obstaret, undique summis angustiis circumsideretur: hinc militare decus atque honos, inde parentis aversus animus urgerent; ita ut, augescente morbi impetu, patrem media nocte vocaret, eique molestias & curas, quibus exagitaretur, patefaceret: quem ille solatus, bonoque animo esse jussum, pristinæ salutí recuperandæ incumberet, suæ existimationi ac decori consulturum, affirmavit.

1607

Lotharingiæ Dux Marmovillium a secretis Venetias mittit.

His cognitis, statim Padavino rescriptum: *Vaudemontium adeat, nihil, quo illum ad ea præstanda, quæ pollicitus fuerat, impelleret, prætermittat: Jam Reipublicæ & voce & scriptis suam fidem, qua nil gravius apud ingenuos animos, nullusque acrior stimulus invenitur, obtigno[illegible]sse; quæ agitet, quæ moliatur, ab omnibus sedulo observari, orbi universo christiano amplissimo veluti theatro expositum esse; videat quid Principi viro, quid copiarum imperatori, quid e Lotharingia perampla ac nobilissima domo orto, conveniat: ex nobilium*

Senatus mandata ad Padavinum in Lotharingiam.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 *bilium cœtu Reipublicæ filium esse, quæ Lotharingam domum semper nullo non officii ac benevolentiæ genere prosequuta sit: jam si initio cogitationes suas alio contulisse significasset, Reipublicæ externas copias, quotquot voluisset, minime defuturas fuisse; multorum, qui ultro suam operam deferebant, pollicita, ejus promissis, fidei, constantiæ inixam, neglexisse: itaque quamprimum profectionem militum maturaret, beneficium in memores gratosque collaturum.* Verdellio, quod egregiam in Rempublicam voluntatem patefeciſſet, quod centum galeatos equites externorumque militum manum ducturum pollicebatur, gratiæ actæ. Padavino quoque præceptum, ut, si mora a Lotharingo copiis in Italiam ducendis injiceretur, Helvetiorum ad sex millia numerum augeret. Vincentio, ut Rhætorum gentem, muneribus etiam adjectis, pacatam reddere niteretur, sexque jam conscriptis cohortibus tres adjungi curaret, jussum. Cum vero Franciscus Martinengius, levis armaturæ equitum præfectus, suam in externo conducendo milite operam Senatui detulisset, obque amicitias & clientelas, quas apud Gallos & Helvetios habebat plurimas, quatuor Gallorum peditum, totidemque Helvetiorum millia, loricatos equites sexcentos brevi in Bergomatum fines adducturum diceret: ut Gallici peditatus quatuor millia, quadringentos equites loricatos conficeret, præceptum.

Franciscus Martinengius suam operam in externo milite conducendo Reipublicæ defert.

Interea Rhætorum pagi aliquot insurgunt; atque armati, explicatis vexillis, Curiam contendunt, ingressumque in urbem petunt. Concilio statim vocato, gladio tantum armatis aditus permittitur. Ii furore perciti, in civitatem ingressi, Vincentii ædes obsident; exeunti, ut Jantum, quo pittacum indictum erat, se conferret, circumsistunt: qui transitum per Rhætos Venetis venumdedisset, qui auctores fœderis fuisse nt, petunt: cuncta se insciis peracta, patriam proditam, privatis compendiis libertatem in summum discrimen adductam. Ea ferociſſimorum hominum barbarie circumseptum se Vincentius animadvertens, furori cedendum ratus, intra ædes se recipit; sedato aliquantisper tumultu, concilium adit, de iis quæ ipsi acciderant, acriter conqueritur: *Inter barbaras nationes ab omnique humanitatis sensu alienas ita cum internunciis Principum, qui ubicumque terrarum jure gentium sacrosancti sint, agi*

Rhæti tumultuantes Vincentii ædes obsident.

1607 *agi non consuevisse: an ita collata beneficia, atque in eam gentem merita Reipublicæ rependi? an hujusmodi pro iis, quæ Senatus gesserat, quæque pollicitus fuerat, gratias referri?* Cum hæc gravi & concitata oratione Vincentius enunciasset, qui in concilio aderant, summam se ex iis, quæ contigerant, molestiam percepisse affirmant; quæ a plebe incondita ac rudi facta essent, mollire atque excusare, humaniſſimis verbis Vincentium solari nituntur. Domum reversum duodecim ex consiliariis protegere, atque a plebis adhuc furentis æstu immunem reddere conantur. Salices, qui adhuc Venetiis erat, horum motuum causam in reipublicæ Rhætorum formam, quæ nullis certis constaret legibus, conferre: *Nil mirum, si in populari statu hujusmodi nonnunquam seditiones suboriantur: sperare, brevi, certa Veneti subsidii spe, concilio Janti indicto, cuncta compressum ac sedatum iri: in hoc se ad concilium ipsum literas vehementes daturum: interim minime Vulturenæ vallis oblivisci Senatum oportere, qua una sarta, iter transalpino militi in fines Reipublicæ pateret.* Quapropter Vincentio in mandatis datum, ut pecuniam præsidiariis Vulturenæ vallis militibus persolvendam publico nomine polliceretur; eo ferocis atque imperitæ multitudinis impetum sisti posse Patres rati. Septem aureorum millia a Vincentio tributa: neque ob id tumultus conquiescere, sed magis magisque augeri, cunctaque ad civilia dissidia spectare. At in Lotharingia Vaudemontius, pristina recuperata valetudine, Padavino accersito, nunquam se majoribus gravioribusque implicatum curis; nunquam ita animo æstuanti, in varias se partes versasse, quam hoc tempore, inquit: nulla tamen ratione Reipublicæ deesse, sibi immotum sedere: ut viginti dierum spatio supersederetur, cum patre sibi constitutum, quo & Venetiis literæ perferrentur, & quæ pacis spes esset, ex Italia nuntiaretur: inter ea cogendo militi operam enixe daturum; jamque Lotharingo in procinctu esse, ajebat: Helvetios quoque, Tigurinos, Bernates, Claronenses delectum pro Republica habere; tranactisque diebus quindecim, in viam se daturos, Padavini literis asserebatur.

Senatus mandata ad Vincentium in Rhætos de pecuniis militibus impertiendis.

Dum hæc fiunt, Romæ de concordia agitabatur; a Pontificis animus, vel quod a bello Italico abhorrere Hispanos intelligeret, Regemque per Internuntium urgenti, ut quæ auxilia polli-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 pollicitus fuerat, re ipsa præstaret, verba darentur; vel quod, si ad arma veniendum esset, multa ab Hispanis postularentur; vel demum quod, quæ initio sibi facillime successura speraverat, ingentibus difficultatibus ac periculis plena obversarentur: ad pacem quotidie magis ac magis flectabatur; quamquam non deerant, qui vel rerum novarum cupidi, vel Reipublicæ infensi, omnia turbare niterentur. At Paulus privatim Cardinalium mentem exquirere; seniores quoque ad se vocare; qua ratione negotium conficiendum esset, petere: Saulium, Rubertum Bellarminium e Jesu societate, Cæsarem Baronium, qui vel usu rerum, vel prudentiæ ac doctrinæ opinione inter ceteros eminere videbantur, consulere: inter quos Baronius, auctoritate multum eminens, haud parum ad Pauli animum ad pacem traducendum valuit. Sed præter ceteros Ebroicensis Cardinalis virtus, doctrina, insitaque dicendi vis emicuit, qui gravi oratione ad amplexandam concordiam Pontificem hortatus, quæ ex his dissidiis pericula, quot mala rempublicam christianam manerent, edocuit. *Non amplius cunctandum; eo statu res esse, ut, nisi mature provisum sit, Italia universa cæde, sanguine repleatur: meminerit, quæ, Leone* X. *Pontifice, Germaniæ; quæ, Clemente* VII. *Angliæ acciderint: quæ Galliæ contigissent, nisi Clementis octavi singularis prudentia, eximia virtus prope labenti, humeros supposuisset: Quidquid præstare poterant, Venetos præstitisse; præsenti opportunitate utatur, incassum illam postea desideraturum. An, armis multos in annos Italia afflicta, an pecunia Ecclesiæ exhausta, amplius accepturum speraret? Ne aures iis præberet, qui cuncta mutari, turbari, subrui, everti cuperent: præclarum hoc pacis bonum Italiæ, reipublicæ christianæ tribueret; neve suo tempore publicam tranquillitatem funditus tolli, bellum internecinum excitari, divina omnia atque humana permisceri patiatur.* His permotus Pontifex, Jojeusæ literas, *Breves* vocitatas, dedit; cum Senatu transigendi, interdictique amovendi facultatem tribuit.

Ebroicensis Cardinalis Pontificem ad concordiam hortatur.

Paulus Pontif. Jojeusæ Cardin. facultatem cũ Venetis trãsigendi tribuit.

Cardinalis tertio nonas aprilis Roma discedens, quam maximis potuit itineribus, quinto idus ad urbem pervenit; postridie mane, cum comitia haberentur, neque ob id Principem & Patres adeundi potestas esset, a prandio introductus, re feliciter confecta, Roma discessisse, inquit: egregiam in Pontifice erga Rempublicam voluntatem perspexisse; multorum impedimenta, prava officia, adversos conatus, Deo adjuvante, virtute & constantia superasse; peramplam sibi interdicti amovendi facultatem vivæ (ut ajunt) vocis oraculo tributam. Donatus Princeps de itineribus, laboribus, curis, vigiliis Reipublicæ causa susceptis, Jojeusæ gratias agit. *Quid* (inquit) *amplius a Veneto cive pro patria effici potuisse, quod ille non ad vota confecerit? quid porro ab ejus eximia virtute, ac in nomen Venetum benevolentia expectari, quod non cumulate præstiterit? Jam tum primum, cum ab Henrico ad hoc pertractandum negotium delectus esset, cuncta sibi prospera Senatum, Italiam, totamque adeo christianam rempublicam fuisse pollicitam.*

1607

Quoniam vero ex iis, quæ negotium facessere visa fuerant, imprimis Ignatianorum restitutio exstiterat, in ea re, ut Pontifici Patres gratificarentur, enixe Cardinalis laboravit: *Id vehementer Paulo cordi esse; suam existimationem, ni Ignatiani reciperentur, agi existimare, quos ejectos a Senatu omnis orbis christianus hisce tumultibus sciret: verum non modo, quæ Pontifex summo studio efflagitaret, sed quid eidem Reipublicæ conduceret, consulere; id ni fiat, nunquam integram perfectamque concordiam fore, novas contentionum causas, segetemque suboriturum: id & ab universa christiana republica optari & expectari quam maxime, cui, si admitterentur, præclare satisfactum iri, adeoque Pontificem ipsum sibi Patres devincturos, ut nihil quod vel petiissent, vel cupivissent, denegaturus unquam videretur.* Ad hæc Princeps multa, quibus Ignatiani restitui non possent, subjecit: cunctisque de more ad Senatum relatis, quæ illius sententia sit, significaturum. Eadem die, digresso Jojeusa, Cattrius accessit: deque negotio feliciter confecto gratulatus, omnem in eo studium, curam, diligentiam adhibuisse testatus est; ac ne de Ignatianis mentio fieret, Regis in primis auctoritate suaque industria impetratum: attamen non ut aliqua in iis, quæ acta fuerant turbarentur, sed pro Senatus eximio ac generoso animo summis precibus, ne hæc familia excludatur, efflagitare; iis fere, quæ ab Jojeusa dicta

Jojeusa Cardin. reditum Jesuitis a Venetis obtinere nititur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 fuerant, commemoratis. Ei gratiæ a Principe uberrimæ actæ; de Ignatianis negotium difficile omnino esse, quodque nulla ratione confici posset, adjectum. Re ad Senatum delata, & per aliquot dies agitata, tandem multis utrimque jactatis, ejusmodi Senatus consultum factum: *Interdicto ac censuris amotis, eodem tempore obnuntiationem scripto Senatum amoturum: De religiosorum familiis admittendis præscribi aliquid non placere, nisi Ignatiani apertis verbis excipiantur: æquum censere, ut quicumque in hisce contentionibus vel Rempublicam scriptis defenderint, vel obtemperaverint, nihil detrimenti patiantur; eorumque Senatum patrocinium susceperturum: Carceribus detentos in Christianissimi Regis gratiam, salvo Reipublicæ ecclesiasticorum plectendorum jure, pontificiis traditurum; eadem die legatum Romam designaturum.* Quæ decreta fuerant, Jojeusæ ac Castrio significantur; atque decimo kalen. aprilis cum Jojeusa in id conventum; ut ipse postridie mane hora decimaquarta Principis Patrumque ad collegium accederet; antea vero nexi traderentur: inde, interdicto sublato, amotis censuris, literæ de Principis manu Cardinali darentur, quas italico idiomate conscriptas, in latinum sermonem translatas, apposui.

Leonardi Donati Principis responsum.

Castrii Hispani oratoris cum Venetis officium & Principis responsum.

LEONARDUS DONATUS, DEI GRATIA VENETIARUM DUX, &c.

REverendissimis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis imperii Veneti, nec non Abbatibus, Prioribus, ecclesiarum parœcialium Rectoribus, aliisque ecclesiasticis Præpositis salutem.

QUoniam, Deo Optimo Maximo juvante, inventa ratio est, qua Sanctissimus Paulus quintus, Summus Pontifex, candoris animi, actionum nostrarum sinceritatis, inque Sanctissi-

ctissimam Sedem observantiæ gnarus, horum dissidiorum causas amoveret: Hoc, uti semper summopere exoptavimus, enixeque pro conjunctione, atque mutua cum eadem Sanctissima Sede, cujus observantissimi atque obsequentissimi filii sumus, necessitudine laboravimus; ita hujusce desiderii nostri compotes esse factos valde lætamur, idque vobis significare voluimus: eo insuper adjecto, quod cum utrimque, quidquid hac in re opus erat, perfectum fuerit, amotis censuris, obnuntiatio pariter, quam ob hanc causam ante emisimus, abolita maneat; volentes, ut ex hac ipsa cunctisque actionibus nostris magis ac magis pietas & religio Reipublicæ nostræ refulgeat, quam, uti continuatis temporibus majores nostri fecere, nos quoque sartam tectamque tuebimur. 1607

Marcus Ottobonus Secretarius.

Vinctos porro tradendi negotium Marco Ottobono, Senatus scribæ, mandatum; qui summo mane ad Cardinalis ædes accedens, in cubiculum, ubi Fraxineus legatus aderat, introductus, altiori voce, ita ut a cunctis exaudiri posset: *Hi sunt*, inquit, *Fraxinee, Christianissimi Regis orator, bini captivi, abbas nempe Brandolinus, ac Scipio Saracenus, canonicus Vicetinus, quos Respublica, ut Henrico Galliarum Regi gratificetur, salvo jure, quod in ecclesiasticis plectendis obtinet, summo Pontifici concedit.* Orator vero se accipere conditionibus, affirmat; statimque in aliud cubiculum, in quo Jojeusa erat, ingressus, *Hi sunt*, ait, *Cardinalis Illustrissime,*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 *duo vincti, quos in noſtri Regis gratiam, ſalvis ſuis in eccleſiaſticos animadvertendi juribus, Reſpublica Pontifici Maximo tribuit.* Tunc Jojeuſam ad eum, qui a Pontifice miſſus fuerat, converſus, *Hi ſunt*, inquit, *carceribus obnoxii, qui Summo Pontifici conceduntur.* Statimque Ottobonus, quæ verba in captivis tradendis Fraxineo enuntiaverat, a duobus Reipublicæ ſcribis, ut publicis tabulis exciperentur, juſſit.

His peractis, Jojeuſa Collegium adit: antequam Principi de more adſideret, *Tibi vero, Princeps*, inquit, *Sereniſſime, ſublatas cenſuras eſſe vehementer gratulor.* Inde cum ſediſſet: *Venetæ, adeoque chriſtianæ reipublicæ, quod tandem exitum ingruentibus periculis adventantibuſque malis invenerit, mirum in modum gaudeo. Cunctis ſane bonis, atque iis, quibus pax, publica tranquillitas ac religio cordi eſt, ſummopere lætandum. Incredibilem inde lætitiam Henricum Chriſtianiſſimum Regem percepturum ſcio, qui magna pars rei feliciter confectæ fuerit; qui incredibili virtute, prudentia, candore animi, quid in re graviſſima opus eſſet, egregie confecerit. Se certe, quantum humana induſtria aſſequi poterat, nimio in Rempublicam & commune bonum ſtudio peregiſſe, nullis itineribus, nullis laboribus, nullis vigiliis pepercisſe.* Hic Princeps in gratiis agendis, meritiſque Jojeuſam laudibus extollendo effuſus, quod chriſtiana reſpublica incredibili gaudii ſenſu pacis bonum exceptura ſit, id potiſſimum Henrico invicto ac feliciſſimo Galliarum Regi, ſuiſque laboribus deberi, qui graviſſimum ſibi impoſitum onus peregregie ſuſtinuerit, quodque plerique confici minime poſſe rebantur, ad exitum conſtantiſſime perduxerit: ejus ſane rei perpetuo ſibi obligationis nexu Rempublicam Venetam devinctam fore. Moxque Senatus decretum exhibuit. Tum Jojeuſa gratias Principi agere, publicum bonum denuo gratulari; Joannem Delfinum, Cardinalem, quod nullum officii genus pro patria prætermiſiſſet, laudibus afficere; Alexandrum Contarenum, ejuſdem Delfini nepotem, quod ſua virtute non parum rei ex voto conficiendæ adjumento fuiſſet, commendare; Cæſaris Baronii, Cardinalis, propenſam voluntatem officiaque extollere. Hæc coram Patribus: exinde ad Caſtellanam divo Petro dicatam ædem delatus, ingenti totius civitatis concurſu rem divinam peregit. Fran-

Franciſcus Caſtrius ac Inicus Cardineus, Philippi ordinarius 1607
orator, eodem tempore Collegium adeunt, Principi ac Patribus gratulantur: a prandio vero convocato Senatu, Franciſcus Contarenus, Eques, legatus Romam eſt deſignatus; deque interdicto ſublato, cenſuris amotis magiſtratus omnes extra urbem certiores facti. Ac ne gravitate, quam ſemper conſtantiſſime retinuerat, diſcedere Senatus videretur, ne publicæ lætitiæ ſigna ederentur, ſtatuit. Egenis ex ærario pecunia liberaliter impertita: iis qui in tuenda Reipublicæ cauſa ſtudium operamque contulerant, penſiones annuæ decretæ; atque ut aliquod publicæ munificentiæ argumentum in Cardinalem Jojeuſam ac Caſtrium exſtaret, Jojeuſæ auri fabrefacti ſexaginta librarum pondo, Caſtrio triginta, Senatus conſulto dono data. Regibus per literas, perque ordinarios legatos gratiæ actæ. Ac non multos poſt dies Franciſcus Contarenus, legatus, Romam profectus, in itinere Pontificis juſſu ſingulis in civitatibus perhonorifice eſt exceptus. Romæ eximio populi concurſu atque acclamationibus conſalutatus, cum Pontificem adiiſſet, nullam ab eo ſignificationem amoris ac benevolentiæ in Rempublicam non obtinuit. Venetias vero Berlingherius Geſſius, Bononienſis, Ariminenſis Epiſcopus, Internuncius miſſus eſt. Hoc pacto finis diſſenſionum inter Pontificem ac Venetos fuit impoſitus, non abſque ingenti Senatus laude, quod fortiter in publica cauſa, nulli ſumptui, nullis laboribus peperciſſet, avitamque tuendæ dignitatis ac libertatis laudem in totius orbis theatro repræſentaſſet.

Finis Libri Decimiſeptimi.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

EPITOME.

LEvata belli metu civitate, Italici milites domum dimissi sunt. Ut tuta a piratis navigatio esset, studium omne a Venetis adhibitum, resque praeclare ab eorum praefectis gesta est. Francisco Vendrameno, Patriarchae, Romam ire permissum est, ut se Pontifici doctrinae examen subiturus sisteret: qui deinceps Venetiarum Patriarchae designati essent, ne id cogerentur, Pontifex indulsit. Marcus Quirinus, trierarchus, in duas turcicas triremes impetum fecit: motus ob id Byzantii concitos Simeon Contarenus magna solertia sedavit. Tergestinorum ausus ab Aloysio Georgio repressi. Turbae in Carnis per Philippum Paschalicum compositae. Novum cum Pontifice jurgium ob pingue Venetae ditionis sacerdotium nepoti collatum: res tamen amice transacta. Cum libellum, Angliae Regis opus, Pontifici, Ecclesiaeque injurium, Rex ipse dono Reipublicae misisset; ita temperato consilio usus est Senatus, ut neque apud Pontificem, quod eum acceperat, neque apud Regem, quod eumdem irreligiosae doctrinae ab iis, ad quos spectat, damnari passus fuerat, aliquid offenderit. Mauri Hispania ejecti. Imminens Italiae bellum primum Henrici Galliae Regis, pugione a sicario percussi, deinde & Fuentani Insubrum gubernatoris obitus avertit. Augustinus Canalius, classis praefectus, in Numidas piratas prospere pugnavit: Dragutes archipirata interfectus est. Utrius esset in Cenetenses imperium, Senatui cum Pontifice negotium fuit. Aliquandiu, prolatis scripto rationibus, disceptatum: nihil certi definitum est. Cum Ferrariensibus de finibus controversiae habitae. Ob privatorum simultates turbarum aliquid in Illyrico inter Venetos & conterminos Turcas excitatum. Angelo Baduario, ob detecta Senatus consilia, aqua & igni interdictum est. Leonardus Donatus, Venetiarum Dux, repentina morte sublatus: in ejus locum successit Marcus-Antonius Memus. Multa nefarie, haud tamen impune ab Uscochis patrata narrantur. Collata in stipendia militum pecunia, Mantuae Ducem contra Sabaudum Senatus juvit. Christophorus Venerius, trierarchus, ab Uscochis captus, foedissima quaeque ab ipsis, & demum miserrimum mortis genus perpessus est. Quae inter Mantuae & Sabaudiae Duces controversiae sedatae videbantur, iterum recruduere. Uscochorum fines Antonius Civranus ferro & igne vastavit. Veneti Sabaudiae Ducem ad pacis consilia hortati, ejusque causssam se suscepturos, nisi pactis Hispani starent, polliciti sunt.

HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI LIBER DECIMUSOCTAVUS.

COmpositis cum Pontifice controversiis, quamvis belli apparatus summo studio susceptI 607
intermittendi videbantur; attamen, nisi copiae, quas Fuentanus comes in Insubribus comparaverat, alio verterentur, de coactis viribus nihil imminuendum Patres rebantur. Immo cum rumor esset, Hispanos praepotenti classe maria infesturos, Turcas Hellesponto cum triremium valida manu egressuros; ut rerum maritimarum dignitatem Senatus tueretur, Joanni Bembo classis imperatori designato, vexillum de more tradendum statuit. Quo inter missarum solemnia de manu Principis quarto kalen. maji susceptο, statim conscendit, Coreyraïque cum classe contendere, a piratarum excursionibus maria tuta reddere, incolumitati subditorum providere, nihil quod ad publicum decus retinendum spectaret, jussus praetermittere.

Joanni Bembo classis vexillum tribuitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 Interim Fuentanus nihil de militaribus curis remittere, milites augere, tormenta disponere, cuncta fere ad certum bellum destinare. Jam enim triginta millium copias partim externo, partim proprio milite confecerat: in iisque Helvetiorum tria millia, Germanorum sex, Neapolitanorum totidiem, quatuor Hispanorum, reliquum ex Gallia Cisalpina adnumerari ferebatur. Ipse ingenio fervidus, rerum novarum cupidus, conciliatam cum Pontifice Rempublicam ægre ferens, præreptam sibi e manibus fortunas suas opesque augendi occasionem fremebat. Ac plerique arbitrabantur, seditionibus distractis Rhætis, Vulturenæ vallis invadendæ opportunitatem non prætermissurum. Eo enim jam apud inconditam Rhætorum multitudinem res deductæ erant, ut plebs in nobilitatem commota fueret, atque judicium quadraginta virum in nobiles institueret; quindecim virum consilium, in quo graviora tractarentur negotia, Gallorum suasu stabilitum, abrogaret; præsidium Vulturenæ valli impositum, licet militibus Veneti stipendia menstrua persolverent, penitus negligeret; palam Gallorum Venetorumque fœderibus renuntiaret; eos non modo qui Venetis faverent, verum qui nuper Mediolani fuerant, vel in jus vocaret, vel in vincula conjiceret. Quæ sane omnia Fuentanum, ut tempore uteretur, & in Rhætorum ruinis novandarum rerum fundamenta poneret, hortari videbantur. At alia ex parte, cum Hispani in octo menses indicias cum Batavis pepigissent, in Belgium copias amandaturum, ut, iis elapsis, in omnem eventum in promptu essent, multi opinabantur. Iis namque induciis Angli ac Galli vehementer soliciti, ne gravissimis diuturni ac difficillimi belli curis soluti Hispani, immensa auri vi, quam quotannis ex occidentalibus Indiæ oris accipiunt, aucti, in reliquorum Principum perniciem excrescerent, verebantur. Quare, ultro citroque missis nunciis, quæ in rem communem essent, agitabant. Ac nuper Henricus Jannium præsidem ad Batavos miserat, qui eorum animum exploraret, auxiliaque polliceretur. Omniaque facturi Galli, ne ea gens præda Hispanorum fieret, videbantur. Nec deerant, qui, ne tantum copiarum immensis impensis coactum inaniter dissiparetur, Genevam Caroli Emanuelis impulsu aggressurum Fuentanum, existimarent; licet, cum fœdere Vervinensi Genevates continerentur, Henricum id passurum minime credendum esset.

Rhætorum seditiones.

1607

In hac armorum suspensione dum cuncti versantur, literis ex Hispania allatis, copias dimittere Fuentanus jubetur; qui statim, haud parva pecuniæ summa ex Insubribus corrogata, Germanos Helvetiosque missos facit, atque per Inicum Cardineum, ut Germanis per Benacum transitus permittatur, a Senatu petit. Benedicto Mauro, legato, statim, ut libere per Reipublicæ fines eos iter habere concedat, injunctum. Padavino quoque datæ literæ, cum milite externo minime Reipublicæ opus sit, ne in Helvetiis amplius conscribendis laboret, conscriptos dimittat: Helvetiorum pagis opem Rhætis ferendam, illosque omni officiorum genere juvandos suadeat. Helvetii quatuor ad Rhætos oratores decreverant, qui, ut institutum judicium tollerent, fidemque Principibus oppigneratam sartam tuerentur, suaderent; adjectis insuper pagorum omnium nomine scriptis literis, quibus ad pacem & concordiam Rhætos hortabantur, ad eamque servandam omnem operam auxiliumque adhibituros pollicebantur; ni id facerent, quacumque ratione tot incommodis obviam ituros. Nobiles quoque Curiam miserant, qui acta in eo conventu omnia pro irritis nullisque se habituros pronuntiarent. Verum qui convenerant, nullis neque precibus, neque officiis flectebantur, legationem ab Helvetiis decretam insectari; nullo pacto audituros dicere: principes nobilitatis in jus vocare: de fœdere Gallico ac Veneto abrogandis, de secretiori consilio evertendo, consilia agitare. Itaque nobiles in Helvetios proficisci statuunt, ut ad eorum defectionem præpotentes populos impellant. Id plerique insigniores, qui Vulturenæ valli præerant, ut saluti consulerent, præsidium deferuere: a Vincentio milites, opem exposcunt, Gallorum auxilia longinqua conqueruntur: ille pecuniam suppeditat, quo quantum fieri possit sub signis milites contineantur. Ceterum Helvetii, quo magis tumultuari apud Rhætos noverant, eo magis, ne tandem in civile bellum exardescerent, veriti, concilio tredecim pagorum Badæ indicto, decem atque octo oratores ad Rhætos decernunt; qui de ea missione certiores facti,

Hispani copias in Italia coactas dimittunt.

Senatus ad Padavinū mandata de externo milite dimittendo.

Helvetiorum opera in Rhætorum tumultibus sedandis.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 facti, cum in conventu de illis recipiendis ageretur, paucis ſuffragiis eorum vicit ſententia, qui admittendos cenſuere; nam audaciores, qui Curiæ aderant, effecti, trium fœderum ſigilla per vim fregerant, decretumque de iis utendis ſancitum ſuſtulerant. Helvetiorum oratores cum nihil Curiæ impetraſſent, adire ſingillatim pagos ac vicos ſtatuunt: at vel contranitentium ſtudiis, vel legatorum ipſorum diſſenſionibus, quod alii Hiſpanis faverent, alii adverſarentur, irrito eventu legatio ceſſit.

Cum igitur nihil officiis obtinuiſſent, de milite cogendo conſilia ineunt. Inter Tigurinos nonnulli adhuc a negotio agitando minime diſcedendum rebantur: *Armorum exitus incertos, aleæ periculique plenos; facile bella commoveri, ægre ſedari.* Plerique contra: *Jam nihil prætermiſſum, ut ad ſaniora conſilia Rhæti traducantur: non literis, non legationibus permotos: an iis armatis quieſcendum? an quæcumque eis libuerint, conficiendi licentiam concedendam? vel potius vi atque armis coercendos?* Itaque quingentos ſtatim milites (ita enim ex fœdere Helvetico tenentur) conſcribunt. Tigurinorum exemplum reliqui ſequuntur. In ea turbatione Fuentanus Bernabonem Barbuum, legatum, cum literis ad eos mittit: hortatur, ſuadet, ut tandem exortas inter ipſos controverſias componant, ne publicam turbare tranquillitatem armis velint: ſi ſecus faciant, minime paſſurum. At quinque pagi lentius cunctando tempus extrahunt, licet duo potiſſimum delectum habere cœpiſſent. Curiæ inſtitutum judicium ad Jantum transfertur; neque adhuc de priori ardore quidquam remittitur. Gallo Venetiſque adnitentibus, Vulturenæ vallis præſidia augentur: munitiones ad externos incurſus atque impetus arcendos, Regis ac Reipublicæ ſumptibus, quibuſdam in locis excitantur. At ob id neque interni tumultus ſedari, neque externæ ſuſpiciones deeſſe. Fuentanus, qui jam Germanos Helvetioſque dimiſerat, reliquas copias, quæ Hiſpano ac Neapolitano milite conſtabant, Rhætorum finibus appropinquare, atque haud procul ab arce nuper ab eo condita caſtrametari jubet. Helvetii, rurſus Badæ concilio vocato, ni intra dies viginti Rhæti eorum omnes controverſias libere ipſis dirimendas permittant, vi armiſque acturos decernunt. Simul ſtatuunt, ut Maximiliano Auſtrio

Bernabo Barbuus a Fuentano in Helvetios miſſus.

Ar-

Archiduci, Oeniponti Principi, ac Fuentano ſignificaret, ne iis 1607
quæ ad Rhætos ſpectant, ſe ſe immiſcere velint. Sed interea Hiſpaniarum Rex Neapolitanos Hiſpanoſque dimitti præcipit, qua ex re Veneti permoti, loricatos equites dimitti, luſtrari reliquas copias, præfectos, ſi qui militaribus obeundis muneribus apti non ſint, ex albo militiæ expungi; eaque omnia curare ſummo ſtudio Maurum legatum jubent; Veronamque ad inviſendas eas arces, quæ trans Mincium amnem ſunt, proficiſci: quibus confectis, illi in patriam reditum permittunt.

Exercitu ex Inſubribus amoto, metu Rhæti ſoluti, cuncta acrius agere, neque Helvetiorum poſtulatis adſentiri, quibus judicium inſtitutum tolli, latas ſententias deferri, audiri nobiles petebant. Decem interea vexilla, ut modo vocantur, Curiam contendunt; novo judicio inſtituto, decretum ferunt, ne quis privatus a Principibus, Regibus, Rebuspublicis munera penſioneſve accipiat: Baſendam, Scarpateum, Bellium ſcribam ſuſpectos in vincula conjici jubent: ut quæ in patriam admiſerant, ex eorum ore extorquerent, exquiſitis tormentis excruciant. Baſenda crimen faſſus, auctorem ſe ſeditionis exſtitiſſe, una cum aliis pecunia corruptum, enuntiat. Curienſis Antiſtes perterritus fuga ſaluti conſulit. Baſendæ abſciſſæ cervices, licet vexilla in quatuor partes diſcerpendum ſtatuiſſent: idem necis genus Bellio illatum: Scarpateus abſolutus. His peractis, ſecretiori concilio abrogato, Principum penſionibus fiſco adjudicatis, fœderibus cum Fuentano initis, laceratis ac diſcerptis ſigillis, trium fœderum recuperatis, prioris judicii actis reſciſſis, vexilla diſceſſere. Eorum diſceſſu Janti judicium rurſus reviviſcere, atque acrius in nobilitatem invehi cœpit. At qui latas ſententias executioni mandarent, minime juveniebantur: omnia jura permixta atque everſa, bina tribunalia, bina judicia, diverſæ ſententiæ, bini populi. Ea eſt diſſenſionum civilium vis, ut iis non ſecus reſpublicæ ac principatus peſſum eant, ac corpora, dum, diſſidentibus & pugnantibus humoribus, in diverſa diſtracta, tandem interitum ſubeunt.

Rhætorum decretum de muneribus non accipiendis.

Helvetii cum neque a judicibus, ut audirentur, neque a vexillis, ut a latis ſententiis exequendis ſuperſederent, impetrare potuiſſent; ſe neglectos rati, diſcedunt. Ea re conventus Badæ coactus, vehementer indignatus, ſecreto de Rhætis invadendis

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 dendis deliberat. Ne quidquam efferatur, jurejurando interpoſito, ſe adigunt, quo improviſo nil opinantes atque imparatos adoriantur. Ut ſtatim ſeptem peditum millia, equites mille Regantium mittantur, decernunt: nitentibus ſummopere in id iis Helvetiorum pagis, qui factionis Hiſpanicæ partes ſequebantur; licet impari conatu in id Tigurinis, Baſileenſibus, Scafuſianis deſcendentibus. Rhæti, indicto ad Antuatium vicum, vulgo *Tavaro* dictum, decem juriſdictionum oppidum conventu, ſuas controverſias Helvetiis permittere ſtatuunt. Quatuor ad eos legatos, ut ſequeſtres in Rhætiam mitti flagitent, deſignant. Judicibus, qui tunc Curiæ erant, ne in fœderatos (ita enim qui alterius factionis vocabantur) amplius inquirant, præcipiunt. At illi audaciores facti, cum ſevere admodum judicia exercerent, nonnullos e ſuis cum centum peditum cohorte Antuatium miſerunt, ut in quemdam (quod eis vetitum fuerat) animadverterent. Beliſionenſes Meſavis commercio interdixerant: Biſuntini arma ceperant. Oeniponti cogi milites a Maximiliano rumor erat, quem Fuentanus, ut cum quinque pagis in exitium Rhætorum ſeſe conjungeret, incitaſſet. His motibus ſummopere Veneti ſolicitabantur, ne ad publicam pacem turbandam inde aditus fieret, veriti. Quapropter ſi qua ratione fluctus ſedari poſſent, nitebantur; frequenter Henricum incitabant, ut auctoritate, qua plurimum apud eas gentes pollebat, eos motus comprimeret: communique conſilio & viribus, ne quid Rhæti detrimenti acciperent, enitebantur. Nonnunquam, quo loco res eſſent, Pontifici Maximo ſubjiciebant: in Italiæ foribus incendium, cujus flammis cito Gallia Ciſalpina corriperetur, quamprimum reſtinguendum curaret. Et quoniam id præter cetera conducere publicæ ſecuritati abitrabantur, ne ad Vulturenam vallem occupandam cuipiam aditus pateret, ſexcentorum peditum præſidium ad nongentos augeri; munitiones excitari cœptæ, collata in id pecunia, perficerentur, Senatus conſulto decrevere. Id & Fraxineo legato ſignificatum; & Petro Priolo, ut Henricum ea de certiorem faceret, injunctum, quem ſane pro portione opem Rhætorum labentibus rebus laturum confiderent. Sed inter Helvetios, de Rhætis inter ſe componendis, cum diverſæ adhuc eſſent ſententiæ, quibuſdam armis

Helvetiorii decretum de Rhætis juvandis.

Veneti pecuniam Rhætis ad præſidia augenda & munitiones inſtruendas mittunt.

armis periclitandum, aliis conſilio agendum cenſentibus, acerrimeque inter eos certatum eſſet. Tandem, ad Araultum novembri menſe conſilio indicto, tempeſtas inter Rhætos aliquantiſper ſedari, animorum æſtus in iis, qui Janti convenerant defervere cœpit; nobilibus pecunia mulctatis, ſenſimque deſæviente plebis furore, priſtinam faciem paulatim ſumere Rhætorum reſpublica eſt viſa; atque Helvetii a legatione, quam tredecim oratorum ad eos mittere ſtatuerant, deſtitere. Ita eo anno in Rhætis tumultuatum. 1607

Joannes Bembus, claſſis imperator, Corcyram cum perveniſſet, eo univerſum maritimarum rerum robur cogere ſtatuit; cum viginti e Creta triremes apprime adornatæ ſupervenere, quarum quatuordecim privato ſumptu partim a Venetis, partim a Cretenſibus nobilibus, reliquæ publico ære armatæ fuerant. Nuſquam enim majus in Rempublicam ſtudium, nuſquam nobiliori contentione dimicatum, dum quiſque præcellere alteri contendit, ac omnes pulchrum cuncta pericula ſubire pro publica dignitate exiſtimant. Cum enim diſceſſiſſent, nondum de concordia inter Pontificem ac Venetos inita nuntii in Cretam pervenerant; Sagredique legati literis perferebatur, Cretenſes ad Rempublicam tuendam eam animi alacritatem patefeciſſe, ut quævis incommoda ſubituri exiſtimarentur; quorum ſtudia ipſemet prudentia ac dexteritate aluerat. Iis auxiliis aucta claſſis, ſexaginta triremibus quatuor galeatiis Laurentii Venerii ductu, quinquaginta minoribus navigiis conſtabat; ut ab anno M.D.LXXI. nunquam tantas maritimas vires Reſpublica coegiſſe viſa ſit; quæ ſane, cum pax ei cum omnibus Principibus intercederet, publicæ dignitati ac decori retinendo & augendo tantum profuere. Nam cum Hiſpani ſub Sanctæcrucis Marchionis imperio, adjectis Italorum Principum auxiliariis, octoginta circiter triremes eo anno comparaſſent: Turcæ quoque ad ſexaginta emiſiſſent, nihil, quod publicis rebus officeret, aggredi auſi ſunt.

Cretenſium ardor ad Reipublicæ ſubveniendum.

In oriente ex colluvie Anglorum, Belgarum, Turcarum collecti piratæ graſſabantur, bellumque Venetis navigiis potiſſimum indixerant. Inde negotiatorum querelis omnia replebantur; maria infeſta, actas de eorum bonis prædas. Nuper enim

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 enim Soderinam nuncupatam navim, quæ acriter dimicando prædatorium navigium depreſſerat, ſeſeque ad vires reficiendas in Cyprum retulerat, cum in occidentem iter arripuiſſet, duo Anglorum ac Belgarum armata navigia ſupra Cretam interceperant, Tunetumque perduxerant. Idemque paulo ante Rubiæ navi contigerat, quam inſtaurari atque armari a Tunetanis piratis ſimul cum aliis navigiis ferebatur. Iis itaque nuntiis negotiatores perterrefacti publicam opem implorabant, mari ſe credere non audebant: inde publicis vectigalibus vaſtitas ac ſolitudo portendebatur. Quocirca, ut quacumque ratione mercatorum commodis conſuleretur, navigatioque non intermitteretur, Patres laborabant. Ad Hiſpaniæ atque Angliæ Reges datæ literæ, ut graviſſima in re opportuna remedia adhiberent, neve in ſuis ditionibus ac portubus receptum aut aditum piratis permitterent. Cum Achomate Turcarum Rege per literas perque Octavianum Bonum, legatum, agebatur, ut prædones ex pacis præſcripto coerceret, debitiſque pœnis plecteret; neve armata e Tunetanis oris navigia emitti ſineret. Decretum quin etiam, ut quaternæ naves, ad importandas in Syriam atque Aegyptum merces deſignatæ, ſumptu publico tormentis centumque ſcloppettariis militibus armarentur, ſimulque iter uſque ad Samonium, Cretæ in orientem obverſum promontorium, tenerent; inde divulſæ binæ in Syriam, binæ in Aegyptum proficiſcerentur. Duo præfecti a Senatu lecti, Hieronymus Memus, ac Chriſtoforus Canalius; prioribus ille, hic poſterioribus datus. At vero dum tres prævalidæ claſſes mare Ionium inſiderent, ducumque imbuti ſuſpicione animi nil aggrederentur, Ferdinandus, Magnus Hetruriæ Dux, magna animo volvens, occulto de Cypri regno invadendo conſilia agitabat, ejuſque bellicorum apparatuum fama per Europam vulgata, cunctos ad ſe curioſitate illectos attraxerat. Nam triremibus aliquot, majoribuſque navigiis egregie omni armamentorum genere ſtrenuoque milite inſtructis, Franciſcum Montium præfecerat; quem plerique ex Florentina nobilitate præcipui ſequuti fuerant. Is Calabri cujuſdam franciſcanæ familiæ viri ductu, itineri ſe committens, nono kalen. junii Cyprum appulit; Famaguſtæque obtinendæ ſumma ſpe ductus, militum manum exſcendere jubet.

Veneta navigia a piratis capta.

Hieronymus Memus, Chriſtophorus Canalius, navili ad maria tutãda præfecti.

Ferdinandus Hetruriæ Dux, Franciſcum Montiũ ad Cypri expeditionem mittit.

Sed

Sed cum neque in urbe quidquam moveri, neque Græcos tumultuari (quippe qui in montana loca ſeceſſe rant) comperiſſet; tormento, quod *petardum* vocant, ad portam adhibito, eodemque tempore ſcalis mœnibus applicatis, ingreſſum in urbem molitur. At tormentum portæ humo oppletæ admotum, ſcalæ ad murorum æquandam altitudinem duobus minores cubitis inventæ, irritos conatus fecere; & erant qui dicerent, mœnia a Turcis in majorem altitudinem excitata. Eo in tumultu quadraginta equites urbe egreſſi, quinque ac viginti Florentinos milites cædunt. Galli pedites ad centum & quinquaginta in equitum Turcarum manum cum incidiſſent, egregie ac fortiter, quinque ac viginti tantum deſideratis, impetum ſuſtinent. At cum omnia quieta Florentini perſpicerent, nullumque, uti ſperaverant, ab oppidanis aut Græcis ſignum edi; ac reliquis incommodis illud acceſſiſſet, quod navigia annona ac commeatu onuſta claſſis curſum aſſequi non potuiſſent, atque ob id omnium rerum penuria laborari cœptum eſſet: ad claſſem regredi ſtatuunt. Centum ex Florentinorum militibus periere, in iis Alphonſus Montecuculus morbo abſumptus.

Cypro digreſſis, Calaber expeditionis illius auctor, ne inglorii Etruſci Triturritam revertantur, Montio, ut Pylum aggrediatur, perſuadet: facile parum munitum oppidum occupaturum, eoque Florentinorum decus aliqua ex parte infauſto Cypri eventu imminutum, retenturum. Verum (ut id genus hominum inconſtans atque infidum plerumque eſt) cum ſecus eadem de re cum Antonio Mediceo diſſeruiſſet, reique difficultatem oſtendiſſet, Montius Antonio ſuum de Pylo expugnando conſilium aperit. Ad ea Antonius, neque objici periculo eas copias non oportere, inquit: potius hæc optari, quam re ipſa perfici poſſe. Montius, id ſibi facillimum fore Calabrum demonſtraſſe ait. Antonius ingentes objeciſſe difficultates affirmat. Tum vocato Calabro, cum ipſe ſibi minime conſtaret, abjectis de Pylo occupanda conſiliis, ille fugam arripuit, Montius cum claſſe in Hetruriam rediit, aliis Ferdinandum carpentibus, quod nimium credulus difficillimam rem aggreſſus, in ſummum diſcrimen ſuas vires maritimas adduxiſſet; aliis contra ingentes ejus ſpiritus auſuſque Principe dignos ſummis laudibus extollentibus. Bembus claſſis

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1607 classis imperator Epiri oris adnavigans, Ioniumque percurrens, cum omnia tuta subjectis Reipublicæ reddidisset, ingravescente autumno, Hispanis ac Turcis in hiberna concedentibus, in patriam revertitur; Cretensibusque trierarchis, quod egregiam operam Reipublicæ præstitissent, quodque præclarum in eam studium patefecissent, gratiæ a Senatu actæ.

Joannes Bembus in patriam redit.

Compositis, uti diximus, Italiæ rebus, omnes in Pannoniam ac Belgium intenti, quisnam earum rerum exitus futurus esset, circumspectabant. Nam, licet Matthias, Cæsaris frater, ad pacem cum Achomate firmandam vehementer inclinaret; attamen ut acta probaret, iisque subscriberet, Cæsar ipse adduci non poterat; vel quod, si armis exueretur, haud parum de sua dignitate imminutum existimaret; vel quod Achomatem bello Persico distentum, nuper Ferratem e Pannonia evocatum, cum magnis copiis in Persidem designatum, intelligeret; vel quod, amotis inter Pontificem ac Venetos dissidiis, se a Principibus auxilia accepturum speraret. Igitur Christophorum Tarphelium, legatum designatum, Byzantium proficisci prohibebat; a Pontifice ac Principibus reliquis opem flagitabat; per Stolendorfium a Superantio legato Reipublicæ subsidia petebat; de conventu Germaniæ procerum Ratisbonæ indicendo consilia inibat; & quo sibi ad ea, quæ animo volutabat, iter patefaceret, Pannoniæ ac Bohemiæ concilia vocaverat. Verum inclinatis ad pacem populorum animis, non modo secus quam opinabatur, duriora cuncta invenit, sed valde ab armis tractandis cunctos aversos offendit; cum materiam, qua in se Turcarum arma elicerent, præbere se nolle affirmarent; itaque de pace negotium mora & cunctatione trahebatur. In Belgio pari quoque evento de concordia inter Hispanos ac Batavos ineunda agebatur. Licet enim belli diuturnitate utrimque fessi propendere in pacem viderentur; tamen his Galliæ atque Angliæ auxiliorum subnixis, illis vero ab Ordinum postulatis aversis, cuncta innumeris difficultatibus obsidebantur, ut eo anno nihil conficeretur.

Rudolphus Cæsar ad bellum contra Turcas propensus.

Spalatenses pestilentia vexati.

In Spalatenses hoc anno pestifera lues adeo sæviit, ut magnam incolarum partem absumpserit. Ingentis illius cladis portenta apparuisse plerique testabantur; subterraneas horribiles

biles voces ac strepitus exauditos, qui mali prænuntii mortalibus forent. In agros ex urbe receptu multi incolumitati consuluere; mille ac quingenti, qui in civitate remanserant, teterrimi virus labe infecti fere omnes atque extincti, ad sexaginta redacti sunt; præsidiarii milites mortui; quæ emporio præerat ex Poglicia cohors, fere omnis eodem fato prorsus deleta. Senatus præfectum saluti Joannem Baptistam Michaelium, qui nuper magistratum Cretensem summa cum laude gesserat, in Illyricum misit; cujus virtute ac diligentia civitas respirare, ex agris in urbem cives regredi, cuncta qua metu, qua lenitate in ordinem redigi cœpere, ut tandem, frigoris superveniente vi, morbi malignitas victa sit. Eodem anno Carolus Suecorum Rex ad Senatum benevolentia atque existimatione refertas literas dedit; quibus literis significabat: *Cum ad se allatum esset, Venetiarum civitatem, præcipuum orbis terrarum mercatum esse, magnisque in omnibus cum Europæ tum Asiæ provinciis florere negotiis, sui quoque regni commercia Venetis communicare atque aperire voluisse: quidquid suæ regiones ferrent, frumenta scilicet, sulphur, nitratum salem, absque portoriis exportandi facultatem Reipublicæ offerre.* Iis literis perhumaniter responsum, gratiæ actæ, paria officia exhibita. Annus tota Italia frugum caritate insignis fuit; eaque vis grandinum e cælo delapsa est, ut tertiam frumenti partem contrivisse ac corrupisse in Venetis ditionibus plerique affirmarent. Frumenta in urbem inveherentur, Senatus sanxit; missique in continentem, qui civium Venetorum proventus in urbem importari curarent: in Patavinos ac Rhodiginos Maphæus Michaelius, in Tarvisinos Antonius Grimanus, Hieronymi filius, in Veronenses Joannes Paschalicus.

1607

Joannes Baptista Michaelius ad sanitatem procurandam in Illyricum missus.

Caroli Suecorum, Regis ad Venetos literæ.

M. D C. V I I I.

1608

Inducia inter Hispanos ac Batavos.

Hiemis insolitus rigor apud Venetos.

INgentis atque acerrimi belli suspicione liberatam Italiam, dubiam inter Cæsarem & Achomatem pacem, inter Hispanos ac Batavos pactas inducias, concordiæque tractationes annus octavus supra sexcentesimum ac millesimum excepit; qui sæviissima atque inaudita frigoris vi adeo inhorruit,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1608 ruit, ut hominum memoriam ſuperaverit; tantaque nivis copia cælo defluxit, ut in amplioribus civitatis ſemitis, hominum diligentia aditibus patefactis, pro muro hinc atque illinc ſtare videretur; ejuſque immani pondere nonnullis in locis tecta pleraque fatiſcerent, nonnulla corruerent. Supra tres menſes eo malo civitas elanguit. Appetente autem vere in eo potiſſimum Patrum curæ defigebantur, ut maria tuta navigantibus redderent, inſolentique piratarum audaciæ ac rapinis obſiſterent: eique rei opportunum fore exiſtimabant, ſi navigium, ſuperioribus annis Senatus juſſu ædificatum, e navalibus deduceretur. Erat ſane ea mole, pulchritudine, artificio, firmitate, robore factum, ut cum ſuperiori anni exitu e navali in ſalum tranſmitteretur, rei novitate ac operis præſtantia omnem civitatem ad ſpectaculum attraheret. Illud egregie inſtrui atque adornari Senatus juſſit. Octoginta partim majora partim minora tormenta in eo admirabili ordine diſpoſita cernebantur, ad quamvis civitatem aut arcem protegendam idonea. Trecenti ac plures milites, præter tormentorum libratores, adnumerabantur; ut plerique maritimarum rerum periti, nihil unquam in eo genere excellentius viſum fuiſſe affirmarent. Juſtus Antonius Bellegnus, ab ineunte ætate maritimis rebus aſſuetus, plurimiſque conſpicuus virtutis argumentis, eſt præfectus. Laurentio Venerio, majorum triremium ductori, Franciſcus Maurocenus, Petri filius, ſuffectus: iis ut maria excurrerent atque a piratis vindicare niterentur, juſſum. Sed quoniam, Marchionis Sanctacrucii auſpiciis prævalida emiſſa claſſe, Hiſpanos Epirum, finitimam Venetis provinciam, aggreſſuros percrebuerat; ne quid Reipublicæ detrimenti accederet, Philippus Paſchalicus cum ſummo imperio claſſi præficitur; qui omne maritimum robur Corcyræ loco opportuno coegit, quo & res Venetas tueri, & expeditior in omnem eventum eſſe poſſet. Eo præter triremes triginta, quinqueremes quatuor, ac navigium nuper inſtructum convenere; neque quidquam, quod vel ad incolumitatem, vel ad dignitatem Reipublicæ retinendam ſpectaret, Paſchalicus prætermiſſit.

Juſtus Antonius Bellegnus, galeoni præfectus, contra piratas mittitur.

Franciſcus Maurocenus, triremium majorum præfectus.

Philippus Paſchalicus, claſſis cum imp. legatus.

Omnibus Hiſpanorum conatibus in Africam converſis, auguſto men-

menſe in occidentem flexis velis, Gaditano freto egreſſi, Arachiæ portum, ad Maurorum gentem omnemque Feſſæ ac Marochi Numidiæ regionem ſubigendam valde accommodatum, oppugnarunt. Verumtamen, ingenti tempeſtate oborta, triremibus aliquot amiſſis, cœptis abſiſtere coacti ſunt; multis imparem votis exitum in navarchi imperitiam, vel in leviora navigia, oceani vaſtitati nequaquam idonea, conferentibus. Digreſſis Hiſpanis, ſuis quiſque muneribus Venetæ claſſis præfecti incumbentes; Bellegnus ac Maurocenus in orientem profecti, omnem operam in purgando mari adhibuere. Maurocenus Aegæum percurrens, Mitylenem delatus, cum inſulæ incolas prædonum injurias conquerentes, nihil tutum, interdicta piratarum incurſibus commercia cognoviſſet, inter Cycladas navigans, ad Aſtimphaleam Rupellenſe navigium, Opizzone Gallo præfecto, a quo per eos dies, e Pathmiorum navi prædæ actæ, navigiumque Venetum captum fuerat, offendit. In eum cum præda ad Aſtimphaleæ portum ſe inferentem Maurocenus præfectus impetum facit. Gallus, ſtatim fuga arrepta, evaſit. Captum ab illo navigium, aliquot cæſis piratis, octo captis, in ſuam poteſtatem redigit. Eo ſtatim navarchis ſuis tradito, prædones mox ad Cytheram in Ulemonis portu ſuſpenſi, latrocinii facinorumque pœnas dedere. Eodem curſu obvia quæque navigia ſubmittere vela coegit: in iis ad Pathmum Hieroſolymitanorum Equitum ingens galeonum, ejuſdemque magni Magiſtri navigium idem efficere juſſit; ut quacumque quinqueremes hæ conſpicerentur, Ionium vel Aegæum infeſtantibus terrorem incuterent. Neque minori virtute ac induſtria Bellegnus, galeoni præfectus, tendebat, qui ingentem illam machinam veluti maritimam arcem moderabatur. His efficiebatur, ut, repreſſa prædonum audacia, animos colligere negotiatores eo anno viderentur. Atque hæc in oriente gerebantur.

1608 *Arachiæ portus fruſtra ab Hiſpanis oppugnatus.*

Franciſcus Maurocenus Gallum piratam in fugam vertit, & navigium directum recipit.

Pacata vero Italia, mutuo affinitatum vinculo ſe ſe illius Principes connectunt. Carolus Emanuel Allobrogum Dux Mariam, filiam natu majorem, Francisco Mantuanorum Principi, Vincentii Ducis filio, deſponſat: cumque per oratorem ea de re Patres certiores feciſſet, atque ad concelebrandas nuptias invitaſſet, Francisco Mauroceno, Antonii filio, ea legatio

Maria Allobrogis Ducis filia cum Franciſco Mantuano Principe nuptia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1608 gatio decreta est : summo totius fere Italiæ concursu Mantuæ nuptiæ concelebratæ sunt. Sub id tempus Ferdinandus Hetruriæ Dux Cosmo, majori natu filio, Magdalenam, Caroli olim Austriæ Archiducis filiam, Ferdinandi sororem, connubio junxit; Fabritium Coloretum, oratorem, Venetias misit, qui pactas nuptias Patribus significaret, peteretque, ut, Tergesto, quo ex Grætio profectio erat, Venetis triremibus Anconem traduci juberent. Id onus Augustino Michaelio, sinus Adriatici præfecto, injunctum; qui autumni initio Tergestum cum sex triremibus accedens, sponsam una cum Maximiliano fratre & quadringentorum amplius comitatu excepit: tranquilloque mari, pacato itinere, Senatus jussu cunctis victu e publico exhibito, omnibusque munificentiæ ac liberalitatis argumentis editis, Anconem perduxit. Inde terra reliquo itineris confecto, Florentiam pervenit: ibi nuptiæ magnificentissime regio cultu celebratæ. Franciscus Maurocenus, qui antea Mantuanam legationem obierat, orator est lectus, summisque honoribus exceptus, iis cohonestandis interfuit. Ferdinandus vero, ut anni superioris irritam Cypri expeditionem egregio aliquo facinore compensaret, a longinqua navigatione jactatis triremibus refectis, novoque milite & commeatu instructis, quinque additis tereti altiorique forma navigiis, qui *Britones* vulgo vocitantur, Sylvium Piccolomineum, Belgico ac Pannonico bello clarum, in Africam misit; qui, multis Turcarum cæsis, multoque pluribus captis, paucis e suis desideratis, Hipponem, divi Augustini fama celeberrimum illius regionis oppidum, disjecit, diripuit atque incendit. Cum vero Carolus Lotharingiæ Dux humanis excessisset, eique filius, Barensis comes, successisset, de patris obitu deque ipsius successione per literas perque legatos Senatum certiorem fecit. Idem Franciscus Maurocenus, antea Mantuana atque Hetrusca legatione functus, qui & grandævi patris obitum doleret, & principatum gratularetur, orator lectus, legationem anno sequenti obivit. In itinere cum Germanos Principes Rheno finitimos Senatus jussu invisisset, a Wirtembergæ Duce per dies quatuor iter illius morante, perhumaniter atque honorificentissime est habitus. Henrico in regia Fon-

Franciscus Maurocenus, ad Mantuanū Principem orator.

Magdalenam Austriam, cum Cosmo Hetruriæ Princ. nuptam, Augustinus Michaelius, Adriatici præfectus, Anconem perducit.

Franciscus Maurocenus in Hetruriam orator.

Hetrusci Hipponem capiunt.

Caroli Lotharingiæ Ducis obitus, & Barensis Ducis successio.

Franciscus Maurocenus, in Lotharingiam orator.

Fontis bellaquei septimo kal. maji, divo Marco Reipublicæ tutelari dicata die, tertia mascula proles, cui Andegavum debebatur, accessit; idque per Sciampignium oratorem, qui antea Fraxineo successerat, Senatui significavit; Principemque, ut lustrali unda regio infanti abluendo adesset, invitavit. 1608

Henricus Rex ad tertiogeniti baptismum Rempublicā invitat.

Dum vero Europa reliqua a belli laboribus conquiesceret, novi in Germania motus exorti, pene provinciæ illius pacem interturbarunt. Cum enim Matthias Cæsarem fratrem jam ætate provectum absque liberis cernens, ne eo defuncto tumultus ac dissensiones in Pannonia ac Bohemia orirentur, veritus, eorum regnorum successorem declarari se petiisset; idque nulla ratione obtinere posset; ex Austria & Hungaria coactis copiis, in Bohemiam ac Moraviam penetravit; Javarinensem ac Vesprivensem Episcopos ad Cæsarem misit; qui, quoniam inclinata jam ætate, neque par tot laboribus sustinendis esset, regni Bohemici successorem se deligi peterent. Id cum certis conditionibus, quæ sibi minus placerent, ab ordinibus impetrasset; vi Pragam aggredi statuit. Cæsar interea cuncta ad defensionem comparabat, ac repente milites colligebat; verum gregarios homines, qui ab aratro ad signa tumultuarie evocabantur, cum in fratris exercitu viri Pannonico bello exerciti, laboribusque durati invenirentur. Quotidie classicum personabat; ancipiti marte nonnunquam certabatur; Hungari Bohemos lacessebant, ut Praga urbi obsessæ haud dissimilis videretur. Philippus Hispaniarum Rex ac Septemviri Electores conciliare dissidentes fratres nituntur. Ut majori auctoritate negotium ageretur, præter ordinarium Internuncium, Cardinalem Joannem Garziam Melinum, Legatum in Germaniam Pontifex mittit, qui antequam Pragam perveniisset, concordia iis conditionibus sancita fuerat: *Cæsar senectutem variasque curas, quibus Imperii moles nutabat, causatus, Matthiam fratrem utriusque Austriæ supra atque infra Hensam amnem vicarium creavit: quidquid juris in eo obtineat, ei masculique sui cessit: regno Hungarico penitus se abdicavit; sacramento subjectos exolvit: Matthiæ inaugurationi adsensus, auxilia ad Turcas coercendos, regnique limites tutandos pollicitus est:*

Matthias Austrius milites cogit & a Cæsare Bohemici regni successionem petit.

Melinus Cardinalis a Pontifice in Germaniam mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1608 *Cæſar cum Matthia fratre ſe cõponit & Ungaricũ Regnum ei defert.*

eſt: eumdem Bohemiæ ſucceſſorem, ſi abſque filiis Rudolphus deceſſerit, deſignat; ſin vero, ortis ſibi filiis, iis impuberibus, intereat, regni ad eum tutelam ac procurationem ſenatuique una admandat. Ne vero Cæſari tot inſignibus titulis ac proventibus exuto, vi ablata hereditas videretur, Oeniponti comitatum, ac quidquid in finitimis regionibus poſſidebat, Matthias ei remiſit. Ita fœdere icto, ab armis ceſſatum. Atque ad firmandam cum Achomate pacem legatus Byzantium cum muneribus miſſus: cujus pacis hæc præcipua capita erant: *Ut Pannonia a tributo, quod ſingulis annis Turcaram Regibus pendebatur, impoſterum eximeretur: ternis quibuſque annis utrimque legatus cum muneribus mitteretur: nihil de poſſeſſione immutaretur; quæ quiſque tunc obtineret, iis abſque controverſia potiretur.* Verumtamen ob multas ſubortas difficultates re infecta diſceſſum, paceque dubia, incerto bello, crebro hinc atque inde incurſionibus actum.

Cæſareani oratorem Byzantium ad pacẽ firmandam mittunt.

Magno interea ſtudio de concordia inter Batavos atque Hiſpanos agitabatur, cujus rei notitia cum his, quæ deinceps in Europa ſubſequuta ſunt, velut fax præferri poſſit, altius ordiendum, atque rem, uti ego ex oratorum literis aliiſque commentariis geſtam fuiſſe cognovi, quam breviſſime exponendam, exiſtimavi. Quadraginta jam anni labebantur, ex quo Belgium Hiſpanorum dominatus pertæſum, armis ſeſe in libertatem vindicare, externorumque jugum excutere nitebatur. Inde quot bella exorta, quam obſtinatis animis decertatum, non eſt hic dicendi locus, cum omnium fere linguarum monumentis expreſſi hi tumultus fuerint. Sed Batavi qui Zelandiæ & Hollandiæ (ut nunc vocantur) provincias obtinent, præter ceteros animis audaciores, auſis ferociores exſtitere; quippe qui ſitus opportunitate (cum eæ regiones oceano alluantur) ſuis rebus ingentia incrementa dederint, Anglorumque & Gallorum ſubſidia propinqua exceperint; quo effectum eſt, ut, licet a Philippo ſecundo omni vi fuerint oppugnati, numquam perdomari potuerint; ac tandem Philippus tertius ſeſe a diuturni belli curis immenſiſque impenſis liberare ſtatuerit. Itaque ſuperiore anno in octo menſes induciæ pactæ, ut interea de concordia ageretur. Verum quis exitus futurus eſſet, ægre conjectari poterat, cum non difficile videretur,

Batavicarũ rerum narratio.

An-

Anglos & Gallos nihil non effecturos, ut difficillimo bello Hiſpani detinerentur, quo eorum opibus ac militibus exhauſtis, tot regnorum, quæ poſſident, vires roburque libidine dominandi in alios Principes non converterent. At res ſecus ac putabatur (ut plerumque fallacia hominum judicia ac lubrica ſunt) accidit. Nam qui maxime concordiæ inter Hiſpanos ac Batavos repugnaturi credebantur, aliaſque vehementer obſtiterant, illi ad eam perficiendam ſequeſtri atque adjutores exſtitere. Neque in id fortuito Reges deſcendiſſe, qui rerum humanarum experientia pollebant, arbitrabantur, ſed Jacobum Britanniæ Regem in nova Angliæ ampliſſimi regni acceſſione ſtabilienda domi occupatum, quique in pacem ſemper inſito quodam genio ferebatur, & nuper cum Hiſpano (adverſus quem Eliſabetha acerrime dimicaverat) concordiam iniiſſet, curis quietem, bello ſumptuum levamen anteferre voluiſſe: Henricum vero magna ſemper invicto animo meditantem, ſuis rebus & conſiliis haud parum conducere exiſtimaſſe, ſi veteranis copiis armorum uſu ac virtute, vel in conſerendis præliis, vel in expugnandis urbibus exercatiſſimis, quas in lateribus Galliæ alebant, Hiſpani, pace cum Batavis icta, exuerentur. 1608

Petrus Toletanus ad Galliæ Regem orator.

Itaque cum Philippus in Galliam Petrum Toletanum miſiſſet, qui & connubia filiæ Henrico proponeret, atque ut in pace cum Batavis firmanda ſequeſtrum adhibere ſe vellet, poſtularet; Rex, ut immaturum connubium eſſe affirmavit, ita pro pace enixurum pollicitus, Petrum Janinium præſidem ac intimi conſilii præconſultorem ad Batavos mittit; Buxenvallium, multos annos ejus nomine apud Batavos agentem, ſocium adhibet; eoque vita functo, Ruſſium ſufficit. Britanniæ vero Rex Richardum Spencerium, oratorem, eodem proficiſci jubet. Variæ interim ſententiæ inter Batavos diſpergebantur. Erant inter eos qui in Hiſpanos incitati, adhuc dum id nomen nedum negotium averſarentur: fallax, plauſibile pacis nomen, inſidioſum, bello ipſo funeſtius; aurum Hiſpanicum in Batavia penetraſſe, deſides nonnullorum animos arma abjeciſſe: quos bello proſternere Hiſpani nequiverint, pace ſubacturos. Contra alii, poſt tot exantlatos labores, poſt per to annos ſtrenue ac fortiter defenſam armis libertatem, aliquando ceſſandum,

Petrus Janinius, Gallus orator ad Batavos.

Richardus Spencerius, Anglus orator ad Batavos.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

E 4 paciſ-

1608 paciſque fructus deguſtandos eſſe : privatas attritas opes, ærarium exhauſtum : Angliæ Regem ad Hollandicum bellum ſtipendia poſthac non erogaturum, haud ſemel obteſtatum : Gallum ſe, oneri ſumptuique ſubducturum : reipublicæ firmamentum . leges, pecuniam, nullo niſi quietis fulcro ſuſtentari poſſe Ita diſſentientibus animis, aliis in pacem inclinantibus, aliis in bello pertinacibus, negotium extrahebatur, rebuſque maturandis longæ atque anxiæ moræ injiciebantur : cum tandem ea vicit ſententia, quæ pacem æquis conditionibus amplectendam cenſebat. Verum initio ſummis adeo difficultatibus cuncta implicabantur, ut fere deſperatum ſit. Eæ vero ad tria potiſſimum capita redigebantur : quorum unum ad religionem ; alterum ad Batavorum libertatem ; tertium ad maritima commercia ſpectabat. Ut ortodoxæ religionis cultus catholicis apud Batavos permitteretur, ſummopere Archiduces nitebantur, adſtipulante ac favente Janinio præſide ; verum contradicente Anglo, frementibus populis, quod una cum religione Hiſpanos in eorum viſcera recipere vererentur. Rejecta in aliud tempus res eſt, atque ad libertatis jura deventum ; quo in negotio valde laboratum . Arduum Hiſpano videbatur, poſt tot bella, acerrimas cruentaſque contentiones, omne jus in Hollandia ac Zelandia amittere ; quodque non minus referre videbatur, eo exemplo reliquos in Belgio ad libertatem (qua nil pretioſus humano generi a Deo immortali tributum eſt) conſequendam inflammare, cum illos, qui diuturna obſtinatione intrepide ac graviter pugnaſſent, jugum tandem excuſſiſſe cernerent . At Batavi contra, niſi id permitteretur, graviſſima omnia ſubituros, atque rurſus in belli fluctus ſeſe demiſſuros affirmabant. Tertium caput de Indica ac Peruviana navigatione, atque ex iis oris auri exotericarumque mercium exportatione ſupererat. Durum ſane Hiſpanis videbatur, ampliſſima oceani commercia cum aliis communia habere ; quique ſingulis annis immenſam auri vim, infinitam prope rerum copiam ex occidentis remotiſſimis regionibus in Hiſpaniam importabant, atque mox in diſſitas Europæ regiones diſpergebant, alios vel ſocios vel participes nanciſci. At cum, maritimæ genti id ni concederetur, navali gloria commodiſque ſe privari Batavi ani-

Batavorum de pace decretum, & ejus tractatio.

animadverterent, ac proinde nulla ratione deduci ex ſententia poſſent, id quoque pervicere ; 1608

M. DC. VIIII.

UT tandem ſequenti anno quinto idus aprilis, Alberti atque Iſabellæ Claræ Eugeniæ nomine, adſentiente, in idque facultatem ac mandata exhibente Philippo Hiſpaniarum Rege, cum Batavorum ordinibus induciæ in duodecim annos pactæ ſint. Principium erat : *Archiduces, Rege Catholico adſtipulante, cum provinciarum Ordinibus tamquam liberis, in quorum ditionibus nullum ſibi jus vindicarent, egiſſe*. Inſigniora poſtea capita hæc fuere : *In duodecim annos, terra marique pactis induciis, ab armis abſtinento, privatim ac publice tuto quæ nunc obtinent poſſidento : commercia invicem reſtituantur ; in Europæ regnis ditionibuſque Hiſpanis ſubjectis libera ſunto ; in aliis extra fretum Gaditanum locis, civitatibus, portubus, litoribuſque abſque Regis permiſſu negotia non exerceantur : ſi qui Principes, Dynaſtæ, nationeſve extra eos quoque limites conceſſerint, impune obtinento : ſi intra annum hoſtilia in oceano exerceantur (cum tempore ad inducias promulgandas majore opus ſit) id fraudi ne eſto : iis pervulgatis, omnes inimicitiæ injurias amovento ; illatæ ab ea die ſarciuntor : ad litora non appellunto ; portus cum armatis navigiis ac militum manu, niſi tempeſtatum ac fluctuum vi coacti, non ingrediuntor : novas arces in limitibus non excitanto : Naſſoviorum Comitum indemnitati atque incolumitati cavento : ſi quis quidpiam adverſus inducias egerit, debitis pœnis plectitor*. Multa inſuper ad privatorum ſtatum, bona, eccleſiaſque addita, quæ prætermittere libuit. Antverpiæ induciis ſubſcriptum. Atque poſt duorum ac quadraginta annorum labores, quibus, ſæpe alternante fortuna, Batavi dimicaverant, raro exemplo virtutis ac conſtantiæ in libertatem vindicati, Rempublicam conſtituere, quæ vel militum robore, vel navigiorum præſtantia & copia haud parum nominis ſibi apud omnes gentes comparavit.

1609

Induciæ inter Hiſpanos ac Batavos.

Tranſmiſſis in Regum aulas legatis, qui pacem partamque libertatem nuntiarent, quoniam vel quodam felici ad maria per-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1609 perluſtranda longinquasve oras adeundas genio, vel eximio libertatis bono, inter Europæ Principes cum Venetis tacita quadam conſenſione convenire videbantur, qui de rerum ſuarum ſtatu Rempublicam doceret, Cornelium Marnevillerium, legatum, Venetias miſere. Is Patribus ictas in duodecim annos cum Hiſpanis inducias, aſſurgentis Reipublicæ ſtatum, libertatis, pro qua tot annos dimicaverant, ſtudium ſignificavit. Quæcumque ad Venetorum dignitatem tuendam ab Ordinibus proficiſci poterant, communia cum Venetis negotia & commercia detulit; nihilque, quo Batavorum in Rempublicam propenſam atque egregiam voluntatem patefaceret, prætermiſit. Senatus ut pari officio Ordinibus reſponderet, legatum, qui proſperos eorum ſucceſſus gratularetur, deque propenſo in Rempublicam animo Ordinibus gratias ageret, mittendum ad Batavos ſtatuit. Legatio Thomæ Contareno, magni illius Gaſparis Contareni Cardinalis nepoti, antea Veronenſi prætura ac cenſura geſta clariſſimo, decreta; qui perhonorifice eo munere obeundo publicam dignitatem ac ſplendorem patefecit, ſummiſque honoribus in itinere a Germaniæ Principibus, ac præſertim a Palatino Rheni Comite exceptus, cum in Belgium perveniſſet, nullum non benevolentiæ atque obſervantiæ argumentum a Batavis in Rempublicam tulit.

Cornelius Marnevillerius, Batavorum legatus ad Venetos.

Thomas Contarenus legatus ad Batavos.

Hujus vero anni initium, Franciſci Vendrameni, anno ſexcenteſimo quinto ſupra milleſimum a Senatu Patriarchæ electi, ſuſcepti muneris auſpicia cohoneſtarunt. Nam cum in id fere tempus ejus electio incidiſſet, quo diſſidia cum Pontifice exorta erant, inauguratio dilata hucuſque fuerat; atque poſt concordiam initam, prætermiſſum cum Clemente examinis negotium denuo agitari cœptum; quo diſcuſſo, ut Franciſcus Vendramenus Romam proficiſceretur, Senatus annuit, in id conſentiente Pontifice, ne ea res impoſterum Antiſtitibus Venetiarum præjudicio eſſet, quo minus nulla in parte veteri inſtituto immutato initiarentur. Illum, cum Romam acceſſiſſet, quam pauciſſimis interrogatum, Paulus Patriarcham Venetiarum de more confirmavit, atque ipſemet ſacris initiatum conſecrare voluit; moxque literas ad Rempublicam, Scipionis Burgheſii, Cardinalis nepotis, manu

Franciſcus Vendramenus, Patriarcha, a Paulo Pontif confirmatus.

Burgheſii Cardinalis literæ de Patriarchis Veteris Clementis decreto eximendis.

manu exaratas, quibus impoſterum Venetiarum Antiſtites 1609
Clementis decreto eximerentur, dedit; eæque in publicas tabulas redactæ ſunt. Vendramenus Antiſtes, uti moris eſt, Principe, Regum oratoribus ac Senatu comitante, ad caſtellanas ædes eſt deductus.

Hoc itidem anno piratas inſectandi, maria tutandi, navigiaque protegendi cura non intermittebatur, in id Juſto Antonio Bellegno, galeonis, Franciſco Mauroceno, quinqueremium præfectis, ſummo ſtudio contendentibus. Sed cum ſæva tempeſtatis vi jactatum magnum illud navigium, atque in ea jactatione anchora amiſſa, pene naufragium ad Mitylenem perpeſſum fuiſſet (qua in re Achomatis Turcarum Regis liberalitas inſueta eluxit, anchoram enim decem auri librarum pretio præfecto dono miſit) jacturaque ob oculos verſaretur, quam, ſi quid adverſi ei navigio accidiſſet, ob ingentem tormentorum vim, atque alia immenſi pretii, quibus inſtructum apprime erat, res maritima pateretur; anni exitu Senatus conſulto ut armamentis exueretur atque ad urbem deveheretur: decretum; ejus loco tribus quinqueremibus alia adjiceretur; ut, binis in diverſa loca eodem tempore tendentibus, tutior navigatio redderetur. Antonius Piſanus binis præfectus datus; Franciſcus Maurocenus alteras regeret, cui, ſi jungerentur, Piſanus obtemperaret.

Achomates Turcarum Rex anchoram Bellenio, galeonis præfecto, dono mittit. Senatus decretum de galeone exarmando, altera quinqueremi inſtruenda.

Antonius Piſanus alter quinqueremium præfectus.

Sub id tempus res accidit, qua haud parum moleſtiæ Petribus acceſſit. Nam Silveſter Quirinus, trierarchus, cum ad Paxon inſulam, quæ parum a Corcyra diſtat, in duas turcicas triremes illatus, prædatoriaſque eſſet ſuſpicatus, alteram, omnibus Turcis, triginta tantum exceptis, qui pugnæ, ſuperfuere, cœſis, intercepit; altera, fuga citiſſime arrepta, evaſit incolumis. Ea res Byzantium perlata, magnos motus in animis procerum concivit, cum eas triremes Binagro quodam præfecto e Numidia Conſtantinopolim cum muneribus ad Regem Baſſaſque contendere affirmarent. Quod piratarum eſſe dicerentur, id minime verum eſſe: priuſquam in illas impetus fieret, quorſum proficiſcerentur, quibus ex regionibus diſceſſiſſent, veſtigandum fuiſſe. Fremere proinde atque, ut mos gentis eſt, minas miſcere, eoque magis factum exaggerare, quod, cum Turcarum civibus veluti feſa fortuna

Silveſter Quirinus turcicam triremem capit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1609 tuna lætior illis aſpirare cœpiſset, Iuſuffo, qui ingentium tur barum auctor exſtiterat, permollito, Giambulato Damaſci præfecto, atque Chilæ regionis Principe pellectis, & per ſpeciem ſibi conciliatis, quorum illi paulo poſt Viſiratus principem locum obtinenti, ab Amurathe guttur frangi juſſum; alteri Temiſvarii Baſsæ creato, vita adempta fuerat, omnibuſque perduellibus perterrefactis; nihil ultra Turcis timendum videbatur. Qua ex re inſolentiores facti, ſpiritus antea cladium mole oppreſsos, erigere cœperant. Inde graviores in Reipublicæ miniſtros querelæ. At Simeon Contarenus, legatus, cum nondum a Senatu literas accepiſset, tempore, quo animorum ardor reſtingueretur, utebatur. Patres ſcriptis excepta teſtium dicta, Byzantium ad Contarenum mittunt. Jure in prædones a Quirino impetum factum, qui ſcopulorum objectu tecti latuerant, quo digreſſi, quo tenderent non ſignificaverant: attamen Turcas, qui ſuperfuerant, vivos Byzantium Patres miſsuros. Contarenus, vir ſingulari virtute, acri ingenio, quæ geſta fuerant tuetur; nullum non lapidem movet, quo Baſsas de Reipublicæ in Regem egregio animo certiores reddat. *Fœderum pacis legibus cautum, ut in piratas, ubicumque fuerint, cuncta hoſtilitatis ſigna edantur: certiſſima, quod ii piratæ extiterint, argumenta eſſe, ex Numidia, prædonum receptu, digreſsas triremes, Chriſtianorum bonis magna ex parte onuſtas, lattantes, noſtrorum aſpectum difugientes; quid hæc niſi prædonum artes eſse? quod igitur Quirinus fecerit, id jure factum.* His modo leniter, modo gravius prolatis, barbarorum animos flectere ac permollire Contarenus cœpit, ut poſt menſes aliquot quibus eo negotio fatigatus fuerat, regias literas tandem ſequenti anno ad Senatum obtinuerit, quibus ea, quæ geſta fuerant, perpetuo ſilentio tegi Achomates jubebat; Turciſque, qui reliqui fuerant, Byzantium miſſis, nihil amplius petiturum affirmabat. Ita captivis redditis, difficillimo negotio finis impoſitus, in quo pertractando Simeonis Contareni, legati, virtus maxime enituit.

Simeonis Contareni, oratoris, virtus in Turcarum querelis refellendis.

Simeonis Contareni, opera triremis a Quirino captæ negotium compoſitum.

In Tergeſtinis hoc anno turbationes ſubſequutæ, qui adverſus pacta cum Republica olim inita ſalinas exſtruere aggreſſi, Juſtinopolitanos finitimos, cum quibus veteres inimicitias

micitias atque odia exercent, vexare; illorum commercia ad ſe attrahere nitebantur. Inde cum præter Juſtinopolitanorum querelas, vectigalium quoque detrimenta imminere viderentur, Senatus Aloyſium Georgium, qui tunc ſalinatorium magiſtratum gerebat, cum triremi ac navigiorum aliquot numero in ea loca proficiſci juſſit, ut Tergeſtinorum conatus averteret, ac, ſi quid pactis & conſuetudini adverſum excitaſſent, amoliretur; neque aliunde ſal Tergeſtum, aut ei ſubjectæ ditioni importari ſineret: hiſce incommodis maritimiſque negotiis interdictis obſtinatam eorum audaciam reprimi, atque commercia Juſtinopolitanis reſtitui poſſe ratus. Egregie munere Georgius perfunctus, atque navigiis aliquot eo cum ſale proficiſcentibus vel captis vel depreſſis, brevi vel renuentes cœptis deſiſtere coegit, ac Juſtinopolitanis priſca negotiorum jura reddidit, quietemque peperit. Civitatis quoque in Carnis ex privatis ſimultatibus ortum incendium, fere Forijulii omnem provinciam invaſit. Nam cum inter præcipuas in ea civitate familias ingentes contentiones exarſiſſent, cædeſque aliquot utrimque ſequutæ fuiſſent, cives omnes fortunam partium ſequebantur. Exinde privatas domos occupare, obſepire, munire, in iis ſe ad obſiſtendum comparare, complures ſibi obæratos ac clientes adjungere. Ac jam malum ita excreverat, ut omnes fere Forojulienſes, alterutri favendo communem cunctis cauſam facerent. Cumque huic peſti evellendæ impar auctoritas in ordinario magiſtratu minime armis inſtructo eſſet, neque a centum Corſis militibus eo miſſis cohiberi audacia potuiſſet; ne latius virus ſerperet, in Carnos præfectum ſumma cum auctoritate atque imperio intendum Senatus cenſuit, qui ſeveriſſimis pœnis atque edictis refractarios coerceret, pacemque Civitati redderet. Philippo Paſchalico, viro ſummis perfuncto magiſtratibus, rebuſque mari geſtis præſertim claro, id munus obtigit; qui ſtatim profectus ita omnium animos commovit, ut, terrore conceptis, repente tumultus comprimerentur, atque ira defervescerent. Seditionis auctores capite, exilio, bonorum publicatione mulctavit; qua ſeveritate, qua dexteritate uſus, intra paucos dies labefactam ac pene everſam concordiam ſummæ omnium lætitia Civitati reſtituit.

Aloyſius Georgius ad Tergeſtinorum novitates coercendas mittitur.

Philippus Paſchalicus legatus in Forū Julii ad turbines comprimendos.

Ce-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1609 Ceterum ſuborta inter Pontificem ac Rempublicam contentio non minimum hoc anno temporis exhauſit. Magni momenti ſacerdotium in Rhodiginæ Peninſulæ ditione eſt, opibus, latifundiis, vitibus refertum: id Abbatis ſanctæ Mariæ Vangadiſiæ titulo poſſidetur; tumque a Franciſco Lauretano, Leonardi filio, obtinebatur; qui in juventæ flore cum exceſſiſſet, ſtatim ei Paulus Scipionem Burgheſium, nepotem, inſcio, nedum inconſulto Senatu, ſucceſſorem dedit. Inſuetum Patribus atque a veteri conſuetudine alienum videbatur, non tantum modica & exilia, ſed opima atque egregia ſacerdotia, quæ plerumque in Venetos a Summis Pontificibus conferri conſueverant, ne exquiſita quidem ſententia, aliis tribui: vix Lauretano defuncto, ſtatim Burgheſium ſuffectum fuiſſe, in eo ſacerdotio præſertim, quod pernobile iis in locis habitum, in ditione Veneta multa eaque præclara jura obtinet. Itaque dimovere Pontificem ſi qua poſſint a ſententia, ſtatuunt: ni id fieri queat, eo tandem confugere, ut electum minime (ut moris eſt) in poſſeſſionem (quam *temporalem* vocant) inducerent. Id ut ad Pauli aures perveniat, curant; repulſam verito, extracto negotio, tandem aliquam rationem, qua ſatis Reipublicæ fieret, inveniri poſſe rati. Pontifex itaque, ne ulla in parte ſuæ dignitatis periculum faceret, cunctari, Burgheſium in poſſeſſionem mitti nequaquam flagitare; conqueri, quod nepotem admittere Senatus nollet. *An id unquam alicui Pontifici pernegatum? hac in re exiſtimationem ſuam agi arbitrari.* Contra Franciſcus Contarenus, legatus, Senatus nomine: *Mirum minime videri, ſi peramplum ſacerdotium ſuorum alicui tribuendum, uti uſu receptum ſit, Senatus curet: omnia Pontificis cauſa ſe velle & cupere: at qui poſſit non dolere, quod aliis Principibus ultro conceſſum ſit, quod ſibi ſponte adſciſcant, Reipublicæ ereptum videre?*

Franciſci Lauretani, s. Mariæ Vangadiſiæ Abbatis, obitus.

Paulus Pontifex Burgheſium Cardinalem Lauretano Abbati ſufficit.

Interea e divi Benedicti ordine religioſi viri, Camaldulenſes nuncupati, Leonis decimi privilegio innixi, qui ſeptemdecim cœnobia, tunc diſſipata ac fere everſa, religioni denuo ſubjecerat; &, ſi quæ ad eam pertinuiſſent, imposterum ſervitio exempta, tribuerat; Fulgentium, Ateſte, agri Patavini oppido, ortum, Abbatem eligunt; qui ſtatim Rhodigium

Camaldulenſes monachi s. Mariæ Vangadiſiæ Fulgentium Abbatem eligunt.

gium profectus (neque enim impedimento eſſe Patres voluerant) ſolemni ritu inauguratus, ſacerdotii gubernacula ſuſcepit. Jamque ſe cauſam tueri, Romæ procuratorem deſignare, nihil non agere, quo priſcum jus retinerent ac tuerentur, Camaldulenſes ſtatuerant; licet vel metu, vel majorum offenſione deterritus, patrocinium ipſorum ſuſcipere vellet nemo. Pontifex, ne potius auctoritate ac potentia, quam jure agere videretur, quid in Camaldulenſium cauſa juris ſit, conſulendum ac decernendum Rotæ (eſt id jurisconſultorum conſilium) mandat. Cuncti, nullum in Vangadiſiæ ſacerdotio Camaldulenſibus jus eſſe, ſtatuunt. Tunc ipſius Pontificis apud Rempublicam Nuntius Fulgentium a Senatu poſſeſſione pelli ac dimitti enixe petit; minas in eum eccleſiaſtici fulminis atque interdicti intentat. Patres Fulgentium minime dimittunt. Ne quid de Camaldulenſium rationibus depereat, ipſe imperterritus in ſuſcepto ſemel munere perſeverat. Res extrahitur. Tandem Joannes Mocenicus, qui Franciſco Contareno in Romana legatione ſucceſſerat, Pauli animum permollire atque ad pacatiora conſilia cœpit traducere. Itaque per Lanfrancum Cardinalem oratori ſignificat: ſi Burgheſius in poſſeſſionem mittatur, ſtatim cui Senatus mallet Sacerdotium, æqua ei penſione ſervata, collaturum. Id nequaquam Senatui probabatur, *quod certum ad id tempus non præſcriberetur; quod nullæ leges ac conditiones adhiberentur; quod cum ſacerdotii inſignibus ac titulis ſibi juriſdictionem reſervare Burgheſius cogitaret, verendum eſſet.* Nec deerant ex Patribus, qui Camaldulenſium jura defendi debere arbitrarentur. *Non permittendum, ut religioſus ordo, Venetis in primis addictus, deque Republica optime meritus, aliquid detrimenti pateretur: in ejus ſinu ſuas rationes omnes poſuiſſe; ſuis decretis atque actionibus mirifice Reipublicæ cauſam ſuſtentaſſe, quibus etiam Tridentinum Concilium favere videretur, quo divulſa cœnobia ad priſcinos religioſorum ordines, tamquam poſtliminio redire cœpebantur.* Sed contra alii, finem huic diſſidio, dum ex dignitate Reipublicæ ac nullius damno fieri poſſit, imponendum. *Quid enim aliud Senatum aut petiiſſe aut optaſſe, niſi, ut is ſacerdotium obtineret, qui & genere & virtute inter ſuos præſtaret,*

1609

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1609 *ſtaret, qui opulentum ac variis juribus refertum moderaretur? id porro nunc teneri: jam ſi de cœnobiorum ad veteres poſſeſſores reditu agatur, neque hoc ad Senatum ſpectare, neque ita recens malum eſſe, ut cito vel evelli vel ſanari queat: Quod ad Camaldulenſes attinet, eorum jura, quatenus fieri poſſit, tutanda eſſe.* In hanc ſententiam cum frequens Senatus iviſſet, juſſum Mocenico, libere ſacerdotio cuipiam e noſtris conceſſo, annua Burgheſio penſione reſervata, negotium conficiat. Brevi in has leges deventum: *Libere cum ſpirituali ac temporali, quas vocant, juriſdictionibus Venetus civis Abbas renuntietur; quinque aureorum millia Burgheſio annuatim pendantur: nulla in re Camaldulenſium juri abrogaretur, quo minus eo in ſtatu ſint, quo primum, Lauretano Abbate ſacerdotium obtinente, fuiſſent: pecunia demum, quæ ad eccleſiæ cultum, monachorum victum, Padi aggeres inſtaurandos ſufficiat, ſeponatur.* Matthæus Priolus, ſpectatæ virtutis juvenis, Antonii Equitis ac Marcii Procuratoris filius, a Pontifice ſuffectus eſt: atque ita implicito multis difficultatibus negotio finis impoſitus, & dignitas Reipublicæ ſervata, Camaldulenſibus (quatenus fieri potuit) conſultum.

Abbatiæ ſanctæ Mariæ Vagadiſiæ negotium cõpoſitum.

Matthæus Priolus, ſanctæ Mariæ Vagadiſiæ Abbas eligitur.

Senatus quoque in catholicam religionem ſtudium maxima alia in re enituit. Jacobus Magnæ Britanniæ Rex, poſt detectam ſuperioribus annis conjurationem, quæ in illius caput totiuſque regni proceres intendebatur, cunctos ſibi ſubjectos jurejurandi formula obſtringere ſtatuit, qua, *nemini in Britanniam jus eſſe, aut fore*, continebatur; *ſe legitimum verumque Regem Britanniæ aliarumque terrarum ſibi ſubjectarum eſſe; Pontificem neue per ſe ipſum neque per ullam aliam auctoritatem Eccleſiæ vel Sedis Romanæ, Regem deponendi, de ſuis regnis diſponendi extraneo alicui Principi, ipſum damno afficiendi, terras ſuas invadendi, ſubditos ab ejus obedientia & ſubjectione eximendi, moleſtiam aliquam vel damnum regi, ditioni, ſubjectis inferendi, auctoritatem aut poteſtatem habere; neutiquam obſtante declaratione vel ſententia excommunicationis aut privationis facta, conceſſa, facienda, concedenda, per Pontificem vel ſucceſſores ſuos, aut quacumque abſolutione ſubditorum a ſua ſucceſſorumque obedientia: quinimmo fidem Regi, ſucceſſoribuſque ſuis cunctos præſtaturos; totiſque viri-*

Jacobi Angli Regis decretum de juramento ſubjectis ſuis obſtringendis.

viribus contra conſpirationes & attentata quæcumque defenſuros; omniaque machinamenta, quæ noverint, audiverint, patefacturos: eam inſuper propoſitionem tamquam hæreticam atque impiam abjuraturos, quod per Pontificem excommunicati ac privati, per ſuos ſubjectos vel alios quoſcumque deponi aut occidi poſſint: demum neque Pontifici neque alii ab hoc juramento abſolvendi poteſtatem eſſe, ex corde fatentes pro explorato ac comperto habituros. 1609

Hoc Britanniæ Regis decretum, ea jurisjurandi formula cum ad Paulum ſummum Pontificem delata eſſet, vehementer commotus, ad Catholicos Angliæ literas (quas *Breves* vocant) dedit: *Se magno mœrore affectum ob eas moleſtias, quas ipſi pro fide catholica retinenda jugiter ſuſtinerent: nuper vero inhorreſcentibus malis, zelo paſtoralis officii impulſum, paternaque ſolicitudine de ſuarum animarum ſalute aſſidue laborantem, monere, obteſtari, ne ullo pacto ad hæreticorum templa accederent, eorum conciones audirent, cum ipſis in ritibus communicarent, ne iram Dei incurrerent: hæc abſque detrimento divini cultus ipſorumque ſalutis facere minime, nec abſque evidentiſſima ac graviſſima divini honoris injuria, ſeſe, jurejurando propoſito, poſſe obſtringere, quod ſalva fide catholica & ſalute animarum præſtari nequiret: proindæ monere, ut ab eo ſimilibuſque caveant, idque acrius exigere, eorum fidei conſtantiam expertum, quæ tamquam aurum in fornace perpetuo tribulationis igne probata fuerit: immo pro comperto habere, quæcumque atrociſſima tormenta alacri animo ſubituros, mortemque ipſam fortiter oppetituros potius, quam Dei majeſtatem ulla in re læſuros.* Hæc ſumma Pontificis literarum erat, quæ cum anno M. DC. VI. decimo kalen. octobris datæ eſſent, earumque fides in dubium revocari a nonnullis in Anglia cœpiſſet; atque aliqui eo obtentu, ſe a Pontificis mandatis eximere niterentur; aliæ literæ a Paulo, decimo kalen. ſeptembris anno M. DC. VII. ſcribuntur, *quibus de jurisjurandi prohibitione ſuperiori anno datas literas non ſolum motu proprio (ut ajunt) & ex certa ſcientia, verum etiam poſt longam & gravem deliberationem de omnibus, quæ in illis continerentur, adhibitam, fuiſſe ſcriptas, teſtatur, & ob id illas omnino obſervari, omni interpretatione ſecus ſuadente rejecta, debere.* His mitiùs in modum

Pauli Pontificis literæ ad Catholicos in Anglia.

Paulus Pont. alteras literas in Angliam mittit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1609 Catholici, qui in Anglia sunt complures, angebantur. Hinc severissima Regis edicta laesae majestatis crimine, bonorum publicatione, mortis metu urgebant. Inde Pontificis literis, religionis ardore, ne qua in re divini numinis offensam incurrerent, deterrebantur. Nam Gregorium Bachuellum, Angliae Archipresbyterum, sacramento se se obligare renuentem, in carcerem detrudi Rex jusserat; qui postea vel vinculorum horrore, vel mutata sententia commotus, non modo in formulam jurejurando consensit, sed ejus inscripto nomine liber editus ac vulgatus circumferebatur: cui Rubertus Bellarminus, Cardinalis, cum olim amicitia devinctus fuisset, epistolam perscripsit, qua ad catholicae fidei constantiam sacramentique ejerationem vehementer hortabatur.

Jacobi Regis Apologia pro sacramento fidelitatis. Bellarmini Cardinalis lcõtra Apologiam a Rege scriptam liber. Jacobus Rex librum compositum ad Principes misit.

Jurisjurandi a se emissi execrationes, Pontificis devotiones Regem impulerunt, ut, arrepto calamo, librum conscriberet hoc insignitum nomine: APOLOGIA PRO JURAMENTO FIDELITATIS: qua saecularium Principum suprema jura auctoritatemque tueri profitebatur. Rudolpho Caesari atque aliis Europae Regibus ac Principibus dicavit; in quam postea idem Bellarminus Cardinalis sub Matthaei Torti nomine acerrime est invectus. Librum typis excusum ad Caesarem aliosque Reges ac Principes mittere Jacobus statuit. Quod vero quaedam eo in libro continerentur, quae catholicae religioni adversarentur, varie a Principibus accipiebatur, ne vel aliquid ab avitis institutis alienum fovere, vel Pontificis, religionis principis, auctoritatem laedere viderentur. Constabat, Henricum Galliae Regem acceptum, theologis ac praecipue Cotono, Jesu sodalitii viro, perlegendum dedisse: Philippum Hispaniae Regem recipere noluisse; Ferdinandum magnum Hetruriae Ducem acceptum flammis mandari jussisse.

Patres, qui summo semper studio in catholicam religionem incubuerant, ne quid illi adversum fieret, neve Regi amico inferretur injuria, laborabant. Hinc numinis reverentia, inde Angliae Regis in Rempublicam benevolentia, gravissimis temporibus perspecta, solicitabant. Itaque eam inire viam placuit, qua ne minima quidem re avita instituta labefactarent, amicissimique Regis benevolentia retineretur. Senatus consultum fit: *Britanno legato in Patrum Collegio libellum exhibente, eum Prin-*

Princeps uti Regis munus ejusque in Rempublicam benevolentiae argumentum accipiat; acceptum postea Magno scribae tradat, qui in arcula obsignata clavibus conservet, nulli exhibeat; inde amoveri, aut decerni quidpiam de eo nisi Senatus decreto nequeat. Exhibitus ab oratore liber ex Senatus consulto receptus est. Per eos dies Gipsius Pontificis Internuncius Patres adit, notas censorias Romae in *Apologiam* editas exhibet: *Religionem Reipublicae optime se nosse, proinde plura non additurum*, inquit. Ad haec Donatus Princeps, *nihil a veteri pietate sejunctum ea in re Senatum facturum*, respondit. Responso Internuncius non modo, verum etiam Pontifex annuit, neque de libello jam accepto mentio ulla fit. Paucis interpositis diebus, iterum Gipsius ad Patres, *libellum prohiberi, atque ut quid hisce in rebus ferat consuetudo, fieri permittatur*, petit: *nil aspere quaesitorium magistratum acturum nec de nomine quidem Regis mentionem facturum: quid deceat, quam leniter tractari negotium oporteat, optime nosse.* Res extrahitur; tandem adcersitis Senatoribus, qui quaestionibus de religione interfunt, a Patribus mandatur, impressorum magistro vocato, ne libellus venumdetur, imperari permittant; decretum in publicas tabulas non redigatur, sed verbo tenus tantum fiat.

1609 *Senatus decretum de libro Regis accipiendo & arcula obsignata conservando. Gipsius Pontificis Nuncii de Apologia cum Venetis officium & Principis responsum.*

Erat tunc extra civitatem Henricus Hutonius, Regis legatus: eaque de re certior factus, statim Venetias advolat, Collegium adit, vehementer ac concitate agit. *Regis amici librum una manu receptum, altera vetitum: non id Regis in Rempublicam benevolentiae, non Reipublicae in illum amori atque observantiae respondere: vix sibi persuadere, ex Senatus decreto ea contigisse, qui illius prudentiam ac sapientiam nosset: id si ita sit, acta rescindi, Quaesitorem plecti oportere: eo Reipublicae in Regem voluntatem patefactam iri, id semper se arbitratum pro constantique habuisse: summa libertate praeditam Venetam Rempublicam, neque in ea imperandi cuipiam praeterquam Senatui jus esse. Quid porro eo libro contineretur, nisi vindicata Regum ac Principum libertas, qua tantopere Veneti glorientur? Quid, nisi ut gladius, a Deo Optimo Maximo Principibus tributus, ex eorum manibus non extorqueatur? Vix tolerandum esse, ea, quae in Regem Britanniae scribuntur, omnibus patere, a cunctis perlegi: his vero, quae*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1609 *ad ſe tuendum refellendoſque adverſarios conſcripſerit, interdici : non ſe amplius Venetiis cum dignitate morari poſſe : quæ acciderint, Regi, cujus de re ac exiſtimatione imprimis agatur, ſignificaturum ; neque, quoad ejus reſponſum retulerit, Collegium aditurum, munia legati non obiturum : ſi quid a ſe Reſpublica petere velit, ut privatum reſponſurum.* Hutonii oratione Senatus mirum in modum eſt commotus : *Nihil enim cauſæ eſſe, cur ita exardeſceret : non ita cum Republica agere oratores conſuevisſe : aſpera multa ac difficilia negotia inter Principes agitari, quæ dexteritate animorum conficerentur.* Itaque Marco Antonio Corrario, in Britanniam legato, ut Regem de iis, quæ contigerant, certiorem faciat, mandatur : *Librum a ſe elucubratum, uti regium munus, Senatum accepiſſe, non ſane, ut in vulgus diſpergeretur ; neque enim plebs his de rebus judicium ferre debet ; quidquid actum fuiſſet, id & religionis & publici boni cauſa factum : quæſtionum de religione magiſtratum veterem in Republica eſſe ; ei tres ex præcipuis Senatoribus intereſſe, neque quidquam, quod Reipublicæ officiat, ab eo proficiſci, cuncta prudenter expendi ac mature confici.* Eadem Hutonio in Collegium adcerſito ſignificantur. At perlecto de more Senatus conſulto, legatus turbari, agitari, ac fere compos ſui non eſſe : *Jam ſibi non amplius apud Rempublicam legati locum ſupereſſe : ni malo obviam eatur, ni opportuna remedia adhibeantur, de Britanniæ Rege cum Venetis amicitia actum eſſe : poſthac uti privatum in urbe manſurum : ne tantillum quidem de eo, quod ad Regis dignitatem ac decus ſpectet, concedi a ſe poſſe : quod ſibi videbitur ipſum, facturum, ad eum literas daturum reſponſumque præſtolaturum.*

Senatus mandata ad Marcum Antonium Corrarium, oratorem in Anglia.

Obfirmatus Hutonii animus acrius Patres incendit, ac ne quid de Jacobi Regis in Rempublicam propenſione atque benevolentia ſummis in rebus patefacta, ſui legati literis atque officiis minueretur, ſuadente Auguſtino Nanio, Equite, legatio in Britanniam decreta eſt ; qua & Reipublicæ in Regem ſtudium conſtaret, atque cuncta ſumma cum ratione a Senatu facta fuiſſe oſtenderetur. Aliæque ſtatim ad Corrarium, ordinarium legatum, literæ mittuntur, quibus deſignatam legationem ſignificare, de iis quæ acciderant poſtea Regem docere, modeſte de Hutonio legato conqueri, jubetur.

betur. Et quoniam liber in Regem conſcriptus atque editus per hominum manus circumferebatur, cui titulus *Puritanus* ; is ut neque Venetiis neque in ditionibus Venetis venumdaretur, decretum. Franciſcus Contarenus, Eques, qui nuper Romana legatione egregie perfunctus fuerat, orator in Britanniam lectus. Rex, de ſibi decreta legatione, deque tota re a Corrario edoctus, Senatus prudentiam, ac in iis, quæ ad religionem ſpectant, ſolicitudinem extulit : *Neque ſe, ut in vulgus diſſiparetur, librum edidiſſe* ; Puritanum *quoque libellum exterminatum fuiſſe lætatus, de clariſſimi viri deſignata legatione, quam pergratam ſibi fuiſſe oſtendit, gratias egit.* Ac licet ſatisfactum Regi videretur, attamen Contarenum in Angliam Senatus proficiſci voluit ; qui, jam elapſo autumno, hieme inter aſperrima frigoris ac nivium iter confecit : perhonorificeque exceptus, omni officiorum genere a Rege excultus eſt, quo & Reipublicæ egregio benevolentiæ & obſervantiæ argumento reſponderet, & oratorem, qui multis legationibus Europam peragraverat, debitis honoribus afficeret. Itaque Britanniæ Regis amicitia non modo non labefactata, immo confirmata atque aucta ; ſtudium religionis ex veteri inſtituto mordicus retentum eſt. 1609

Franciſcus Contarenus orator ad Angliæ Regem.

Hæc ſcriptionum certamina, quæ variæ per Europam curioſorum hominum ingenia exercebant, aliæ contentiones excepere, quibus publica pax nutare cœpit. Defuncto namque abſque liberis Menapiorum Duce, ſtatim acerrima de ſucceſſione diſſidia erupere, Principibus genere, viribus, religione diſſentientibus, ampliſſimæ ditionis imperium ad ſe ſpectare, ac trahere anhelantibus. Hi erant, Leopoldus, Ferdinandi Græcienſis frater ; Wolphgangus, e Comitum Palatinorum Rheni gente, Noburgi Comes ; Brandeburgenſis Marchio ; Burgravius item Marchio, Caroli Maximiliani Cæſaris fratris filius ; ac demum Saxonum Dux. Aliis vero quibuſdam, res inter Leopoldum ex una, & Brandeburgenſem ac Noburgenſem, icto fœdere conjunctos, ex altera parte agebatur ; cauſaque ex juris præſcripto definiri poſſe videbatur. Nam ad Rudolphum Imperatorem judicium ſpectare plerique cenſebant ; atque ipſe ſtatim a Clivenſis obitu, ne quid novaretur, edicto vulgato, caverat : qui ſecus feciſſent, Cæſareum

Menapiorum Ducis obitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1609 interdictum minatus. Verum duo fœderati Principes, omni fere Menapiorum regione occupata, sibique sacramento incolis obstrictis, Diceldorfium ingrediuntur. Contra Leopoldus, duobus circiter peditum millibus coactis, Juliacum, præcipuam urbem, obtinet. Jamque, jactis gravissimi belli initiis, Cæsar, ne latius sese incendium effunderet, consilio potius, quam armis agendum statuens, Principes, quæ occuparint, penes sequestros seponere, judicium expectare jubet, interdicti pœna adjecta, quo nullum gravius Imperatores telum exerere possunt. Principes neque ab armis absistere, neque edicto parere, externas amicitias & auxilia quærere: ac ne religio illis officiat, nihil se de religione immutaturos, catholicam, quibus ea in locis exercetur, sartam tectamque fore, edicunt.

Brandiburgensis & Neoburgensis Duces Menapiorũ Principatũ invadunt.

His catholicorum Germaniæ Principum gravi suspicione imbutæ mentes, & suæ prospiciendum incolumitati tempus arbitrati, Moguntiæ fœdus percutiunt, ejus Bajoariæ Ducem principem constituunt. Adversi Principes, Henrici Galliæ Regis fœderati subsidium implorant; qui cum ad eos Menapios jure spectare pro constanti haberet, eorum patrocinio suscepto, omni conatu, cunctisque regni viribus, ut Clivensi ditione potiantur, enixurum pollicetur. Atque ut omnem de religionis catholicæ jactura suspicionem amoveat, se non modo illam conservaturum, sed etiam amplificaturum profitetur; consilio enim summorum virorum adhibito, causam imperii, non religionis agi comperisse: Paulique summi Pontificis suasionibus, quibus ab eo hæreticorum causam tueri conquerebatur, nihil permotus, acriter ejus Internuncio Lutetiæ, Romæ per Brevium legatum Paulo respondet: *Amicos ac fœderatos se nullo pacto deserere posse: nihil hic de religione, sed de Menapiorum tantum possessione agi; catholica religione nihil sibi antiquius fore; eam ubique defensurum, immo etiam aucturum.* In his Germaniæ motibus fœderati Principes, Magdeburgensis ac Neobu rgensis, Leonardum Butenum Venetias misere, qui & eorum nomine literas Senatui daret, quibus eximiam benevolentiam atque observantiam erga Rempublicam testabantur, & jura, quæ in Menapiorum ditionibus obtinerent, exponeret.

Germanorũ Principum catholicorũ fœdus sub Bajoariæ Ducis auspiciis.

Henricus Rex duorũ Germrnorũ Principum patrociniũ suscipit.

Leonardus Butenus a Germanis Principibus Venetias missus.

ret. Quod cum egregie præstitisset, gratiæ Principibus per literas, perque Butenum a Senatu actæ: adjectæ ad pacem ac tranquillitatem publicam, in qua retinenda ex veteri instituto semper Respublica desudaverat, adhortationes. 1609

Henricus vero Galliæ Rex, magna semper animo agitare assuetus, cum fœderatis Principibus ad Menapios obtinendos opem ferre statuisset; atque inde ingens bellum exoriturum prospiceret; sibi Carolum Emanuelem, Allobrogum Ducem, adjungere statuit; illius virtute ac militari scientia, regionis quam obtinet, situ haud parum suis rebus firmamenti ac roboris allaturum, ratus. Allobrox vero non difficulter Henrico accessurus videbatur; tum quod in Hispanos parum propenso animo se esse significabat, tum quod ingentium rerum spe aleretur. Constabat enim, majoris natu Regis filiæ nuptias Carolum pro Principe filio appetiisse, deque affinitate jungenda cum Henrico egisse. Sed antequam quidquam certi consilii caperet, explorandam prius Hispanorum mentem arbitrabatur; Verucæque comite in Hispaniam misso, cum postulatis minime pollicita respondere comperisset, arctius cum Gallo tractare cœpit. Rex Bollæum Augustam Taurinorum misit, qui, multis propositis præmiis, ad se Ducem trahere niteretur. Quapropter exciti Hispani, ne in Gallorum sinum præceps iret, summo studio contendere cœperunt. Caroli animus in varias partes huc atque illuc distractus nutare, nil certi definire: hinc Hispanorum amplissimis præmiis, summis honoribus, qui filiis promittebantur, allici; inde regio connubio proferendorum imperii finium spe rapi: ut aliquando inter suos præconsultores eo præsente acerrime in utramque partem discepta[tu]r; dum alii Gallo adhærendum suaderent, inter quos Lolinius ac Jacobus præcipui erant; contra alii Hispani amicitiam præferendam censerent, cujus sententiæ principes Coronarius Purpuratus, ac Verucæ comes erant; qui [s]ane ea ratione [m]i, ea dicendi copia in Caroli animum invasisse ferebatur, ut de amplectenda Hispanorum societate deterreret. Itaque cuncta ad iter in Hispaniam maturandum comparantur, quo Philibertum filium, Philippo obsixe petente, mittere

Henricus Rex Allobrogem sibi adjungere nititur.

Allobrogis Ducis consilia.

Allobrogum præ[sul]turum [a]ri sententia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1609 tere ſtatuerat. Jamque Genuenſes triremes, quæ illum Barchinonem deveherent, in promptu erant; reſpublica, legatione Philiberto decreta, ut regio apparatu acciperetur, ſtatuerat; ut nulli dubium eſſet, quin Carolus Hiſpano conciliatus, ſeſe ei penitus adjungeret. Cum repente denuo in eamdem ambiguitatem prolapſo, ad iter comparata revehi, ſancita immutari, cuncta perverti. An ea vere atque ex animo, an potius aſtu & calliditate a Carolo efficerentur, incertum. Vivido namque ingenio, ac ſupra quam dici poſſit, peracuto atque acri, ſua conſilia miro ſimulationis ac diſſimulationis artificio tegere ſolitus erat. Igitur qui Gallo favebant, de integro aſſurgere, atque ad illius partes trahere Ducem nitebantur. Ita ancipiti deliberatione diſtentus hærere, hæſitare, nil expediti ac certi conſilii capere; cunctis externis atque Italis Principibus anxie expectantibus, utram in partem inclinaret, magnum momentum ad Europæ ſtatum allaturum ratis.

Dum hæc fiunt, magnam rem Hiſpani aggreſſi, tandem poſt diutinas conſultationes perficiunt. Indies namque cum maximis incrementis Maurorum numerus augeretur, viruſque adeo ſerperet, ut ingens malum Hiſpaniæ toti, ni quamprimum coerceretur, portenderet; nihil æque Philippum urgebat, quam, ſi fieri poſſet, teterrima peſte regnum liberare; cum præſertim eo gentis prolapſa fuiſſet audacia ac perfidia, ut in Regis ipſius caput conjuraſſe exiſtimaretur, olei cadis aliquot veneno infectis, regiæ menſæ adhibendis, in aulam miſſis; quod quidem facinus, niſi opportune detectum fuiſſet, magnam in regia ſtragem editurum conſtabat. Eo ſane facinore aliiſque ſæpius erumpentibus perfidiæ notis, permoti Hiſpani, Mauros penitus ex Hiſpania expellere, in alias regiones atque in Africam præcipue amandare ſtatuunt. Carolo Auria cum triremibus Genua evocato, centum circiter ac viginti millia in Africæ oras tranſmiſere, reliquis alio palantibus ac diſperſis. Nec deerant, qui factum carperent, quod tot hominum millia baptiſmate abluta (licet in iis multi chriſtiana ſacra mentirentur) quorum laboribus Hiſpania creverat, ſeminudos, bonis exutos, omni ærumnarum, calamitatis, ac necis generi objeciſ-

Maurorum facinus de Hiſpaniæ Rege & aula veneno tollendis.

Mauri ab Hiſpania ejecti.

ciſſent. Sed hæc non ejuſmodi eſſe Hiſpani ajebant, ut 1609
iis publica ſecuritas, Regis ſtatus ac vita poſthabenda foret: idque editis ac vulgatis ſcriptis mordicus tuebantur; ac Philippi fortunæ & felicitati tribuebatur, quod incredibili patris prudentia ac miro ingenio confici non potuiſſet, id ſuo tempore perfectum, teterrimam gentem ex Hiſpania deletam, quæ, ſi aliquando peregrinis viribus excita inſurrexiſſet, ingentes motus vel clades eſſet editura.

M. DC. X.

SEd ut ad Allobrogem revertamur, qui miris modis incertus animo torquebatur: cum rurſus Gallorum ſpes evehi Hiſpani animadverterent, ut illum ad ſe traducerent, nihil prætermittendum arbitrati, Joannem Vivem, qui apud Genuenſes tunc legatione fungebatur, ad Carolum mittunt. Is nullo non officii genere tentare, ſuadere; polliceri dignitatis filiorum incrementa; regias opes, divitias, regna oſtentare; animum hiſce incitamentis permollire ac flectere poſſe ſperans. Sed involuta adeo ac perplexa verba, nedum cogitata Caroli offendit, ut nonnunquam, quæ illius mens eſſet, pernoſcere non poſſe diceret; penitiora ac reconditiora conſilia fruſtra exquiri. Aliquando (ita Carolo aſſeverante) nihil cum Gallo ſtatutum ſcriberet; affinitate Philippo junctum, clientem ſe illius profiteri; nunquam alieno animo, voluntate, conſilio ab Hiſpanis futurum. Idque quod verbis præſeferebat, cum re ipſa præſtare velle videretur, Murianæ Epiſcopum, legatum in Hiſpaniam deſignavit. In aulam vocato, mandata quæ ad Regem perferret, daturum ſimulabat. 1610

Joannes Vives, Hiſpanus ad Allobrogem orator.

Interea Henricum fœderati Principes ad bellum ſolicitabant. Ipſe, reliquis prætermiſſis curis, pedites equiteſque conſcribere, Helvetios evocare, cuncta ſumma ſtudio comparare; & eo acrius facere, quod aliæ cauſæ accenſerant, quibus ad arma mirum in modum accenderetur. Nam Concinus, regiæ ſtirpis ab Henrico princeps, Gaula excedens, Bruxellas in Belgium ad Albertum Archiducem cum conjuge profectus fuerat; qua re mirifice Rex commovebatur, ne quid inde detri-

Murianæ Epiſcopus, Allobrogis Ducis orator ad Hiſpanos.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 detrimenti Gallia acciperet, veritus. Liberaliter Condæo ab Hiſpanis excepto, ædes attributæ, convivia exhibita, honores additi: cum Spinula marchione amicitia inita uxor Hiſpanico habitu amicta in publicum prodire, ipſe de Rege obloqui. Quæ Henricus iniquo animo ferens, Europeis Principibus ac Reipublicæ per legatum Sciampignium ſignificabat. Sperans interim ad ſaniora conſilia Condæum ſe revocaturum, Couvræ marchionem in Belgium mittit, qui ei reditum ſuaderet, Regis in ſe clementiam, amorem teſtaretur, quæcumque petiiſſet, impetraturum. At Condæus obfirmato animo non modo Couvreum audire noluit, ſed quempiam a ſecretis ad eum miſſum gladii capulo percuſſiſſe fertur. Mediolanum poſtea, Hiſpanis annuentibus, ementito ſacerdotis habitu, tribus aliis comitibus, proficiſcitur; quo in itinere Benaco lacu Venetæ ditionis trajecto, ad Rivoltellam oppidum prandium ſumpſit, parumque abfuit, quin aſtu Sciampignii legati, magiſtratus Brixiæ juſſu, comprehenderetur. Cum enim de itineris ratione nonnihil Sciampignius perſentiſſet, ad Brixiæ rectores literas dedit, quibus enixe flagitabat, ut e ſuis domeſticis quemdam cum ſublatis ſibi furto Venetiis profectum, per Benacum lacum, certiſque notis (quas enarrabat) compertum, intercipi præciperent, id ſe mox Patribus ſignificaturum. Verum magiſtratus Brixienſis, quod erat, veritus, ſtatim Senatum de legati petitione certiorem fecit; atque interea Condæus Mediolanum pervenit; a Fuentano ſummis honoribus eſt excultus. Ibi multa in Regem pravi animi argumenta effundere, novandi ſtudia haudquaquam diſſimulare, ſpe aliquando regno potiundi efferri; quæ ab Hiſpanis libenter non audiebantur modo, ſed fovebantur, ut Henrici potentiam frangerent, domeſticiſque diſſidiis robur fortiſſimi Regis debilitarent. Quamvis enim vehementer commoveretur, in Hiſpanis ditionibus Condæum excipi & foveri; ac graviſſime conqueſtus, minime inultam injuriam paſſurum perſancte affirmaret: tamen Hiſpani eo pignore læti, *qui in eorum ditiones ultro ſe contuliſſet, qui ad Philippum confugiſſet, expellere non poſſe*, ajebant: *Antonium Peretium, ſuperioribus annis, læſæ majeſtatis reum, in Gallia exceptum, adhuc in ea commorari. Quid igitur*

Condæus Princeps Bruxellas proficiſcitur.

igitur mirum, ſi Gallorum exemplum ſequuti, Principem in ſuum ſinum confugientem expellere nollent? At contra Galli: *Quid Antonio cum Condæo? illum privatam perſonam gerere; hunc Principem eſſe: ab illo nihil mali ad Philippum pervenire; ab hoc multa atque ingentia, quæ ad Henricum ſpectarent, proficiſci poſſe: illum, ferente inter Reges bello, admiſſum; hunc, pace intercedente, contra jus receptum.* His magis magiſque Henrici animus ad bellum accendebatur. Hinc vulgata Clivenſis expeditio, inde Condæi e Gallia diſceſſus ſtimulos addebant. Itaque cum Sabaudo negotium urgere, Europeos Principes ſibi conciliare, totus in armis eſſe. 1610

De ſuorum vero conſiliorum ratione ſæpius cum Antonio Fuſcareno communicaverat, eaſdemque Franciſco Contareno ſuperiori anno in Angliam proficiſcenti ſignificarat, per Sciampignium Senatui patefecerat, atque ad fœdus ſecum ineundum hortatus fuerat: *Jam eo Hiſpanos evectos, ut reliquis Principibus immineant, cuncta ſibi polliceantur, incrementa virium ſumere: ni obſiſtatur, brevi non minus intolerandos, quam formidoloſos evaſuros;* His, quæ cunctis communia, pleraque accedere, quæ ad Venetos pertineant: *Rhætorum cum Republica fœdera everſa, aditus illi ad externa recipienda auxilia (quantum potuerint) obſeptos. Quid? quod, gliſcentibus inter Rempublicam ac Pontificem diſſidiis, hoſtes ſe ſe palam in Europæ theatro profeſſi ſint? An non his accendi Senatum oportere, atque faſtum gentis in ejus exitium anhelantis obtundere? an non conatus frangere, atque ſe in cunctorum Principum perniciem efferentem fortunam deprimere? Quid porro hoc tempore opportunius, quid hoc rerum ſtatu facilius, dum armatus ipſe, veterano exercitu ſeptus, munus imperatorium obibit; dum robur majoris Germaniæ partis accedet; dum Anglus nihil aliud, quam in Hiſpanos odium ſpirat; dum Allobrox belli cupiditate flagrat? An parva Reipublicæ præmia fore? Cremonam, Abduam ac Glaream ad Venetas ditiones* (ut ajebat) *in quadrum redigendas, acceſſura: ac ſi terreſtribus copiis maritimæ jungantur, nullo negotio Neapolitani regni ſtationibus ac portubus potturam.* Hæc cum ab Henrico ſæpe jactarentur, quo Senatum magna ſpe altum, proferendorum finium cupidine inflammaret; tamen

Henricus Rex ad bellum ſe inſtruit.

Henricus Rex Venetos ad fœdus ineundum hortatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 men non ejuſmodi erant, ut Patres ab eorum temperatis conſiliis, atque ab amicitia, quam cum Regibus ſemper exercuerant, dimovere poſſent. Cum igitur in neutram partem propendere e republica arbitrarentur, ita Henrico Senatus conſulto reſpondendum cenſuere: *Ingentes ei a Republica gratias haberi, quod penitiora illius conſilia ſibi aperuiſſet; quod de exornanda atque augenda Republica adeo ſe ſollicitum eſſe ſignificaret; illius ſingularem prudentiam atque animi magnitudinem paribus laudibus efferre atque aſſequi non poſſe: verumtamen Reipublicæ, quæ per tot annos alta pace potita ſit, providendum eſſe, ut in Italia quies tranquillitaſque ſervetur: omnia demum felicia ac proſpera Regi exoptare; ac ſi quid in Condæi Principis negotio agere Senatus poſſit, id ultro offerre.* Henricus, paucis ad priorem Senatus conſulti partem adjectis, reſpondit, quippe qui parum ſuis conſiliis Senatus decretum reſpondere animadverteret: de altera ſummas Patribus gratias egit.

Senatus reſponſum.

Sabaudiæ Ducis cum Henrico Rege conjunctio & pacta.

Interea Allobrox, diu multumque rationibus ſubductis, tandem ſe Henrico adjunxit, atque Gallicas partes ſequi decrevit. Majoris natu Regis filiæ cum Victorio Principe trecentorum aureorum millium dote connubium pactum; quinquaginta millia ſponſo; triginta Mauritio Cardinali; viginti Thomæ, tertio Ducis filio, annuæ penſionis nomine promiſſa. Hæc licet jam erumperent, ſtudioſe adhuc ſilentio premebantur; donec, firmioribus radicibus ſubnixo fœdere, altiora conſilia concoquerentur. Quod ut quam primum fieret, poſtulatis initio cunctis fere a Bolæo Auguſtæ Taurinorum, ac Trolæonio Caroli a ſecretis Lutetiæ diſcuſſis, colloquium, quo omnia ſtabilirentur, haberi placuit. Bruſolum, haud longe Taurino oppidum, ad id lectum; eo in conventu, ut nuptiæ inter filiam Henrici natu majorem ac Sabaudiæ Principem ſtatim promulgarentur, decretum. Belli gerendi ratio conſtituta, ut eodem tempore Henricus in Menapios, Allobrox in Inſubres impetum faceret, præpotentibus Gallorum atque Helvetiorum copiis, quæ triginta circiter millia numero æquabant. Inter fœderatos Angliæ Rex, Batavi, ac Germani Principes adnumerabantur; qui nuper Halæ Suevorum, ad Germaniæ libertatem tuendam, ſocietate inita, Henricum illius

Sabaudiæ Dux cum Gallis Bruſoli convenit.

Henricus Rex, fœderis principes in Halæ conventu renuntiatur.

illius principem renuntiaverant. Britannus octo peditum millia, quorum quatuor ex iis, qui Batavis militaverant, quatuor ex Anglia miſſurus ferebatur: Batavi totidem fere peditum millia, atque equitum manum Henrici Naſſoviæ comitis, Mauritii Principis fratris, auſpiciis daturos; Germanos quoque ipſos haud exiguis copiis adfuturos. Tot viribus fortiſſimi atque invicti Regis ductu, facillime Brandeburgenſis ac Neoburgenſis Menapiorum in poſſeſſionem induci poſſe, credebatur. Eodem vero tempore Carolus atque una Laodigherius cum duorum ac triginta peditum, quinque circiter equitum millium numero, quorum Carolus duodecim millium peditum, equitum duo millia, hic viginti peditum, equitum tria millia cogeret, Inſubres aggrederentur: diemque in Italiam deſcendendi nonas junias præſcriptum rumor erat. Hæc Auguſtæ Taurinorum decernebantur. Menapiis vero in poteſtatem, uti putabatur, redactis, in Belgium Henricum profecturum, atque Albertum bello petiturum, fama percrebuerat. Addebatur, in Pirenæis ſaltibus ad duodecim millia ex Maurorum reliquiis ſupereſſe, quibus ſi arma tribuerentur, non exiguos in Hiſpania tumultus concitari poſſe. De Genua quoque invadenda conſilia habebantur. Cum enim Henricus Simeonem Danzerum, Anglum, inſignem piratam, ingenti cujuſvis gentis, ac præcipue Hiſpanorum præda onuſtum, fide interpoſita, Maſſiliæ recipi juſſiſſet, iſque ad quingentorum millium aureorum ſummam, navigiaque aliquot ſecum adduxiſſet; hoc auxilio, atque in Provincia inſtitutis viginti quatuor triremibus, Genuenſium ditiones aggredi, ac Savona potiri haud difficulter poſſe ſperabat. Hæc paſſim dispergebantur. Henricus ingenti gloriæ cupiditate incenſus, virtuteque ſummis in omni vita durata laboribus fretus, veteranis militibus ac ducibus, periculorum ſociis, confiſus, fœderatis ſubnixus, cuncta ſibi felicia ac proſpera fore ratus, jam animo victoriæ trophæis præceptis, gloriam ſibi reſervabat, aliis præmia conceſſurum palam profitebatur: Menapios Brandeburgenſi ac Neoburgenſi, Carolo Inſubres pollicitus, Venetis Cremonam Abduanamque Glaream oſtentabat; quos licet a fœdere ineundo, atque ab Italiæ rebus turbandis averſos animadverteret, attamen, exercitu in hanc provinciam miſſo,

1610

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 miſſo, cœptis fortuna favente, ut victricibus armis accederent, ſperabat; cum præſertim quotquot poſſet Italos ſibi Principes adjungere niteretur. Mantuanum, infenſo in Hiſpanos animo; Rainutium Farneſium, Parmæ Ducem, Fuentani comitis, ob multa, quæ inter eos diſſidia interceſſerant, hoſtem effectum ſciebat; atque haud difficile rebatur, fore ut, paulo immutatis rebus, ſuas partes ſequerentur. Ut nihil intentatum relinqueret, Pontificis Maximi animum explorabat; Scipionem Burgheſium, nepotem, maximis propoſitis præmiis, ſolicitabat; fortunæ ingentia incrementa, atque amplas ditiones pollicebatur.

Henricus Rex Pontif. adſe attrahere nititur.

Interea Hiſpani, cum Sabaudi conſilia & cogitata omnia ſuſpecta haberent, ne improviſo aliquid detrimenti acciperent, de Inſubrum finibus muniendis agitabant. Novariam multis operibus ſarcire, Alexandriam firmare, earum civitatum præſidia augere, externos milites evocare, Gaudentium Madruccium ſex Germanorum millia conſcribere, Alphonſum Caſatum ad Helvetios, ut illius gentis totidem evocet, proficiſci jubent. Allobrox Vercellarum atque Haſtæ præſidiarios milites augere, Haſtam novis aggeribus ac propugnaculis communire, Hiſpanis licet reclamantibus, id illi pactis conventionibus interdictum. In hac imminentium Italiæ periculorum mole, ne quies florentiſſimæ provinciæ tot annorum ſpatio labefactaretur, Senatus laboraverat. Cumque ad eam retinendam, haud parum Pontificis auctoritatem atque operam momenti allaturam intelligerent, per Joannem Mocenicum, legatum, ſæpius præſentium rerum ſtatum, ingens in Italia bellum brevi oriturum, in republica chriſtiana incendium, quo cuncta exardeſcerent, animo ac pene oculis ſubjiciebat. *Ejus, cui in terris ſumma auctoritas obtigerat, qui communis Chriſtianorum parens eſſet, munus eſſe, cunctos ingenii nervos intendere, omnia experiri, ne alta hæc tranquillitas turbaretur; ne religio detrimenti quidpiam caperet; ne ſcintillæ jam erumpentes omnem chriſtianum orbem corriperent: quod ad Senatum ſpectaret, pro pace tuenda nihil prætermiſſurum, in neutram partem inclinaturum, nunquam Reipublicæ rationes a ſanctiſſima illa Sede ſejuncturum.* Paulus, Mocenico perattente audito, poſt gratias Patribus habitas,

Hiſpani milites comparant.

Venetorum officium cũ Pontifice pro pace.

Nihil

Nihil magis ſibi hærere animo, de nulla re magis, quam de pace in tota chriſtiana republica, ac præſertim in Italia tuenda, ſolicitum eſſe: hæc dies noctesque meditari; proque ea retinenda nullum officii genus intentatum relicturum, in ſummo exiſtimationis loco Senatus conſilia ſemper habiturum, eamdem cum Republica ſe fortunam ſubiturum. Verum eo loco res erant, ut nullis humanis rationibus tot nubium ac tempeſtatum turbines diſcuti poſſe viderentur; quove tot ingentium rerum orſus erumperent, Europa omnis circumſpectabat. 1610

Interim Alphonſus Queva, Philippi apud Venetos legatus, Fuentani nomine ſex Germanorum millium per fines Reipublicæ tranſitum a Senatu petit: id & ſemper permiſſum, ac poſtremis hiſce temporibus, anno nempe M. DC. I. ultro conceſſum fuiſſe; licet enim alii non deeſsent aditus, quibus in Inſubres ductari copiæ poſſint, attamen vel itinerum compendio ac facilitate, vel Reipublicæ in Regem benevolentia permotum, id a Senatu flagitare Fuentanum voluiſſe. Sciampignius, Henrici orator, de Hiſpanorum petitione certior factus, nulla interjecta mora, Patres adit: ne tranſitum per Venetas ditiones Germanis permittant, enixe poſtulat; copias in Burgundiam adverſus Gallorum Regem, Reipublicæ amicum ab Hiſpanis mitti. Ea de re diſſentientibus ſententiis in Senatu actum. Collegii Patres fere omnes ita Quevæ reſpondendum cenſebant: *Rempublicam, quæ ſemper æque cum Regibus amicitiam coluiſſet, in eadem adhuc ſententia permanere: quæ inter eos diſſidia erant, iis ſeſe immiſcere nolle: multos aditus eſse, quibus e Germania, ut ipſe Queva ajebat, in Inſubres deſcenderetur; per eos aditus copias duci Fuentanus juberet, neque amicam Rempublicam implicaret: reliquis Germanorum, ſi quæ ſupereſſent, quominus impediantur opportune Senatum juſſurum.*

Alphonſus Queva, orator, tranſitũ Germanis militibus a Venetis poſtulat.

Sciampignius orator, ne tranſitus Germanis, permittatur, a Senatu petit.

Nicolaus Donatus, Joannis filius, adverſus Senatus conſultum ita dicere occipit.

Nicolai Donati oratio.

Non ſum neſcius, Patres optimi, de gravissima re agi, quæ ſane, in quamvis partem noſtra proclinent ſuffragia, maxima ſecum rerum momenta attracturа ſit. Quo magis, ne quid propere fiat, ne ſenſim in bellum incidamus, ſummope-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 *mopere cavendum est. Ac si ea mente semper fuistis, ut Italiæ pacem omni studio retineretis, si in alterutram partem pendere, si a veteri majorum instituto discedere noluistis; videte, ne, si in Senatus consultum iveritis, adversus Hispanos cum Henrico societatem iniisse videamini. Nil enim aliud est, Germanos transitu per ditiones vestras arcere, quam Gallis aperte favere, Hispanorum vos hostes profiteri. Quid enim, si transire voluerint? an non vobis arma sumenda, obsistendum, fauces adituſque obsepiendi sunt? An vero, nobis invitis ac reluctantibus, ducere armatas copias per fines nostros licebit, quorum altero bellum, altero ingens dedecus continetur? Cur vero id Hispanis denegetur, quod nullo umquam tempore, nisi hosti negari consuevit? Quoties avorum nostrorum patrumque ætate, modo Germani, modo Galli, modo Hispani per ditiones vestras iter habuere? An inventi sunt, qui (nisi forte inimicitiæ intercessissent) impediverint, obstiterint? Quoties vero præcludere itinera necdum declaratis hostibus voluistis, quot incommoda, quot clades, quæ calamitates inde subsequutæ sint, quis ignorat? Maximiliano Imperatori iter in Italiam per fines Reipublicæ petenti majores nostri negavere. Inde bella, quæ per tot annos variis modis terrestre imperium afflixerunt, lacerarunt, manasse certum est. Quid enim aliud est, transitu amicos prohibere, quam infenso in eos animo esse, patefacere? Nulla vobis damna illaturi, hac iter facturi sumus: commeatu indigebimus? ære nostro comparabimus: an moraturos in regionibus vestris pertimescitis? copiæ omnes illico in Insubres ducentur: licentiam militarem incolæ perhorrescunt? coercebimus: quid tandem est, cur id nobis non liceat, quod omnibus semper licuit? Quid, quod anno millesimo sexcentesimo primo Germanis militibus iter patefactum, nedum concessum est, atque ii pacate, nulla molestia, nedum injuria illata, Benaco lacu lembis trajecto, in Germaniæ fines se contulere? At iniqua Hispani petunt. An vero adeo iniquum existimatis, ad Insubrum ditiones tutandas, quæ vobis pro muro sint, copias cogere? Ego vero id æquum non modo, sed vobis vtile apprime arbitror, cum præsertim de Ita-*

Italica pace tuenda agatur, quam aluistis, fovistis; cujus semper appetentes ac studiosi fuistis: nisi forte, mutatis consiliis, altæ hujus tranquillitatis vos tædet; omnia immutari, fortunæ incertos exitus experiri vultis; atque iis capti præmiis, quæ vobis vana ostentatione objiciuntur, a vetere vestro instituto desciscere. At Gallo amicissimo Regi, qui semper rebus nostris impense favit, fit injuria? Quæ porro injuria est, si Hispanis, quorum minime hostes adhuc estis, neque fortasse eritis, iter per ditiones vestras concedatur? An Henricum, credat quis, vel suadere sibi, vel petere hæc a vobis, in animum induxisse, ut Germanos arceretis, ut arma in eos sumeretis, cum præsertim alii aditus, alia in Insubres itinera sint, per quæ tuto exercitus duci ex Germania possint? Ut potius mihi credibile videatur, Hispanos ad vestra exploranda consilia, ad tecta animorum vestrorum sensa aperienda, iter a vobis petere, ut eo vel concesso, vel pernegato, quid posthac sperandum de Republica sit, sagaci ingenio homines persentiant. Quod sane Sciampignius (ut verisimile est) callide animadvertens, absque regiis mandatis accessit, ut, si fieri posset, e manibus vestris Senatus consultum extorqueret, quo & Hispanorum hostes, & fœderatos Regis vos esse profiteremini. Hic aliquis Hispanæ gentis artes, dolos, astus, subdolum ingenium; quot ex eorum amicitia & fœdere superioribus annis Reipublicæ contigere; quæ nuper, cum Pontifice vigentibus dissidiis, dixerint, tentarint, effecerint, commemorabit. Verum qui diversas privatorum a publicis rationes esse, qui nihil vel metu vel vacundia agendum, qui prudentiam Senatus gravissimis in rebus expertam agnoverit, Germanis per Venetas ditiones iter præbere, hoc rerum statu, hoc tempore opportunum non modo, sed necessarium fore fatebitur. 1610

Cum Donatus peroraſſet, tum Joannes Cornelius, Donati collega, hunc in modum reſpondit. *Joannis Cornelii oratio.*

Dum attentius mecum ipse cogito, quæ causæ, cur per vestros fines Germanis militibus iter petierint, Hispanos impulerint, facere non possum, quin gentis, dicam ne prudentiam an sagacitatem? admirer. Neque enim credibile est, cum multi aditus (ut ipsi quoque affirmant) ex Germania in Insubres pateant, frustra mentem vestram pertentare voluisse;

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 *ſed ut, cum nullo id negotio (uti ſibi ſuaſerant) impetraſſent, tum demum in ſuas partes Rempublicam pertraxiſſe, rumoribus ac fama vulgarent, quo inter Gallorum Regem voſque ſuſpicionum ſemina jacerent; atque ut ii, qui Gallo favent, præſidiis nudatos, ſpe dejectos cum ſe animadverterent, perterrefacti animos deſponderent: quo ſane nil illis acerbius, nil vobis durius accidere poteſt. Non ignorant, in Henrico ſummam fortitudinem, egregiam virtutem, ſcientiam rei militaris eximiam eſſe; quantum ille Reipublicæ benevolentia ac mutuis officiis junctus ſit, quantum vos præſidii in Rege invicto, atque ſupra omnium ſæculorum memoriam inſigni, ſtatuere poſſitis. Id agunt, id moliuntur, ut quacumque ratione nexus iſte debilitetur & confringatur. Norunt, vobis conjunctis, eorum cupidini atque dominandi libidini omnes obſtructas vias, neque altius poſſe in Italia ſuas res tollere. Hinc mirum non eſt, ſi cum palam hæc tentare nequeant, ſolito aſtu per cuniculos aggrediantur. Cur enim aliis itineribus Germanos milites in Galliam Ciſalpinam non traducunt? An non anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto, dum arma in Italia ob pontificia ac Veneta diſſidia ſtreperent, Germanos per Alſatiæ fines, Acronium lacum, inde per Verbanum ductavere? Cur ratio itinerum immutatur? cur per Benacum trajectus petitur, niſi, ut Henrico immerenti in totius chriſtiani orbis theatro inſignis a vobis injuria inferatur? Quid enim aliud exiſtimet, cum armatus ipſe, ſociis præpotentibus ſtipatus, ingentia animo volvens, veſtras ditiones, oppida, urbes ſuis hoſtibus patefactas inſpiciet? An hæc munificentiſſimi ac gratiſſimi Senatus, an majorum inſtituta ſunt, qui beneficiis cum amicis certare potius, quam cum hoſtibus injuriis dimicare voluerunt? Niſi forte parum veſtræ dignitati & incolumitati conſuluiſſe Henricus viſus eſt, dum anno milleſimo ſexcenteſimo primo, cum omnia belli ſuſpicionibus exardeſcerent, ſe conſilia rationeſque ſuas a Republica nunquam ſejuncturum teſtatus eſt: dum anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto, Hiſpanis nova, dum Pontifici faverent, in Italia agitantibus, virtute, prudentia, conſtantia obſtitit, Pauloque ad ſaniora conſilia traducto, Reipublicæ jura tutatus, pacem egregiam Senatui peperit. Quæ ſane retenta animo, ad poſterorum memoriam tranſmiſſa, quis non*

non ſemper ſummis laudibus efferet? quis in Henricum ullo unquam tempore ingrati notam animi ſubire voluerit? Neque hic expectetis, ut cum Henrico Hiſpanos conferam. Quis enim ignorat, infauſtos fœderum ſucceſſus, incrementa Veneti imperii inviſa, maria infeſta reddita, navigia intercepta, & quod omnia ſuperat, hoſtes Reipublicæ ſeſe illos patefeciſſe? Quid ulterius aut quæritis aut expectatis? Nonne cuncta animo amplectuntur; technis ac machinis ſuis omnia evolvunt; ad monarchiam aſpirant, anhelant? Italos Principes fere omnes partim illecebris, partim metu pœnæ ſubegere. In quibus ſane Principibus ſi quis adhuc ſenſus priſcæ dignitatis ac libertatis reſidet, an non vos hoc decreto penitus ſe ſe demittere, ac nullo unquam tempore de excutiendo, quo premuntur, jugo cogitare cogeretis? At nunquam, niſi hoſti, iter per fines amicorum Principum interdicitur. Eſto, ſi nullæ ſint cauſæ quæ ſecus ſuadeant; niſi de amicorum injuria agatur; niſi neceſſitas cogat; niſi aliis itineribus copiis aditus pateant, quæ omnia in hanc cauſam incidere nemo non videt. Sed æqua petunt Hiſpani, dum Inſubres, qui nobis propugnaculo ſunt, firmioribus præſidiis tutari volunt. Quis probibet? quis vetat? Nonne per Acronium ac Verbanum lacum alias ductaſtis exercitum? Cur experiri Senatus mentem, cur explorare conſilia, cur infenſam Regi amico ac potentiſſimo vultis Rempublicam reddere? At in Philippi odium incurremus. Ne id merito fiat, omni ope cavendum: ſin immerito contingat, id non veſtra culpa, ſed aliorum in vos parum propenſo animo accidiſſe dolendum potius, quam veſtræ culpæ tribuendum, neque quidquam inde vobis detrimenti acceſſurum exiſtimandum eſt. Cum igitur ea temporum conditio, is rerum ſtatus ſit, ut præcavendum inſidiis, & amicis Principibus nulla juſta querelarum cauſa præbenda ſit, tutius, ut Patres fere omnes Collegii cenſent, iter per veſtras ditiones Germanis non permittetis, quam, iis admiſſis, Henricum armatum, amicum, ingentia, ſumma meditantem contempſeritis, atque injuria affeceritis.

1610

Cum dicendi finem Cornelius feciſſet, in ſequentem diem negotium dilatum: iterum variis diſceptationibus actum. Tandem

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 dem frequens Senatus Collegii Patrum ſententiam eſt amplexus; iis demptis verbis, quibus Germanorum reliquiis trajectum permiſſum iri ſignificabat. Cum Senatus conſultum de more perlectum Queva audiſſet, mirari, conqueri: *Ejuſmodi reſponſum non expectaſſe; nunquam itineribus per ſuos fines amicis copiis Rempublicam interdixiſſe; anno* M. DC. I. *eadem Fuentano conceſſiſſe; neminem fore, qui non adhæſiſſe Gallis Venetos arbitretur. An non iis copiis Mediolanum defendi, quod pro Reipublicæ ditionibus munimento ſit? Henricum in Italia bellum meditari, arma in hanc provinciam, quæ innumeris bonis diuturna pace partis affluit, inferre: Hiſpanos obſiſtere velle: quid Reipublicæ magis conducat, Patres expenderent; an iis qui ingens incendium alant, an iis qui reſtinguere nitantur, favere.* Ad ea Donatus Princeps a Senatus conſulto non diſcedens: *Philippo, quem ſumma obſervantia Senatus proſequeretur, injuriam minime fieri: alia, ut Queva ajebat, itinera non deeſſe, quibus in Inſubres deſcendatur: quo pacem tueri, omnibuſque officiis ad Reges conciliandos enixus uti poſſit, in neutram partem Rempublicam pendere velle.* Literæ inde ad Veronæ ac Salodii magiſtratus datæ: *Lintribus ac navigiis per Benacum tranſvehi milites ne ſinerent; ſi quæ in iis finibus militiæ cogerentur, ſtatim Senatui ſignificarent; a Gaudentio Madruccio, præfecto, peterent, ne per Venetas ditiones iter habere ſineret: cum aliæ in Inſubres ſemitæ non deeſſent, id ab amico viro ſibi haud dubie Senatum polliceri.* At Sciampignius, Patribus gratiis actis, Henrici perpetuum in Rempublicam ſtudium ac benevolentiam pluribus teſtari, Senatus prudentiam efferre, muſſitante atque ægre ferente Hiſpano, quod eo Senatus conſulto Veneti Gallis nimium faviſſe, ac penitus ad ſuas ſe contuliſſe partes viderentur.

Pontifex, & ſuopte ingenio, & Senatus conſiliis permotus, jam exortas tempeſtates, quæ innumeras chriſtianæ reipublicæ clades portendere videbantur, conſpicatus, multa animo agitabat, ut Reges conciliaret, atque adventantibus periculis auctoritate & officio obſiſteret. Neque deſperabat, fore ut Henrici animus ratione aliqua deliniri & mulceri poſſet; cum præſertim armis, quæ in Menapios movebantur, pacem inter Reges minime abruptum iri exiſtimaret,

Con-

Condæumque Mediolano Romam proficiſci ſuaderet; id ſi 1610
feciſſet, ejus opera atque auctoritate Regis imperium ſubire, gratiamque demereri poſſe ratus. Itaque duos extra ordinem Internuncios, alterum ad Henricum, alterum ad Philippum deſignavit. Rivarolam Nazarethanum Archiepiſcopum in Galliam; Theatinum Epiſcopum in Hiſpaniam legavit, ut quamprimum citatis itineribus digreſſi, omni ſtudio cunctiſque ingenii nervis pro pace publica contenderent. Erant ex purpuratis, qui legati nomine atque inſignibus decoratos ex Cardinalium numero mittendos cenſebant. At Paulus, ne, ſi pacis negotium confici non poſſet, quidquam de ſummi ordinis exiſtimatione detractum videretur, potius inferioris notæ Antiſtites eo munere fungi voluit. Idque cum Gallo atque Hiſpano legatis ſignificari juſſiſſet: Franciſcus Caſtrius, Philippi orator, reſpondit; mitti vel Internuncios, vel alios ad Hiſpaniarum Regem minime neceſſarium, quippe qui in pacem propenſiſſimus eſſet: iis potius legandos, qui turbare publicam tranquillitatem, atque chriſtianam rempublicam armis pervertere niterentur. Brevius vero, ad Henricum quempiam deſtinari ſupervacaneum, inquit, cum ei Regi nihil æque ac pax & publica quies cordi eſſet; modo hiſce conditionibus, neque ſecus retineretur, ut nempe Menapii fœderatis Principibus concederentur; Condæus in Galliam Regis mandata ſubiturus reverteretur; quæque eo bello expenſa fuerant, ſarcirentur. His ſane, quam a pace averſis Henrici animus eſſet, facile perſpiciebatur. Cognitis enim Hiſpanorum artibus, exploratis viribus, quæ neque virtute neque numero tunc præſtabant, ſuis conducere rationibus potius arbitrabatur, ſi hoc rerum ſtatu generoſo animo fortiterque bellum capeſſeret, quam intutam pacem ac dubiam firmaret, implicitumque potius armis regnum, quam fluctuans civilibus undis filiis relinqueret. Itaque, coacto exercitu, propediem in Menapios profecturus terebatur: a Leodigherio copiæ in Italiæ finibus atque in Gallia cogebantur. Carolus quoque in Allobrogum atque in Cisalpinis Italiæ ditionibus cuncta ad bellum comparabat; omnibus admiratione correptis, quod in ea rerum turbatione Hiſpani cunctando tempus tererent, neque quidquam,

Legati Pontificii ad Galliæ & Hiſpaniæ Reges.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 ut tot viribus obsisterent, tempori opportunum molirentur.

Mariæ Mediceæ Galliæ Reginæ inauguratio.

Jam Henricus cuncta ad bellum paraverat, diem dixerat, qua cum exercitu progressurus in Menapios arma ferret. Sed antequam proficisceretur, Mariam Mediceam, conjugem, diademate regnique insignibus decorare instituerat; in idque solemne concelebrandum Lutetiæ ex omnibus regni partibus magnus undique concursus fiebat; ac quidquid mirandum in Gallia erat, eo confluxerat: apparatu regio cuncta collucebant; nobilitatis flos, Regem in bello sequuturus, aderat. Itaque tertio idus maji Regina in divi Dionysii templo, solemni ritu, ingenti applausu inauguratur; xvi. kal. junii dies Regis profectioni statuitur: ipse ingenti animo, lætitia incredibili, brevis moræ impatiens, triumphum spirare videbatur. At in victoriæ limine misere interceptus, quam ignara fati sortisque futuræ humana mens sit, facile patefecit. Sequenti enim die, qui fuit pridie idus majas, cum tertia a meridie hora, rheda aulicis ac custodibus de more stipata, per divi Dionysii vicum transiret, forte in semitæ angustias incidit; quæ cum curribus aliquot frumento onustis magis arctaretur, illico custodes accurrunt, via deflectere jubent. Henricus vectorum incommodum conspicatus, inhiberi habenas, atque mollius aurigam succedere præcipit. Aliquantisper ob id immota rheda, nemine animadvertente, alio conversis omnium oculis, rotas quidam a tergo inscendit; Regem cum Espernonio Duce (eadem rheda una cum Mombasonio Duce, ac Vitrio, regiæ custodiæ præfecto, vehebantur) colloquentem, neque mali quidpiam suspicantem, pugione aggressus, duobus ictibus perculit: qui statim, *Vulneratus*, ait, *sum*; *sed animo est opus*. Moxque, cum e naribus atque ore effluere sanguinem animadverteret, *Perii*, verbo amplius non addito, subjecit. Obtectum, ne a populo cerneretur, in Luparæ regiam defertur: in scalarum adscensu efflasse animam increbuerat. At Pontificis Internuncius, ad Burghesium Cardinalem eadem die sub vesperam datis literis, significavit, in palatium delatum Henricum, non adeo sensuum auxilio destitutum fuisse, quin extremo vitæ actu multa pietatis ac pœnitentiæ signa ederet, atque intimo animi motu erratorum a Deo Optimo Maximo veniam peteret,

Henricus Rex pugione percussus obit.

ret, ac usu licet linguæ carentem, a Surdio Cardinale absolutum, noxis expiatum fuisse. Regios custodes ferunt, illico parricidam configere aggressos, inhibitos, hominemque vivum servare jussos. 1610

Ejus atrocissimi casus xi. kal. junias, dum Senatus cogeretur, Gregorii Barbadici, apud Carolum Sabaudum legati, literis est allatus: Antonii Foscareni, apud Henricum oratoris, paulo post confirmarunt. Dici non potest, quam ejusmodi nuntio Patres attoniti fuerint: stupore veluti defixi hærere, vix animo inexpectatæ & acerbissimæ necis eventum capere. Qui Henrici infaustum obitum dolerent, ad Sciampignium legatum a Senatu missi, Franciscus Molinus, superioris, Aloysius Fuscarenus medii ordinis, Equites ambo ac Sapientes. Hi ingentem Senatus dolorem testati, quæcumque a Republica ad Galliæ firmamentum ac dignitatem proficisci possent, detulerunt. Sciampignius, gratiis habitis, in lachrymas effusus, Patrum mœrorem conduplicavit. Datæ insuper eadem die a Senatu ad Ludovicum, Henrici filium, patri successurum, atque ad matrem Reginam literæ, quarum sententia erat: *Crudelis atque impii parricidii in Henricum perpetrati nuncio accepto, ingenti dolore percussum Senatum fuisse, quod Regem, omnium heroicarum virtutum exemplar, Galliæ columen, Reipublicæ amicissimum, indigna adeo cæde peremptum intellexerit, ut nulla ratione mœrorem lenire ac mitigare queat: dolere casum tanti Regis, magna atque egregia meditantis, immaturo fato sacrilega manu extincti: nullam certe parem huic jacturam Galliæ accidere potuisse: sed quanto hæc graviora atque atrociora sunt, tanto magis ab animi virtute ac prudentia petenda subsidia. Magno sane huic fortunæ telo aliquod solatium Senatui afferre quod ab Henrici filio, patris vera imagine, amplissimi regni gubernacula suscipienda sint, qui licet nondum firma ætate ac robore, matris tamen felicissimis auspiciis sperandum, ut, depulsa tetra hac, quæ publicæ felicitati offusa videbatur, caligine, brevi cuncta felicia iis ac prospera eventant: id & Senatum vehementer optare, & omnia ad amplissimi regni stabilitatem ac decus offerre.* Hæc summa literarum erat. Fuscareno oratori mandatum, ut literas oratione

Venetorum literæ ad Ludovicum Regem filium & ad matrem.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 exciperet, eodemque officii genere cum regiæ ſobolis Principibus aliiſque proceribus fungeretur, ipſoſque ad mutuam benevolentiam animorumque conjunctionem, a qua ejus regni ſtatus, incolumitas decuſque penderet, enixe adhortaretur.

Sciampignii oratoris de Henrici morte ad Venetos oratio.

Sciampignius interim legatus nonis junii Patrum collegium adit, gravi ac diſerta admodum oratione Henrici caſum deflet. *Ingenti adeo* (inquit) *dolore afflictus, & confectus ſum, Patres Optimi, ut non modo verba non ſuppetant, ſed vocem pene ipſam faucibus hærentem emittere nequeam. Attamen quoniam ita infauſta hæc atque infelicia tempora tulere, adumbratam magis quam expreſsam luctus doloriſque mei effigiem in veſtrum conſpectum proferam, eximium pictorem illum imitatus, qui ex Iphigeniæ letho immenſam mœſtitiam ob oculos ſubjicere conatus, cum pallentes vultus, exſangues genas, collachrymantes nonnullorum oculos repræſentaſſet, atque ad paterni doloris ſimulacrum ventum eſſet, neque artis ope patris dolorem aſsequi poſſet, velo Agamemnonis caput obvolvit, atque æſtimanda animo, quæ oculo objicere nequiverat, reliquit. O Principes* (ait) *cur ad horribilis proditionis ac parricidii vocem non expergiſcimini; quo pacto tot aſtus atque inſidias æquo animo pati poteſtis? voſque, o generoſa Gallorum gens, inultam inſignem adeo injuriam relinquetis? Minime id quidem; immo ea animi magnitudine, quæ veſtra eſt, de horrendo, atroci, inaudito ſcelere ac parricidio dignas pœnas ſumetis. Obiit Henricus quartus, quo non magis pacis artibus inclitus, quo non fortior, clementior jam multis ſæculis Princeps in Gallia fuit; Rex ſane in vita, in obitu, poſt obitum inſignis. Dum vixit, ob præclara atque heroica, pace & bello, ſummo totius chriſtianæ reipublicæ bono geſta: in obitu, jam enim Cæſar atque alii Germaniæ Principes, deſignatis legationibus, Menapiorum controverſias illius voluntati atque arbitrio permittebant; Albertus Archidux tranſitum illi cum exercitu per ſuos fines offerebat: poſt obitum denique, nullus enim unquam temporis decurſus memoriam tanti Regis delebit, nulla unquam ætas de illius laudibus ac præconiis conticeſcet. Amiſiſtis Patres Hen-*

Henricum vobis arctiſſimo benevolentiæ nexu conjunctum, ad veſtræ Reipublicæ commoda atque incrementa natum, ut jure ingentem hunc dolorem ore ipſo ac totius corporis habitu indicetis. Sed a Deo Optimo Maximo ſperandum eſt, non inultum tantum facinus relictum iri; quique Galliæ regnum Chriſtianiſſimum difficillimis temporibus ſervavit, hoc potiſſimum incolume conſervaturum, parvulique Regis initiis præſenti ope auxiliaturum. 1610

Leonardi Donati, Princ. ad Sciampignium reſponſum.

Tum Donatus Princeps lachrymabundus, *Sciampignium quidem in præcordiis impreſſo dolori aditum quoquo pacto laxaſſe; ſe præ lachrymis effari minime poſſe*, inquit. *Attamen id brevi dicturum: Senatum non modo, verum totius civitatis ordines ex immenſa hac jactura intimis ſenſibus eum dolorem excepiſſe, quo graviſſimis Reipublicæ caſibus majorem non accepiſsent: eum enim Regem acerbo fato ereptum fuiſſe, quo neque ea ipſa, neque ſuperioribus ætatibus gloria cumulatior alter unquam exſtitiſset: quippe qui forti atque invicta dextera hoſtes perdomuiſset; regnum nobiliſſimum adeptus fuiſset; bello invictus, pace incomparabilis prudenter rexiſset; optimis legibus muniiſset; ad chriſtianæ reipublicæ decus atque incrementa multa eaque egregia egiſset; majora, ni præpropera mors conſilia prævertiſſet, editurus: quæ ſane omnia, cum eximia clementia, quæ Dei Optimi Maximi præcipua virtus eſt, cumulaſſet, cunctos in ſummam ſui admirationem rapiebat. Quis igitur acerbum hunc caſum non doleat, quis erumpentes lachrymas cohibeat? Sed quoniam Deo Optimo Maximo, cujus cuncta nutu adminiſtrantur, ita viſum ſit, minime dubitandum, ut qui ſemper nobiliſſimum Chriſtianiſſimumque regnum tutatus fuerit, eidem quoque hoc tempore præſto futurus non ſit; Regemque filium, magni patris veram genuinamque effigiem, protecturus: in ea ſane turbatione haud exiguum inde ſolatium Senatum capere, quod cunctos in regni incolumitatem, in novi Regis amplitudinem conſpirare intelligat: eadem mente atque affectu in filium, qua in patrem ſemper exſtiterit, Rempublicam futuram.*

Ceterum Regina Henrici conjux, licet inexpectato caſu perculſa atque fere exanimis, nihil muliebriter agens, ingentem dolo-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 dolorem publicæ ſalutis ſtudio compreſſit, ſexuſque imbecillitatem animi robore ac virtute ſuperavit. Per omnes regni partes de mariti obitu nuntios miſit, provinciarum urbiumque præſides ad munera cuſtodiaſque diligentius obeundas excitavit; ne quis Lutetiæ tumultus ſuboriretur, per urbis vicos militibus diſpoſitis portiſque occluſis, curavit. Inſequenti vero ab obitu die coacto concilio (quod *Parlamentum* Galli vocant) Reginæ matri ob filium impuberem regni adminiſtratio ac tutela concredita eſt. Ludovicus XIII. ſummis cunctorum acclamationibus Galliæ Rex ſalutatus; incredibili applauſu in regia ſede (quam *Lectum juſtitiæ* appellant) locato, fidelitatis ſacramentum a cunctis exhibitum. Principes regiæ ſobolis, atque alii proceres, in Galliæ bonum conſpiraturos, Henrici mortem ulturos, jurejurando interpoſito, paciſcuntur. Henricus Rex defunctus egregia honoris præfatione a concilio Magni titulo decoratus eſt. His a Fuſcareno legato per literas cognitis, ut bini oratores ad Ludovicum XIII. deſignarentur, qui & patris mortem dolerent, & illius in ampliſſimo regno ſucceſſionem gratularentur, Senatus decrevit. Lecti ſunt Andreas Guſſonius, Auguſtinus Nanius, ambo equeſtris ordinis.

Regina Ludovici mater Gallici regni gubernacula ſuſcipit.

Ludovicus xiij. Galliæ Rex ſalutatur.

Henricus Rex magni titulo decoratus.

Andreas Guſſonius, Auguſtinus Nanius, ad Ludovicum Regem oratores.

Quæſtio vero ſumma diligentia de Regis parricida Lutetiæ habebatur; neque an ſponte vel miſſus tantum facinus patraſſet, cognoſci poterat. Erat parricida ex Angoliſmæ oppido, Franciſcus nomine, qui doctoris inſignibus, ut ajunt, Lutetiæ decoratus, ſeptem antea annis Gallia digreſſus, Bruxellas migraverat, ibique uxorem ſumpſerat. Is quæſtioni ſubjectus, atque acerrimis tormentis laniatus, quiſnam parricidii auctor, an ab aliquo ad illud patrandum miſſus, ut fateretur nunquam adigi potuit, vel quod revera nullius impulſu, ſponte ſua tantum facinus aggreſſus eſſet, vel quod extrema quæque ſubire potius, quam conſciorum nomina edere obſtinato animo ſtatuiſſet. A Pariſienſi Senatu, ejuſmodi ſententia edita, damnatus eſt: cereo ardenti parricidæ manus, qua facinus perpetrarat, incenderetur: forcipibus candentibus, plumbo liquefacto in plagas infuſo, dilaniaretur: vivus in partes quatuor, equis in diverſa nitentibus, diſtraheretur: reliquiæ flammis traderentur. Ante beatæ Mariæ virginis auguſti templi fores deflexo genu

Pariſienſis Senatus ſententia de Henrici Regis interfectore.

genu conſtituto, delictum fatenti, auctores vero neganti, ea conditione ab Antiſtite data venia eſt, ut, ſi quos delicti vel auctores vel conſcios ſciret, eoſque non pronunciaret, ſine peccatorum expiatione ex hac vita migraret. Manus in favillas redacta: reliqua ex Pariſienſis Senatus decreto præter corporis incendium peracta: populus in rabiem verſus, atque in noxium frendens, quo minus ejus reliquias per vias & compita urbis raptaret, cohiberi non potuit. 1610

Hic Henrici IIII. Galliarum ac Navarræ Regis, exitus fuit; viri ſane virtute, fortitudine, prudentia, clementia incomparabilis; cujus vitæ curſus per varios humanarum rerum caſus traductus, illum bello invictum, paceque florentem reddidit: ſiquidem laborum, vigiliæ, frigoris, æſtuſque patiens, fortiſſimi militis ſæpius partes egit: ingenio, conſtantia, rei militaris ſcientia excellens, præſtantiſſimi imperatoris munera obivit: nemo illo exactius ac ſolertius caſtris locum capere, commeatus expedire, nemo prudentius prælii tempus eligere, inſtruere aciem, ſubſidiis firmare, ab inſidiis præcavere: ut mirum non ſit, ſi toties vel munitiſſima oppida urbeſque expugnarit, vel in acie vicerit, pacatoque demum civilibus diſſidiis Galliæ regno, priſtinum ſplendorem decuſque reſtituerit, artibus belli ac pacis florentiſſimum reddiderit; magis magiſque procul dubio auctурus, ni immaturo atque crudeli fato ſublatus fuiſſet. Eo enim tempore ex humanis exceſſit, quo ingentium rerum orſus moliebatur. Jam enim exercitum comparaverat, fœderatos ſibi potentiſſimos adjunxerat, ut rapidi torrentis inſtar nullos obices habiturus videretur. Trepidabant Menapii, nutabat Belgium, Italia belli eventus circumſpectabat; neque Hiſpanis adhuc tantum roboris ac virium erat, ut obſiſtere ingruenti poſſent. Eam quandoquidem tempeſtatem nactus Henricus erat, qua Europæ Principes fere omnes a militari gloria alieni, per duces bella adminiſtrabant: nemo in aciem prodiret, nemo imperatoris munere fungi, nemo ad martiale decus anhelare. Quinimmo a pleriſque exiſtimabatur, Henricum, Menapiis ſubjectis, Allobrogum copiis fultum, ſi in Italiam deſcenderet, haud difficulter in ſuam poteſtatem redigere, atque hujus provinciæ ſtatum immutare poſſe: cum præſertim non deeſſent, qui

Henrici Regis elogium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 qui Hiſpanorum dominatum peroſi, rerum novarum cupidi, arridenti fortunæ applauſuri viderentur. Sed tot tantaque illius molimina inopinus obitus accerſit : inde immutata rerum facies, perplexa Principum conſilia, dubia ſpe ac metu cuncta immiſta ſunt.

Gallorum conſilia poſt Henrici obitum.

Quonam Henrici apparatus erumperent, quæve Galli meditarentur, incertum erat. Ne tot invicti Regis conatus intercideren, curandum Gallorum nonnulli cenſebant : immenſam auri vim effuſam, copias & numero & robore inſignes comparatas, quæ & amicis ſubſidio forent, ac terrorem hoſtibus incuterent : cur cunctandum, cur præclaras rei feliciter gerendæ occaſiones prætermittendas ? Alii contra, regni tranquillitati ac ſtabilitati incumbendum eſſe ; graves & immodicas impenſas moderandas ; tot copias tantum alendas, quot publicæ ſecuritati retinendæ, & ad omnes motus, ſi qui forte exorirentur, comprimendos ſufficerent : propriiſque quam alienis rebus potius conſulendum. Extremæ ſententiæ acriter oppugnabatur : periculi plenum eſſe, hoc rerum ſtatu Gallias omnibus viribus exuere : qui tantam rerum molem conſilio, fortitudine ſuſtentaret, Henrico mortuo, inveniri alterum haud facile poſſe : quadringentorum aureorum millium ſummam in exercitu alendo ſingulis menſibus impendi ; brevi omnes regias gazas imminutum iri, ni aliqua immenſo ſumptui moderatio adhibeatur. Contra vero indignum Galliarum gente videri, hoc novi regni initio amicis deeſſe, fidem oppigneratam peſſimo exemplo fallere : quocirca mediam iniri viam oportere, qua & fœderatis Principibus, & regni incolumitati uno eodemque tempore proſpiceretur : Principes, ad quos Clivenſis ducatus ſpectabat, minime deſerendos, amicitiam fœduſque cum Sabaudo confirmandum ; peditum decemmillia, equites mille Principibus ſubſidio mittenda ; quod reliquum copiarum eſſet, id partim dimittendum, partim in arcibus oppidiſque retinendum. Quæ ſane apud Gallos vicit ſententia. Verum Carolus Allobrogum Dux incredibli ex Henrici caſu mœrore afficiebatur, cum præciſas ſpes cerneret, quibus ingens illius animus, vel ad proferendos ſuarum ditionum fines, vel ad gloriam rapiebatur. Itaque animo fluctuare, in diverſas partes agi, infenſos Hiſpanos

Caroli Sabaudiæ Ducis ob Henrici Regis obitum conſilia.

nos vereri, arma, quæ in Inſubribus cogebantur, ſuſpecta habere, quonam Gallorum conſilia tenderent ſolicitari, hinc Fuentano inde Laodigherio armatis ſeptus. In hac rerum ambiguitate quantas maximas poteſt copias cogit, Gallorumque amicitiam potius amplexurus videbatur, atque eo facilius, ſi conſiliorum ſocios alios Principes nactus eſſet. Condæus vero, Henrici morte audita, ſtatim Mediolano diſcedens, per Belgium in Galliam proficiſcitur ; promiſſiſque Reginæ illectum, nihil novaturum plerique affirmabant : dum contra alii vererentur, ne odio in Henricum actus, novos in Gallia motus cieret. Veneti vero, ne Italica quies perturbaretur, ſoliciti, conjunctis cum Pontifice conſiliis, ſummo ſtudio nitebantur. Pontifex Internuncios jam electos iter maturare jubet. Rivarolæ in Galliam proficiſcenti Henrici obitum dolere, novi Regis ſucceſſionem gratulari, quæcumque ad regni concordiam ac ſtabilitatem proficiſci poſſint, deferre præcipit.

1610

Condæus Princeps in Galliam redit.

Dum hæc geruntur, citatis nuntiis Mediolanum rumor affertur, Gallorum copias in Delfinatu atque Allobrogum finibus augeri, Sabaudum maximum numerum militum cogere, jamque Eſiliam Gallos perveniſſe. Itaque intempeſta nocte a Fuentano, graviſſimo morbo adhuc implicito, concilium advocatur : ut ſtatim, quæ in Inſubribus copiæ ſint, cogantur, decernitur ; quadraginta aureorum millia Italorum peditum ducibus perſolvuntur ; externi milites evocantur ; brevique ad triginta peditum, quatuor equitum millia in Inſubribus fore Fuentanus jactabat ; quæ licet ad Mediolani ditiones tuendas comparari divulgaret, ea tamen in Sabaudum deſtinari plerique arbitrabantur : multaque in illum ab Hiſpanis probra jaciebantur : Jam illius conſilia patere, quo animo in Philippum ſororium ſit, conſtare : indignum tanto Rege eſſe, ſi inultas injurias patiatur, nihil de Sabaudo, quem innumeris beneficiis affecerat, debitas pœnas ſumat. Nequeerant, qui ſtatim in Subalpinos invadendum inclamarent : dum alii contra non ira, ſed prudentia experiundum ſuaderent, potiuſque cum Carolo leniter, quam acerbe agendum exiſtimarent, Hiſpanorum genio ad patientiam ducto, haud difficulter generoſum Principem in ſuas partes attrahi poſſe.

Hiſpanorum bellici apparatus, & in Allobrogem Ducem minæ.

Ca-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 Carolus quoque mira diſſimulatione uſus, Joannem Vivem, Philippi legatum, adcerſit; de iis quæ in illum ab Hiſpanis jactabantur, atque in vulgus diſpergebantur, conqueritur: ſe Hiſpaniarum Regi non minus obſervantia quam affinitate conjunctum, ab illius nutu pendere, nec unquam ab ejuſdem voluntate conſiliiſque diſcedere ſtatuiſſe, conſtanter affirmat. Vives de eo Philippo conciliando cum Vercellarum Antiſtite agit. At eodem tempore Novariam majori præſidio Fuentanus firmat; a Laude Pompeja eo tormenta bellica tranſmitti curat; copias omnes in finitimas Subalpinorum ditiones duci jubet: idque eo commodius ac tutius efficere ſibi poſſe videbatur, quod Veneti pacem cum Regibus æque colentes, extra ordinem copiarum delectum haberi ſupervacaneum duxerant. Ac jam Germani milites, alpes tranſgreſſi, in Inſubres turmatim deſcendebant. Helvetii quoque (licet per dies, aliquot, de religione inter Tigurinos ac Claronenſes obortis diſſidiis, quæ mox ad Badenſem conventum rejecta fuerant, impediti) ſe ad iter in Italiam comparabant: brevique triginta peditum, ſupra duo equitum millia in armis fore vulgabatur.

His anxius valde atque anceps Caroli animus erat, cum in Gallia cuncta ad pacem verſa intelligeret, neque ſibi quidquam certi auxilii a Regina polliceretur: Hiſpanis penitus diffideret, eorum artes, amicitiæ velo obductas, perhorreſceret, de parum in ſe propenſo illorum animo in dies certior factus: ſe maledictis proſcindi: quæ molitus fuerat, tegi non poſſe: Coerceri Ducem atque in ordinem redigi oportere; Haſtæ ac Vercellis regia præſidia imponere; nullam ei fidem poſthac habendam. Verumtamen unum illud, ne Hiſpani in Sabaudum quidpiam molirentur, obſtabat, quod Fuentanus gravi morbo afflictus, lectulo decumbens, non ſatis expedire conſilia, neque negotia maturare, neque fervido ingenio operi inſtare poterat; cunctaque lentius, ac ille exoptaverat, procederent, dum ex Hiſpania Regis mandata præſtolaretur. Inter haſce anguſtias Caroli animus cum vehementer angeretur, quo loco ſuæ res eſſent, per Mantæ Abbatem, ordinarium apud Rempublicam legatum, Senatui ſignificat, quibus undique periculis circumſeptus ſit, quan-

Allobrogium Venetis officium.

quantopere hæc ad Rempublicam pertineant, exponit. *Nemini dubium eſſe, ſi adverſum aliquid ei accidat, inde labem clademque ad Venetos pervaſuram: jam eo excreviſſe Hiſpanorum in Italia potentiam, ut cunctis Principibus pertimeſcenda, ni obſiſtatur, & formidoloſa futura ſit: fato illum Regem conceſſiſſe, qui unus moderari faſtum, ac nimiam Hiſpanorum dominandi libidinem obtundere poterat: ni Reſpublica in Italicam libertatem ac dignitatem, quæ viribus & auctoritate plurimum pollet, acrius intendat, quod rebus prope perditis perfugium fore? Hæc animo Carolum aſſidue meditantem, nil ad ſecuritatem opportunius, nil ad dignitatem præſtantius, nil ad Hiſpanorum conatus debilitandos aptius exiſtimare, quam ſi in mutuum ad res ſuas tutandas fœdus Senatus Venetus Allobroxque deveniant: quod ſane quis reprehendat, niſi qui amicitias ſocietateſque Principum, quibus eorum conſilia & conatus averti poſſunt, perhorreſcunt? quid enim ad imperii tutelam juſtius, quid tutius fœdere icto? alia quoque, prout occaſio feret, majora parari atque effici poſſe: ſe interim omni ſtudio copias augere, decem peditum millia, equites mille in promptu habere: Helvetiorum ad tria millia præſtolari; Laodigherium cum totidem peditum, duorum equitum millium numero in Delfinatu eſſe; ſi ab Hiſpano invaderetur, ſuppetias ſtatim laturum: quod ad ſe ſpectaret, neque ſuo, neque Italico decori defuturum: ceterum ad immenſum adeo pondus ſuſtinendum neque nervos neque opes ſuppetere: proinde, ni Reſpublica in partem accedat, ni fœdus amplexetur, affirmare, obteſtari, neceſſitate adactum ſuis rebus conſulturum.* His latus a Manta oratore expoſitis, hunc in modum a Senatu reſpon- *Senatus reſponſum.*
ſum: *Caroli moleſtiis pro veteri Reipublicæ cum Allobrogum Ducibus neceſſitudine, atque in ſe benevolentia, ſummo Senatum dolore affici: attamen certa ſpe ducis virtute, prudentia, iis quæ comparabat copiis, facile ſuum imperium ab omni impetu incolume ſervaturum: cum preſertim arma in Italiam ciere, Hiſpanorum e re non ſit: Gallo itaque adhæreat, neque ſua ab eo conſilia aut vires ſejungat: quidquid a Republica ad illius tuitionem ac dignitatem proficiſci poterit, benixe facturam: verum hoc tempore de fœdere ineundo agi, ne-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 *neque ſibi neque Reipublicæ conducere arbitrari; verendum enim eſſe, ne, inde in Hiſpanorum animis ſuſpicione oborta, difficilior ad tranquillitatem pacemque retinendam via inveniatur.*

Veneti militum delectum decernunt.

Illico vero, ut bina peditum exterorum millia conſcriberentur, atque in limitaneas urbes oppidaque mitterentur, decernitur. Cum Pontifice per Joannem Mocenicum actum: ſumma, qua pollet auctoritate, hos armorum motus comprimi ſtudeat, ne in Italia ingens incendium totius chriſtianæ reipublicæ catholicæque religionis damno exoriatur; in qua ſane una cum pace tuenda ſemper omnibus officiis ac viribus cum Pontifice Senatum conſenſurum. Hæc grata ſibi admodum exſtitiſſe, ampliſſimis verbis Paulus ſignificavit, utpote quæ a Senatu ſumma prudentia prædito proficiſcerentur, cujus conſilia magni facere, ab iiſque minime receſſurum affirmabat, cuncta brevi, tranquilla ac pacata fore optima ſpe nixus. Statimque Coſtæ, in Allobrogibus legato, mandavit, cum Carolo ac Fuentano agens, utrimque, ut copiæ dimitterentur, cunctos ingenii nervos intenderet. At in tanta animorum acerbitate ac diffidentia, in tanta conſiliorum perplexitate, haud facile erat quidquam in commune bonum obtinere; cum Carolus primum ab Hiſpanis, qui potentiores eſſent, dimitti milites æquum eſſe affirmaret: ſi prior ipſe miſſionem faceret, inermem Hiſpanorum injuriis, quorum in ſe voluntatem expertus fuiſſet, expoſitum iri. Contra vero Hiſpani, ab eo qui inferior ſit, qui aggredi Inſubres voluerat, initium armorum deponendi faciendum eſſe, ajebant. Coſta, ut Fuentanum flecteret, ſuum a ſecretis Mediolanum mittit, qui ipſum animam fere agentem offendit, idcirco copiam alloquendi non habuit. At paulo poſt, cum aliquantiſper levari videretur, introductus, reſponſum a Fuentano accepit, gratificari ſe quidem Pontifici cupere; verum ex Hiſpania Regis ſententiam expectandam, neque antea quidquam certi ſtatui poſſe. Itaque infecto negotio Auguſtam Taurinorum regreditur. Ea re cognita, Pontifex Internuncio mandat: ſtatim Mediolanum ſe conferat, omniaque cum Fuentano experiatur, ut armorum motus comprimantur. Sed dum ad iter ſe comparat, invaleſcente morbo, reluctante licet ſeni-

Pauli Pontificis mandata ad Coſtam legatum, ut Allobrogi & Fuentano militum miſſionem ſuadeat.

ſenilis corporis robore, Fuentanus, qui tunc annum ætatis ſextum ſupra octogeſimum agebat, exceſſit: Vir ſane acer ingenio, ſcientia militari clarus, quamvis nonnulli timiditatis notis (quam fortaſſe aliquis prudentiam vocaverit) infectam dixerint. Diligentia, vel potius calliditate, compluribus adjectis oppidis, Regis in Inſubribus fines haud parum protulit, licet ob id Hiſpanorum nomen magis inviſum Italis reddiderit: inde effectum eſt, ut ejus obitus lætitiam cunctis attulerit. Conſtans enim opinio erat, priſtinam valetudinem adeptum, ſi vitam longius produxiſſet, Italiam bello implicaturum; in id enim & alias incubuerat, &, ut plerique affirmbant, non tam gloriæ opinione, quam opum augendarum deſiderio (arctæ enim res illi erant) concupiverat. 1610 *Fuentani Comitis obitus.*

Fuentani morte belli conſilia & conatus frigere, ardor animorum reſtringui cœpit. Licet enim jam ſex Germanorum peditum, Gaudentio Madruccio duce, ac quinque Helvetiorum millia in Inſubres deſcendiſſent; Hiſpani quoque ac Ciſalpinæ Galliæ milites in promptu eſſent, qui triginta trium millium peditum ſummam æquabant: ad hæc levioris armaturæ equites & cataphracti, qui in Inſubribus a Rege aluntur, accederent: tamen cuncta Fuentani interitu ſuſpenſa erant, atque ex Hiſpania decreta expectabantur. Interea vero inter Didacum Pimentellum, comitis Fuentani nepotem, arcis præfectum, ac præconſultores controverſiæ exaſperant, Pimentello cunctorum adminiſtrationem ad ſe attrahere nitente, illis contra, Mediolani gubernatore extincto, jure ad ſe regimen ſpectare affirmantibus. Diſſidiaque in grave aliquod malum eruptura videbantur, ni ea ratione compoſita fuiſſent, ut Pimentellus principis conſiliis titulo arma regeret, penes præconſultores deliberandi jus eſſet, donec ex Hiſpania literæ perferrentur. Inter incertam pacem, dubia conſilia, ingentes ſuſpiciones cuncta vertabantur, atque hic rerum Italicarum ſtatus erat. Ex his vero armorum motibus prolapſa militum licentia ad libidinem attactu veluti quodam, finitimorum Principum ditiones fœdaverat: complura in Venetorum ditione facinora patrabantur: exules inſolentiores facti graſſabantur: quotidie vel ad Senatum vel

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 ad Decemviros ſubditorum querelæ deferebantur. Quo creſcentibus malis Patres proſpicerent, Senatus conſulto, ut bini cum ſumma auctoritate legati ac quæſitores legerentur, decrevere, quorum alter ultra, alter citra amnem Mincium (eo etenim imperium Venetum diſcriminatur) ſummatim jus diceret, debiliores a potentiorum dolis atque inſidiis tueretur, ſceleſtis ac facinoroſis hominibus Venetum imperium perpurgaret. Creati ſunt, ultra Mincium Leonardus Mocenicus, qui paulo ante Brixienſem præturam adminiſtraverat; citra vero Philippus Paſchalicus, qui ſuperiori anno tumultus in Carnis exorientes ſedaverat. Ex eorum virtute atque induſtria haud parum & populis utilitatis & Reipublicæ decoris acceſſit; cum ſeditioſi plerique e regionibus Venetis faceſſerent; facinoroſi carceris, triremium, capitis, exilii, bonorum publicationis pœnis plecterentur, ex quibus tranquillitas ac ſecuritas cunctis eſt reſtituta.

Leonardus Mocenicus, Philippus Paſchalicus, quæſitores in continente.

Feliciter eo anno adverſus piratas a Venetis pugnatum. Cum enim quinque Numidicæ triremes noſtrorum navigia quædam haud longe a Corcyra intercepiſſent, Auguſtinus Canalius, claſſis legatus, conſilio cum Hadriatici ſinus præfecto, Franciſco Molino communicato, triremibus in duas acies deductis, propinqua maria perluſtrare ſtatuunt, ſi forte piraticas offendant. At Canalius, cum per aliquot dies indefeſſo labore excurriſſet, tempeſtate oborta, dum ſeſe in divi Baſilii portum recipere meditatur, ecce Numidicæ triremes ſex a longe in alto inſpiciuntur. Illas extemplo inſequitur; Numidicæ omnes fugam capeſſunt, poſtremam Venetæ tormentis afflictam prævertunt. Id legatus conſpicatus, trierarchis ut illam relinquant, ſeque adverſus reliquas vadentem ſequantur, ſignificari jubet. Lucas Piſaurus, ardore pugnæ incitatus, adoritur, prædones Piſauri triremem ſcandunt, obſtinate pugnant; Mutatius ac Quirinus, trierarchi, ſubſidio periclitanti adſunt: ita ut legatus, una tantum Hieronymi Prioli, Franciſci filii, triremi comitatus, quinque fugientibus incitato remigio inſiſteret. Sed cum aliæ tres ſupervenirent, prædones aſſequuti, impetu facto, noſtri aggrediuntur. Erant in ſingulis Numidarum triremibus, præter remiges, milites ſupra centum & quadraginta. Ingens certamen cooritur; ſed noſtri, numero licet impares, Numidicas vel proterunt,

Auguſtini Canalus, claſſis legatus, cū Numidicis triremibus pugnat.

terunt, vel disjiciunt, vel deprimunt, prædones interficiunt. Ex 1610
noſtris pauci deſiderati, plures vulnerati; licet in eo ſupremo conatu, extrema deſperatione adacti Numidæ, acerrime pugnaſſent. Dragutes archipirata, Peloponneſiacus, qui Corone pulſus, Biſertæ ſe prædonibus adjunxerat, eſt interfectus. In eo conflictu Canalio legato plumbea glande gena percuſſa, aliquot evulſi dentes. Dum hæc agerentur, Franciſcus Maurocenus, quinqueremium præfectus, Syriæ litora legit, maria Cypro propinqua percurrit. Paphum delatus, inde ad Salinarum portum pervenit, a Mehemete Emire ſummo cum honore exceptus, lautiis donatus, venatum invitatur. In eo itinere noſtrorum naves ex Cypro atque Syria Venetias proficiſcentes a prædonibus tutas reddidit. Antonius quoque Civranus, triremium, quæ damnatorum vocantur, præfectus, egregiam operam adverſus piratas præſtitit. Cum enim Galiana navis Byzantio digreſſa in Meli portu conſtitiſſet; ac, inter nautas contentione oborta, epibatarum major pars exſcendiſſet; prædones fauces ingreſſi, illam nullo reſiſtente cepere. A Meli præfecto navigii gubernator nautæque aliquot in vincula conjecti ſunt. Ea de re certior Civranus factus, veſtigia prædonum inſequutus, binas piraticas una cum intercepto navigio offendit: acerrime dimicans, prædonibus male mulctatis, navem extorquet; a Meli præfecto gubernator ac nautæ dimittuntur. Imparem exitum Turcæ habuere. Nam cum Baſſa, claſſis turcicæ præfectus, ut naves, quæ Alexandria cum regia gaza ac bellico apparatu Byzantium tendebant, a piratarum injuriis immunes redderet, cum claſſis robore in Syriæ maria ſe contuliſſet atque ad Limiſſum conſtitiſſet; quinque navigia, quæ Britones vocantur, proſpiciens, ſex ac quadraginta triremibus maonque ſtipatus in altum progreditur. Impavidi piratæ impetum excepere. Acriter dimicatur; tandem ingenti cum damno Turcæ repelluntur, duobus e ſuis ante baſſæ oculos globorum ejaculatione interfectis; qui victus Paphum ſe recepit, inde Rhodum proficiſcitur. Audaciores inde piratæ effecti, navigia Alexandria Byzantium tendentia intercipiunt; in iiſque Reginæ galeonum, pretioſis onuſtum mercimoniis, non ſine potentiſſimæ gentis dedecore, quæ omnem ma-

Dragutes archipirata a Canalio interfectus.

Franciſcus Maurocenus cū majoribus triremibus Syriæ & Cypri maria percurrit.

Antonius Civranus, damnatorū triremium præfectus, Galianam navem e prædonum manibus extorquet.

Turcica claſſis a piratis male habita.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1610 ritimarum rerum laudem prorsus amisisse videbatur.

Achomates Amurathem Visirum cō. tra Persas mittit.

Eodem tempore cum Sopho Persarum Rege Achomates decertabat, Amurathe Visiro cum exercitu in Persidem misso, quem discedentem egregia veste, gemmato acinace donaverat, pinulam suis manibus illius capiti imposuerat; Halim nepotem, Græciæ præfectum (*Beglerbegum* Turcæ vocant) creaverat; duobus tantum domesticis, ne agnosceretur, comitatus, Bassæ prætorianorumque præfecti tentoria ingressus, copias, quæ jam in procinctu erant, diligenter contemplatus fuerat. Ceterum Henrici obitu, quo Menapiorum res evasuræ essent, haud facile conjectari poterat, cum omnia in Gallia ad pacem consilia converterentur, neque minus Albertus ejusdem tuendæ studio flagraret. In Leopoldo non satis virium, cum a sociis, qui Mogunciæ Bajoariæ Ducis auspiciis fœdus inierant, ut sibi viginti aureorum millia Augustæ Vindelicorum curarent, impetrare non potuisset. Neque Principes, quos Protestantes vocant, qui Halæ Suevorum fœdus ad Germanicam (ut ipsi ajebant) libertatem tuendam, fœderatosque Brandeburgensem ac Neoburgensem defendendos percusserant, quidquam moliebantur. De ejus fœderis rationibus Federicus Palatinus, Rheni Comes, ac Brandeburgensis, Septemviri, Senatum per Baptistam Lentium certiorem fecere; qui eorum nomine, ne per Venetas ditiones iter externis copiis, neve armorum exportatio permitteretur, petiit; consilia quin etiam Patrum exquisivit. Principibus a Senatu gratiæ actæ, postulatis responsum: adeo patentes aditus ac latas ditiones Reipublicæ esse, ut difficulter itinera impediri possint: arma exportandi, quibus hac tempestate imprimis opus sit, facultatem fieri nemini: ea demum prudentia rerumque usu Principes pollere, ut aliorum consiliis minime egeant: quacumque vero in re possit, semper illis Senatum gratificaturum.

Palatinus & Brandeburgensis Venetis fœdus initum significant.

M. DC. XI.

1611 PHilippus quoque cum a pacis consiliis minime abhorreret, Comiti Fuentano defuncto Suessanum, Castellæ, ut ajunt, *conestablium*, in Insubrum administratione

tione successorem dedit, statimque in Italiam proficisci, ac dimittere copias jussit. Qui anni superioris exitu cum in Insubres perveniisset, mandata perficere aggressus, Regis literas per Alphonsum Quevam, legatum, ad Patres dedit, quibus literis Philippus Senatui significabat: *Publicæ pacis tranquillitatisque studiosum se semper exstitisse; illam cum æque & Pontifici Maximo & Reipublicæ cordi esse intelligeret, eorum adhortationibus permotum, Suessanum Conestablium in Italiam misisse, qui, exercitu dimisso, omni suspicionum nube remota, cuncta pristinæ securitati ac quieti restitueret: eidemque præcepisse, ut in Rempublicam omnia benevolentiæ signa exhiberet; atque, ut inter finitimos populos mutua benevolentia coalesceret, curaret.* Literas Queva disertis verbis subsequutus, Philippi in Rempublicam propensam voluntatem ac studium patefecit, deque Africana victoria, qua nuper Hispani Arachiæ portum extra Gaditanum fretum occupaverant, & inde ad majores in iis oris profectus faciendos sibi gradum struxerant, certiores Regis nomine Patres fecit. Philippo, quod, belli suspicionibus discussis, per tot annos altam in Italia pacem sartam tectamque servari jussisset, quod Suessanum Conestablium, nuper in Insubres missum, veterem amicitiam cum Republica retinere, atque officiis quibuscumque fovere præcepisset, per literas Senatus gratias egit; Africanamque victoriam & Arachiæ portus adeptionem est gratulatus: quibus postea literis Rex humanissime respondit. Suessanus copias dimittere cœpit: per Alphonsum Quevam Germanis militibus per Reipublicæ ditiones iter petiit. Id ultro a Senatu concessum, qui partim per Bergomates ac Brixienses, partim per Benacum lacum domum rediere. Helvetii mox dimissi. Sabaudum vero, qui ægre admodum, ut sese copiis nudaret, adduci poterat, Regina mater Varena ad eum missso, ut tandem, consiliis belli sepositis, in publicam pacem ac tranquillitatem conspiraret, adduxit, sensimque amotis armis, quæ gravissima Italiæ mala portendere videbantur, pax affulsit: licet nonnihil communem lætitiam ea quæ in Genuensibus Apennini jugis acciderant, interturbarint: cum repente Barbuus præfectus cum peditibus sexcentis, atque

1611 *Castellæ Conestablis Fuentano comiti suffectus Hispanorum copias dimittit.*

Philippi Regis ad Venetos literæ.

Arachiæ portus ab Hispanis occupatus.

Venetis transitum per suas ditiones Germanis permittunt.

Sabaudiæ Dux Gallorum suas copias dimittit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1611 equitum manu Alexandria movens, Saſſellum oppidum occupaſſet. Ea re non modo Genuenſes, quod in ſuis ditionibus caſtellum eſſe dicerent, finitimoſque præpotentes perhorreſcerent, ſed alii quoque Principes, qui aſtus arteſque gentis noverant, vehementer commoti ſunt. Hiſpani, ut factum lenirent, non ad amplificandam Regis potentiam, quæ perampla in Italia eſſet, ac pene regnorum mole fatiſceret, ſed ut pacem publicam tuerentur, atque Caroli Allobrogis Ducis conatus præverterent, ea feciſse ajebant. Hæc atque ejuſmodi Alphonſus Queva, Ducis nomine ſuppreſſo, in Collegio Patrum facto prætexuit, nihilque ea in re, niſi quod juſtitiæ atque æquitati conſentaneum eſſet, regem decreturum affirmavit. At Genuenſes legatos ad Philippum in Hiſpaniam conqueſtum miſere, reſque Madriti agitari cœpta. Menapiorum quoque controverſias, potius conſilio quam vi dirimendas ſperabatur, Principum cunctorum a bello averſis animis. Gravia inſuper, quæ inter Rudolphum Imperatorem ac Matthiam fratrem nuper exarſerant diſſidia, quod Cæſar Sileſiam ac Moraviam ab eo repeteret, compoſita; Matthiaſque Hungariæ ac Bohemiæ regni inſignibus eſt inauguratus: qui binis literis, & ſuſcepta diademata, & Rudolpho fratri ſe reconciliatum, Senatui ſignificavit: paribus officiis gratiarum ac gratulationis amico Regi reſponſum. Sub id quoque tempus Margarita, Ferdinandi Archiducis Auſtriæ ſoror, Philippi Hiſpaniarum Regis conjux, exceſſit e vita. Optimæ ac religioſiſſimæ Reginæ obitum per literas, perque legatum Petrum Priolum Senatus Philippo doluit; qui itidem & literis & verbis per oratorem Patribus gratias egit.

Saſſellum ab Hiſpanis occupatum.

Matthias Auſtrius Bohemiæ & Hungariæ regnorum inſignia ſuſcipit.

Margaritæ, Hiſpaniæ Reginæ, obitus.

Philippo Paſchalico, qui ob ingentes curas ac labores in legatione citra Mincium obeunda in gravem morbum inciderat, reditus a Senatu in patriam conceſſus; Octavianus Bonus ſucceſſor lectus, qui in Carnis atque in Hiſtris id munus exſequeretur. Rurſuſque cum Pontifice veteres ob Cenetenſes controverſiæ repullulaſcere cœpere. Nam cum Bonus Cenetam ſummo favore populi ingreſſus, caſtrum civitatemque inviſiſſet, edicto propoſito, potentium vi preſſos ſublevaturum, cunctis ex æquo jus redditurum,

Octavianus Bonus Paſchalico quæſtori ſuffectus.

Cenetenſes controverſiæ denuo ſuſceptæ.

rum, vulgaſſet; id ægre initio Paulus ferens, ſummopere cum Marino Caballio, legato, conqueſtus eſt. Verum cum ea, quæ acta fuerant, legitime facta, neque quidquam Apoſtolicæ Sedi injuriæ illatum, Senatus tueretur; eo tandem ventum eſt, ut extra judicium, quemadmodum ſæpius inter Principes fieri conſuevit, ſcriptis utrimque ageretur; qua in re ejuſmodi rationibus nixa eſt Reſpublica, ut aperte Pontifex diceret, jam in Cenetenſium cauſa nil eſſe, cur amplius Veneti perturbarentur, cum publicis documentis, temporum ſerie nunquam intermiſſa poſſeſſione, conſtaret, ſupremum in ea civitate imperium Venetorum eſſe. At Paulus cum victum ſe minime fateri vellet, a tempore beneficium petendum, quam quidquam certi definiendum ſatius eſt arbitratus. Exinde qui ſingulis annis procuratores a Cenetenſi populo creabantur, Venetias ſe contulere, fideique ſacramento ſeſe Venetæ Reipublicæ obſtrinxere. Marinus vero Caballius, legatus, Romæ exceſſit. Ejus loco ſtatim a Senatu ſuffectus eſt Thomas Contarenus; qui cum ex Batavorum legatione, de qua ſuperius meminimus, reverteretur, orator ad Rudolphum Imperatorem lectus fuerat, jamque ad Germanicam legationem cuncta adornaverat. 1611

Marini Caballii oratoris obitus.

Thomas Contarenus ad Pontificem orator.

Hieronymus Superantius ad Cæſarem orator.

M. D. C. XII.

COntareni loco Hieronymus Superantius ad Rodulphum lectus, qui proximi anni exordia ſuo obitu inſignivit. Curis namque atque animi angoribus potius quam morbo confectus (pridie enim nihil de aſſueta vitæ ratione immutaverat) xij. kal. februarii ſummo mane exceſſit e vita. Id vero memoratu dignum, Spiræ eadem die atque hora, dum ſacris in primaria eccleſia datur opera, ſuper Henrici & Corradi Imperatorum ſepulchra lumina inſpecta, quæ ſublata, templo omni circumacto, in eiſdem ſepulchris inſederint, ac demum evanuerint. Hæc Spiræ Epiſcopus literis prodidit. Princeps ſane inter optimos cenſendus, cum, Germaniæ rebus admirabili prudentia in ſummam tranquillitatem adductis, bella cum Amurathe ac Mahomete, potentiſſimis Turcarum 1612

Rudolphi Cæſaris obitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1612 Regibus, ſuſceperit; egregioque ad poſteritatem exemplo, prælio ſepe victis, ſæpe arcibus oppugnatis & captis, præferocem gentem vinci poſſe docuerit. Neque dubium eſt, ſi ipſe, qui in umbra parietibus ſeptus vitam agebat, aliquando armatus in aciem proceſſiſſet, quin, tota Germania commota, excitaque ex aliis Europæ provinciis ac regnis innumerabili prope mortalium multitudine, ingentes victorias relaturus fuiſſet. Egregio in Rempublicam animo fuit: viciſſim mutuis benevolentiæ ſignis certatum: Uſcochis a Liburniæ litoribus amotis, iis incommodis, quæ Venetorum ſubjecti perpetiebantur, proſpicere ſæpe pollicitus; licet quandoque in eos ſeverius animadverteret, bello turcico fortaſſe impeditus, promiſſa non præſtitit. Rudolpho mortuo, Romanorum Rege, qui ei ſuccederet, non deſignato, ex aureo Caroli quarti diplomate, imperii procuratio a Rheni Palatino Comite ſuſcepta eſt, ac pro Imperarore deligendo ſeptemviralia comitia indicta. Per eos dies Hieronymus Superantius, Reipublicæ ad Rudolphum orator, cum Pragam perveniſſet, neque ob illius valetudinem adire, legationemque obire potuiſſet, Matthiam Archiducem ibi præſtolari a Senatu juſſus eſt, cui Cæſaris obitum doluit, atque ab eo benigne ſummaque honoris ſignificatione eſt exceptus.

In Gallia, belli curis omiſſis, in id Regina imprimis incumbebat, ut, impubere filio, ac nondum ad regni gubernacula capeſſenda idoneo, pacem cum Principibus, ac præſertim cum Hiſpanis ſervaret. Adhuc enim cunctorum hærebat animis, quot ſuperioribus annis eorum vel aſtu, vel armis gravia Galliæ accidiſſent. Quocirca amicitiam cum Philippo mutuis legationibus atque officiis colere, de affinitate jungenda agere, omnia facere, ut cum Rex per ætatem dominari poſſet, regnum pacatum firmumque inveniret. Stimulabat præterea femineum animum ambitio, cum nihil ad gloriam præſtantius & cumulatius ſibi accidere poſſe arbitraretur, quam ſi Hiſpaniarum præpotentis Regis filiam, filio connubio copularet, filiam viciſſim Philippi filio conjugem daret. Itaque re agitata, tandem nuptiæ mutuæ pactæ ſunt. Ea re haud parum Gallorum animi commovebantur: ſuſpectam potentiſſimorum Re-

Regum neceſſitudinem: quæ alias Hiſpani in Gallia moliti 1612
ſint, memorare: arma in regni viſcera illata, diſſidiorum civilium ſemina ſata, regiam Lutetiæ urbem obſeſſam, facem in regnum venturam, qua brevi humana cuncta ac divina incendantur. Eædem cogitationes Anglum, Germanos, Helvetios, Rhætos, atque Italos ſubierant, ne Galliæ & Hiſpaniæ Regum ſociata arma, aliquid publicæ adverſum paci parerent; Rege enim impubere, matre in Hiſpanos (quorum valde amicitiam concupiverat) propenſa, plerique opinabantur, nihil niſi ex Hiſpanorum nutu ac voluntate in Gallia decretum iri. Hæc cum Regina, atque ii qui rebus præerant, animadverterent, indeque non exiguam ad Galliæ regnum labem perventuram, intelligerent; factum mollire, e Principum animis ſuſpicionum ſemina exſcin dereconabantur. Quapropter Leonium, Sciampignio in Veneta legatione ſuffectum, Patrum Collegium adire, pactaſque nuptias ſignificare juſſit: *Ad Galliæ tranquillitatem pacemque, quam ſibi Magnus Henricus veluti ſcopum propoſuerat, matrem Reginam proſpicientem, affinitatem cum Philippo Hiſpaniarum Rege junxiſſe; id enim & Galliæ quieti, & totius chriſtianæ reipublicæ incolumitati mirum in modum conducere arbitrari: inania eſſe, quæ paſſim jactarentur, his nuptiis quidquam de Regis in fœderatos ac ſocios veteri benevolentia demptum fuiſſe: jura regnorum, provinciarum, fœderum perpetua, eademque ſemper eſſe; nulla re concuti, labefactari, aut impediri posse. An ii, qui frena ambitiose nimium ſeſe efferentibus injeciſſent, eorumque curſum retardaſſent, modo amicorum immemores ac deſides ſpectatores evaderent? Tantum abeſſe, ut eo conjugio in veteres Gallorum amicos Regis voluntas imminuta ſit, ut potius omni officiorum genere eos colendo exiſtimet: itaque ex animis, ſi quæ ſuſpiciones exortæ ſint, penitus amovendas eſſe; eumdem in Rempublicam Gallorum Regem, quem ſæpius experti ſint, Patres habituros.*

Gallorum & Hiſpanorum Regum nuptiæ.

Leonius Gallus orator Venetis regias nuptias ſignificat.

Appetente vere varii cum domi tum foris motus exitiere. Initia a Ferrarienſibus exorta, qui ſuos proferre fines nixi, multa Reipublicæ rationibus ac juribus adverſa egerant. In Gauri ſinum, quem *Fornacium* noſtri receptum vocant, illati, ſigna, quæ

Venetorum & Ferrarienſium de finibus controverſia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1612 quæ ultro citroque commeantibus iter dirigerent, certis locis ſtatuerant; vectigal, quod *anchorarium* vocant, impoſuerant; qui exigerent, delegerant. Id minime ferendum Senatus ratus, ne negligentia temporis proceſſu publica iis in locis jura deperirent, Franciſco Molino, Adriatici ſinus præfecto, præcipit, ut ad veterem poſſeſſionem retinendam cum quatuor triremibus in Gauri ſinum ſe conferat; uſque ad Gaurum penetret; mercimoniis onuſta navigia ſi qua offenderit, ſtatim Venetias mittat; alterius generis ſi inveniat, tenui vectigali juriſdictionis cauſa accepto, dimittat; ſigna diruat; *portus*, ut vocabant, *admirallum*, a pontificiis creatum, comprehendi conetur. Molinus cuncta exſequitur; cum *admirallus* ſibi fuga conſuluiſſet, alium ipſe legit, cui *anchorarii* exigendi munus demandat. Pontifex de iis quæ acciderant certior factus, cum Thoma Contareno, legato, acriter conqueritur, in ſuis finibus a Venetis multa innovari, amota ſigna, vectigal impoſitum inſuetum exigi, *admirallum* electum. Contarenus in Ferrarienſes, qui ſuis finibus minime contenti ſint, qui complura Reipublicæ rationibus adverſa fecerint, culpam regerit. Neque vero iis quæ in Gauri ſinu egerant, Ferrarienſes contenti, cum in Lauretanorum fines ſeſe intuliſſent, ligna excidiſſent, paſcuis uſi fuiſſent; eidem Molino juſſum, Reipublicæ jura ſarcire nitatur, idque ut quiete ac ſine tumultu fiat, ſedulo incumbat. Molinus, expoſitis militibus, nemora quædam incendi, mapaliaque flammis abſumi jubet. Ea re Ferrarienſes in vindictam armari rumor erat; quapropter Senatus Alphonſum Portum, Vicetinum, cataphractorum equitum turmæ ductorem, cum Corſis trecentis Lauretum mittit, ut, ſi quid finitimi moliantur, obſiſtat. His cum vehementius Pontificis animus commoveretur, ut ei aliqua ratione, ſalvis Reipublicæ juribus ſatisfieret, Adriatici præfecto Senatus juſſit: quæ cum commeatu Ferrariam navigia peterent, libere abſque vectigalis exactione iter habere ſineret. Eo aliquantiſper ſedari Paulus cœpit. Inde de finium controverſiis amice definiendis, deque ſequeſtris in rem præſentem mittendis actum. Ut bini utrimque legerentur, conventum: a Senatu lecti Bernardus Marcellus, Baptiſta Nanius, cui valetudine correpto Andreas

dreas Paruta ſuffectus eſt: a Pontifice Maximus e Maximorum familia, ac Alduinus dicti; qui cum poſtea ad Papotias vicum conveniſſent, complures dies re agitata, ea infecta diſceſſere. 1612

In Illyrico quoque tumultus exorti, qui a privatis inimicitiis in publicum erupere. Nam cum inter Reipublicæ ſubjectos ac finitimos Turcas diſſidia exarſiſſent, a vulneribus ad cædes ventum eſſet, Turcæ aliquot a noſtris male habiti ac interfecti fuiſſent; gens ferox atque inſolens, privatas publicis vindicare injuriis moliebatur: jamque in Jaderenſem agrum depopulatura ferebatur. Quibus cognitis, Camillus Triviſanus, equitum præfectus, vir fortitudine atque militari expertia, cum in Pannonia dimicaſſet, clarus, ne quid noſtri detrimenti acciperent, ſummopere nitebatur: cumque ſexcentos partim pedites partim equites in ditiones Reipublicæ impetum facturos per exploratores Triviſanus cognoviſſet, obſiſtendum ratus, equitum multo minore numero in inſidias pertrahere Turcas conatur: qui cum faſtu ac incondito clamore more gentis irruerent, Triviſanus inopinantes a latere aggreditur. Improviſo eventu perterriti terga vertunt: quinque ac triginta ex iis interfecti, e noſtris nemine deſiderato. Eo certamine finitimi omnes Turcæ commoti, arma capiunt, ad Boſſinæ Baſſam querelas deferunt, ut ex tenui ſcintilla brevi ingens exarſurum incendium videretur. His de rebus Senatus certior factus, Marco Antonio Venerio, Illyrici atque Epiri legato, mandat, cuncta ad Turcarum impetum ſuſtinendum, ſubditoſque tuendos comparet; copias cum equeſtres tum pedeſtres in Reipublicæ finibus cogat; neque ex iis niſi laceſſitus pedem efferat, ne exinde turbandæ cum Turcarum Rege pacis occaſiones exoriantur: ſi Turcæ Reipublicæ ditiones aggredi, atque in eas impetum facere velint, quacumque ratione fortiter atque alacriter obſiſtat. Ducenti e Croatia pedites adjecti, quatuor armata navigia mittuntur. Auguſtino Canalio, qui Venerio ſuffectus in provinciam iter habiturus erat, eadem injuncta ſunt: atque ut nihil, quod ad diſſidia ſedanda attineret, prætermitteretur, ad Venerium datæ literæ, quibus ſtatim ad Boſſinæ præfectum nuncium cum pueris mittere jube-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1612 bebatur, ut de iis quæ acciderant edoctum, ad tumultus comprimendos, quietemque inter finitimos ſervandam impelleret. Chriſtophoro Valerio, qui nuper in Byzantii legatione Simeoni Contareno ſucceſſerat, ſcriptum; ut, iis quæ acciderant Viſiro expoſitis, ipſum ad pacem in finitimis Illyrici regionibus firmandam hortaretur. Qui, literis atque nuntiis ſtatim ad earum regionum præfectos miſſis, quamprimum omnia diſſenſionum ſemina evelli juſſit. Finitimi Turcæ, licet ingenti irarum æſtu ex iis quæ evenerant perciti, in armis eſſent, ſuoſque minime inultos ſe paſſuros minarentur; attamen, ſenſim elangueſcente impetu, ad concordiam rediere: cujus rei non minimam partem laudis Hieronymus Foſcarus, Aloyſii filius, Triviſano in equitum præfectura ſucceſſor, reportavit.

Dum hæc foris gererentur, domi in Angelum Baduarium a Decemvirum conſilio graviter eſt animadverſum: qui anno M. DC. VII. quod occulta cum Principum miniſtris adverſus leges colloquia habuiſſet, a Decemvirum collegio præſens carceris pœna per annum damnatus, perpetuo a ſecretioribus Reipublicæ collegiis ac conciliis excluſus fuerat, ea conditione inſuper adjecta, ne ullo unquam tempore Venetorum ditionibus egredi atque in alias terras proficiſci poſſet: eo judicio ſupra quam dici poſſet indignatus, auroque corruptus, annuis penſionibus donatus, quid Patres conſulerent, quid molirentur, Principibus aperiebat. Sed tandem immani ſcelere detecto, ut in vincula conjiceretur, Decemviri decrevere. Verum ſibimet culpæ conſcius, fugam arripuit. Viginti quatuor horarum ſpatio in jus vocatus, cum non adeſſet, in abſentem lata ſententia eſt: æterna infamiæ nota inuſta; ex albo nobilium expunctus; perpetuo exilio, bonorum publicatione mulctatus: iis, qui captum Venetias perducerent, interficerentve, præmia ingentia propoſita: comprehenſus, laqueo necatus, mox inverſo capite pedibus furcæ appenſus, quæ pœna proditorum eſt, ſpectaculum populo exhiberet: neque ullo unquam tempore in patriam revocari poſſet. Quæſitoribus quoque mandatum, cum Regibus ac Principibus ageret, ut, ſi quando in eorum ditiones locave ſe reciperet, Venetias tranſmitteretur.

Angelus Baduarius denuo perduellionis reus.

Cum

Cum vero a ſupremo magiſtratu in continentem miſſo, conſceleratis facinoroſiſque hominibus, vel exilio mulctatis, vel ad tranſtra ablegatis, vel nece damnatis, tranquillitas ac ſecuritas parta ingenti ſubditos lætitia affeciſſent; eadem remedii genera iis in locis, quæ Reſpublica in oriente poſſidet, adhibenda eſſe Senatus conſulto Patres decrevere. Tres legatorum quæſitorumque titulo, cum vitæ neciſque poteſtate miſſi, qui trans Saſſonem Venetas ditiones inviſerent: Corcyra luſtrata, in Cretam recta contenderent: a ditioribus ac potentioribus oppreſſos ſublevarent; in magiſtratus, ſi quæ forte adverſus leges feciſſent, animadverterent: inde in Tenum ac Cytheram, Cretæ magiſtratibus ſubjectas, idem munus obituri tranſirent: in reditu Cephalenem Zacynumque appellerent. Lecti ſunt Octavianus Bonus, qui anno ſuperiori eodem munere in Carnis perfunctus fuerat, Joannes Paſchalicus, Marcus Lauretanus. Ut vero Cretæ ſæpius frumenti inopia laboranti, quod incolæ vitium lucro illecti agriculturam deſererent (cui malo legibus licet ſeveriſſimis Senatuſque conſultis nunquam obviam iri potuerat) ſuccureretur, quinquaginta aureorum millia eo tranſmitti decretum, ex quibus frumenta in publica horrea adſervanda coemerentur, quibus opportuno tempore regno ſubveniretur, & mercatorum nimia cupido coerceretur.

Legati & Quæſitores in orientem a Senatu miſſi.

Hæc cum ad maritimas oras tutandas decernerentur, haud impar ſolicitudo in terreſtri imperio tuendo adhibebatur: deque Rhætico fœdere in decem annos icto, cujus novem jam elapſi erant, inſtaurando Patres cogitabant. Id ut facilius conſequerentur, Senatus conſulto Antonium Mariam Vincentium, a ſecretis, eo mittere decrevere: qui adeo averſos animos Rhætorum comperit, ut in veteri cum Republica amicitia, abſque ſocietatis nexu, perſeveraturos dicerent. Huic ſententiæ multa prætexebantur: quod privatæ penſiones minime perſolutæ, commercia interdicta, erga illos honoris ſignificationes prætermiſſæ fuiſſent; licet contra Vincentius affirmaret: Rhætorum conſilio, ne privati a Principibus penſiones acciperent, vetitum: ultro citroque commeandi facultatem, peſtilentia in Helvetiis graſſante, ablatam; neque quidquam, quod genti vel commodo vel decori eſſe potue-

Antonius Maria Vincentius in Rhetos a Senatu mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1612 tuerint, a Republica prætermiſſum. Verum in plebe ea nimirum imvaluerat opinio, quæ Hiſpanorum finitimorum metu, Carolique Paſchalii, Callorum oratoris, officiis augebatur, qui omnes ingenii nervos, ut Venetorum cum Rhætis ſocietas dirimeretur, intenderat: neque ſolum ſuæ factionis homines confirmare, ſed eos qui Reipublicæ favebant, qua prece, qua minis, qua pecunia ad ſe attrahere, nixus fuerat: eo etiam, ut a nonnullis exiſtimabatur, Venetis parum propenſus, quod cum librum *de Coronis* edidiſſet, ejuſque exemplar ad Senatum miſiſſet, nullo, ut fieri quandoque ſolet, publico munere donatus fuerat. Itaque Jacobum Molinarium Rhæti Venetias miſere, qui Collegium adiens literas, quibus fœderi renuntiabant, detulit. Iis a Senatu breviter graviterque reſponſum; pleriſque Patrum, qui parum ex ea ſocietate utilitatis Rempublicam tuliſſe, multumque auri impendiſſe, cogitabant, id Rhætorum decretum non moleſte admodum ferentibus; aliis contra, quod ea ex parte exterarum gentium auxiliis evocandis Venetis aditus, Gallorum potiſſimum interventu, clauderetur, acerbe indignantibus.

Ceterum cum de Imperatore eligendo comitia non ſine magna animorum ſuſpenſione, cuinam ſuprema in chriſtiana republica dignitas deferretur, haberentur; tandem Electorum omnium conſenſu Matthias Archidux, Rodulphi frater, idibus juniis Imperator renunciatus, ac Francfordiæ ſumma celebritate inauguratus, Imperiique diademate ornatus eſt. Sacris catholico ritu habitis, Septemviri omnes, Proteſtantes quoque (quod alias non acciderat) interfuere: ſtatimque ad eum bini de more a Senatu oratores gratulationis muneri obeundo lecti, Auguſtinus Nanius, Franciſcus Contarenus. Per eos dies Vincentius Gonzaga, Mantuæ Dux, naturæ conceſſit, Franciſco, Ferdinando, Vincentio, filiis relictis. Franciſcus major natu, qui patri ſucceſſit, ſtatim Jacobum Arci comitem ad Senatum miſit; qui Vincentii patris obitum & ejus ſucceſſionem patribus ſignificaret, quæcumque a ſe in Rempublicam obſervantiæ argumenta proficiſci poſſent, deferret. Pari officio a Senatu reſponſum: Petrus Gritus ad eum legatus eſt.

Matthias Imperator renuntiatur. Auguſtinus Nanius & Franciſcus Contarenus ad Matthiam Cæſarem oratores.

Vincentii Mantuæ Ducis obitus, & Franciſci ſucceſſio.

Petrus Gritus ad Mantuæ Ducem orator.

Hoc

1612 Hoc rerum ſtatu res Venetæ erant, cum Leonardus Donatus, Princeps, repente ex humanis exceſſit. Nam xvij. calendas auguſti cum mane, infirma licet valetudine, in Patrum Collegio fuiſſet, publicis negotiis vacaſſet, acriter vehementerque diſceptaſſet; ex publica aula, cum in privatum cubiculum, quietis cauſa, ſe ſe recepiſſet, famuloſque amandaſſet, animi deliquio extemplo correptus, interiit. Eo repentino caſu perculſa civitas ingentes doloris ſignificationes edidit. Fuere in Leonardo Donato, quas cuncta poſteritas admiretur, egregiæ virtutes, vitæ morumque integritas, prudentia ſingularis, eloquentia admirabilis; unus & idem ſemper in vita tenor, quem nulla proſpera extulere, nulla adverſa deterruere; amor in patriam, in Deum pietas eximia. Etſi non defuere maligni ac perverſi homines, qui inclito Principi notam nimium politici aſpergere niterentur: attamen ita res ſe habet, ut quemadmodum nullum fortaſſe in adminiſtranda Republica parem habuit, ita in iis, quæ ad chriſtianam religionem attinent, nulli unquam de cultu obſervantiaque conceſſerit. Sæpius errata expiare, cæleſti divinoque pane ſe reficere, pietatis munera implere. Quæ pro patria egerit, quot legationes obierit, quos tum domi, tum foris magiſtratus geſſerit, alio loco a nobis exarata ſunt. Exequiis de more habitis juſtiſque perſolutis, de novo creando Duce conſilia iniri cœpta. Ad ſummam dignitatem aſpirabant Marcus Antonius Memus, Antonius Priolus, Joannes Bembus, Joannes Mocenicus, omnes Marcii Procuratores, omnes ſummos in Republica honores conſequuti. Sed, ut aſolet in involuta illa comitiorum ratione, modo huc modo illuc fluctuante ac reciprocante ſorte, tandem in eo ſuffragiorum æſtu omnis in Memum fortuna incumbere viſa eſt. Itaque decimo kalend. auguſti Marcus Antonius Memus Princeps renunciatus eſt; civis provecta ætate, annum enim ſeptuageſimum ſextum expleverat; ea proceritate ac majeſtate, ut inter alios eminens, cunctorum in ſe ora vultuſque converteret; ea morum ſuavitate ac comitate, ut omnium ſibi animos conciliaret; quique ætatem omnem in publicis muneribus, ac præcipue in regendis civitatibus contriverat. Inſequenti die, divi Jacobi feſto, ſumma omnium lætitia inauguratus, principatum in-

1612 Leonardi Donati Princ. obitus & ejus elogium.

Exſtat Leonardi Donati Principis vita a Maurocено deſcripta, & edita Venetiis, apud Antonium Pinellum, 1628. in 4.

Marcus Antonius Memus, Venetiarum Dux.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1612 iniit; nunquam tanta civium concordia, nunquam tantus in publicum bonum conſenſus extitit.

Vix Auguſtinus Canalius, Illyrici atque Epiri legatus, magiſtratum inierat, cum rurſus ab Uſcochis exorta diſſidia, latius ſeſe diffundere cœpere. Cum enim aliquamdiu repreſſi, ſenſim irrumperent, Paulus Ghinius lemborum præfectus, in eorum manum quamdam delatus, expoſitis militibus, inſequeretur, in Jaderenſis ditionis nuper ab incolis extructum pagum ſeſe recipiunt, maceriiſque tecti acriter ſe tuentur. Ghinius corona militum ſeptos obſidet; ſi vi aggrediatur, veritus, ne, deſtructo pago, ingenti incolæ damno afficiantur; colloquii, Uſcochis poſcentibus, copiam facit: fide data, quinque obſides tradunt, quos ſtatim captivos ad Canalium mittit, ac quid ſibi faciendum ſit petit. Canalio, qui his de rebus Senatum certiorem fecerat, juſſum, captivos, qui in Ghinii poteſtatem, data fide, conceſſerant (eam quippe hoſti quoque ſervandam ſemper Patres exiſtimarunt) dimittendos curet. Interea cum Georgius Dannicichius cognoviſſet, Hieronymum Marcellum, Curitæ præfectum, ad Beſcam inſulæ illius oppidum morari; trecentis circiter Uſcochis lembis impoſitis, Beſcam improviſo delatus, nihil ejuſmodi opinantem, captivum una cum ſcriba facit: Seniam perductum, in eum nullum contumeliæ minarumque genus prætermittunt. Ea re civitate vehementer commota, ſtatim ſubſidia militumque ſupplementum in Illyricum mitti decretum; ut auctus viribus legatus illatas injurias acrius ulciſcatur: Epirotæ ducenti, Corſi trecenti, Itali ſeptingenti conſcribantur, latum; deni iis qui in Illyrico lembi erant, adjiciuntur. Franciſco Priolo, Raſpurgi prætori, cui antea legati munus in Iſtris a Senatu injunctum fuerat, trecenti itidem e Cyrno milites adjuncti. Horatio Montio, Guidi Vbaldi mathematicarum ſcientiarum fama celeberrimi filio, militiæ præfectura committitur, ſtatimque in Iſtriam proficiſci jubetur: ut ſi Uſcochi quidpiam iis in locis in incolas (veluti rumor erat) molirentur, averti, atque conſilia ex opportunitate capi poſſent. Canalius legatus Moſchenizzam, prædonum perfugium, edito loco in monte ſitum oppidum, triginta ab Albona paſſuum millibus, oppugnare ſtatuit. Noctu aliquot præmiſſis ad

Hieronymus Marcellus, Curitæ præfectus, ab Uſcochis captus.

Senatus decreta ad Uſcochocorum temeritatem coercendam.

Franciſcus Priolus, in Iſtria legatus.

Horatius Montius, militum præfectus.

ad iter explorandum lembis, ipſe inalbeſcente die cum prætoria atque aliis triremibus in conſpectum oppidi venit, milites ac tormenta exponit. Sed qui ei præerant milites, cum jam ſe ad excipiendum impetum comparaſſent, atque difficulter admodum per acclive montis tormenta evehi poſſent, tribus e noſtris in eo conatu interfectis; rem longiori tempore egere Canalius animadvertens, alio conatus vertendos ſatius exiſtimavit. Itaque Labranam, haud longe a Moſchenizza caſtellum, incendi ac diripi jubet. In ea direptione mulieribus atque iis, qui ad templa confugerant parſum. Ea re ab Uſcochis cognita, vicos aliquot Raſpurgenſis agri depopulantur. Priolus prætor trecentis Corſis, expeditis ſtrenuiſque militibus, qui nuper in provinciam venerant, damna noſtris illata, quacumque ratione ſarcire nitantur, mandat: qui in Ferdinandi ditiones irrumpentes, obvios quoſque proſternunt, prædas agunt, jumenta abigunt, cuncta ferro atque igne per quinque paſſuum millia excurrentes, emetiuntur. 1612

Labrana a Canalio legato direpta & incenſa.

Interea Ferdinandus, ad quem de Venetorum indignatione atque apparatu nuntii pervenerant, Stephanum Roboreum, Fluminis oppidi præfectum, Venetias mittit: qui una cum Queva Philippi legato Principem, Patreſque adiens, quam ea, quæ ad Curitam acciderant, gravia Ferdinando fuerint, exponit; egregiam illius in Rempublicam voluntatem teſtatur; altera ex parte acriter conqueritur: *irruptiones in ejus ditiones factas, abactas prædas, incenſos vicos, cuncta hoſtilitatis ſigna edita: ſe quidem in fontes debitis pœnis animadverſurum, ne impoſterum damna inferantur, connixurum: id autem viciſſim poſtulare, ut arma a Republica removeantur, damna ſarciantur, nihil in inſontes Archiduci ſubjectos hoſtile committatur.* Roboreo ejuſmodi Senatus conſulto reſponſum datum, quo a Reipublicæ ſubjectis per tot annos damna accepta, Patrum diuturna patientia, a Cæſare ac Ferdinando remedia petita, irrita promiſſa memorabantur: *Nuper his omnibus indigniſſimam prætoris captivitatem acceſſiſſe. An lædi amplius patientiam ſuam paterentur? an ſubjectos crudeliter vexari, turbari, diripi, necari ſinerent? Niſi tot incommodis proſpiciatur, niſi tantorum malorum ſontes penitus*

Stephani Roborei, Ferdinandi legati, ad Venetos expoſtio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1612 *exſcindantur, quin omnia aggrediatur, experiatur, efficere Senatum non poſſe: id & jus exigere, & ad concreditum ſibi a Deo Optimo Maximo populorum regimen ſpectare: quapropter unum tantum ſupereſſe, ut ſi ea, quæ per omnium ora de Ferdinandi pietate ac religione circumferuntur, vera ſint, hoc conſceleratorum hominum genus e ſuis oppidis, locis, litoribus expellat; ſartam ſemper atque inviolatam ei amicitiam cum Republica futuram.*

Dum hæc agerentur, Pragæ inter Matthiæ Imperatoris præconſultores diverſis ſententiis diſceptabatur. Erant, qui, cognitis, quæ nuper in Iſtris acciderant, Ferdinandi agros invadi ac diripi minime ferendum dicerent: *vim vi repellendam, cogi milites, in ditiones Reipublicæ excurſiones faciendas, cenſerent: bello Pannonico claros duces, fortes milites, omnibus laboribus ac periculis duratos atque aſſuetos, non defuturos; Germaniæ populos Italiæ invadendæ cupidos avidis animis occaſionem arrepturos.* Alii contra mollius agendum arbitrabantur: *Non ejuſmodi temporum conditionem eſſe, ut dubia cum Rege Turcarum pace, in diverſas factiones Germania diſtracta, ad arma deveniendum ſit: facillima bellorum initia, incertos exitus eſſe: Venetos auro, viribus, amicis præpotentes: conſilio potius ac lenitate utendum, ne exorta diſſidia in chriſtianæ reipublicæ periculoſum atque exitiale bellum erumpant.* Eam ſententiam Barbitius tuebatur, quam Melchior Cleſelius, Viennæ Archiepiſcopus, cui ſummam rerum conſiliorumque Matthias demandaverat, amplexus eſt. Itaque, Queva petente, ut utrimque ab armis ceſſaretur, quo poſtea amice de remediis adhibendis, deque Uſcochis amovendis ageretur: jam enim Cæſari ſtatutum eſſe, ut quacumque ratione omnium diſſidiorum fibræ evellerentur: Senatus, uſitato adverſus piratas maritimo pugnæ genere retento, ut terra tantum arma amoverentur, aſſenſus eſt; ea quoque, ſi piratæ pellantur, amoturum pollicitus. Sub id tempus Auguſtinus Canalius, legatus, Jaderæ exceſſit; cumque rerum conditio poſcere videretur, ut Senatori provecto, maximiſque in rebus exercitato ea provincia demandaretur, Philippus Paſchalicus, qui ſuperioribus annis præferoces piratas perdomuerat, Illyrici, Epiri, Iſtriæ legatus eſt creatus; eique ſummum im-

Auguſtini Canalii obitus.

Philippus Paſchalicus Canalio ſuffectus.

imperium in ſinu Adriatico tributum. Erant omnia in Paſchalico præclara, ſed id imprimis eximium, quod ea tempeſtate, qui maritimæ militiæ ſcientia atque uſu excelleret, nemo ei anteferri poſſe cenſebatur. At Queva ac Roboreus 1612
ruſus inſtare, petere, flagitare, ut, maritima obſidione amota, commercia reſtituantur, Uſcochi captivi (de quibus ſuperius diximus) dimittantur: jam procuratores Senniam miſſos, jam de ſceleratis ac ſontibus pœnas repoſci: Cæſaris ac Ferdinandi egregiæ in Rempublicam voluntati id tribuerent. Senatus omnia Paſchalico permiſſurum affirmat, propediem illum in provinciam iturum; quidquid, ſalvis Reipublicæ rationibus, poſſit, conceſſurum; obſidionem vero, ni tot pollicitis re ipſa reſponſum fuiſſe Patres cognoverint, laxari non poſſe. Paſchalico injunctum, ut Liburniæ oppida, litora, omnemque earum regionum tractum quam maxime premat, Uſcochis aditum intercludat: reliqua ejus prudentiæ, & conſilio permiſſa. Eodem tempore de controverſiis hiſce componendis, deque Uſcochis amovendis a Hieronymo Superantio, apud Cæſarem legato, Senatus juſſu, agebatur. Sæpius Pragæ, ſæpius Viennæ cum Cæſareis diſceptatum. In primis, ut damna a noſtris in Ferdinandi ditionibus illata, quæ haud mediocria fuerant, ſarcirentur, Cæſarei flagitabant; quibus cum acriter Superantius obſtitiſſet ac de ſententia validis rationum momentis decedere coegiſſet, tandem,

M. D. C. XIII.

SUb anni inſequentis initium in has conditiones Viennæ deventum eſt: Uſcochos debitis pœnis plecti curatorum; impoſterum neque Senniæ neque maritimis in locis commorari, degere, recipi paſſurum; ne damni quidem minimum inde ad Rempublicam amplius perventurum, Cæſar pollicetur. Veneti contra captivos tres (jam enim ex quinis bini interierant) reſtituere, obſidionemque laxare ſpondeant. Ferdinandus, his cognitis, edictum in eos, qui Uſcochos aut Venetorum exules, quorum plerique Uſcochis ipſis ſe adjungere ſolent, juverint, foverint, receperint, vulgat. Senatus (etſi nondum pollicita præſtita fuiſſent) in Cæſaris gratiam,

1613 *Uſcochorum res compoſitæ.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 Paſchalicum dimittere captivos, obſidione mitiori uti jubet: Jamque, oppignerata Cæſaris fide, ut tandem tot malorum finis inveniretur, ſperandum videbatur, cum favillæ cinere veluti ſuppreſſæ, vehementius ac latius, uti poſtea narrabimus, exarſere.

Ejuſdem anni principio omnium oculi menteſque ad ingentes Achomatis, Turcarum Regis, bellicos apparatus convertebantur. Nam Amurathes, quem anno milleſimo ſexcenteſimo decimo, cum exercitu in Perſidem miſſum diximus, cum ad pacem omnia conſilia traduxiſſet, de concordia ineunda cum Sopho egerat. Verum ſummis involuta difficultatibus res erat. Tributum annuum a Perſarum Rege, quod pro captis ab eo turcicis ditionibus penderetur, Achomates petebat. Petitioni nulla Sophus ratione adſentiebatur. Itaque inter pacis negotium bellique ſuſpiciones res verſabatur; cum Amurathes effeta jam ætate, graviſſimis curis confectus interiit. Is lætho propinquus Naſuphum ſibi vicarium delegit, ſtatimque ea de re Byzantium ad Regem nuntios ac literas mitti curavit: quibus acceptis, licet Naſuphus perduellionis reus, in Regem motis armis, mox in gratiam receptus fuiſſet, eamque ob cauſam ſummam illi rerum omnium committere, durum plerique exiſtimarent, nihilominus vel Amurathis judicio, vel præſtantium hominum ad exercituum moles regendas inopia, vel longinquitate itinerum, Achomates Naſupho viſiratum tribuere, copiarumque imperatorem declarare ſtatuit; eique per veredarios enſem aliaque inſignia deferri juſſit; in idque ſedulo incumbere, ut pacis cum Sopho ineundæ ratio aliqua inveniretur, præcepit. Itaque Naſuphus imperii titulis decoratus, impenſius de pace pertractavit; utque a Sopho legatus cum ſerici copia ad Achomatem mitteretur impetravit. Creberrimis inde nuntiis & literis, ut quamprimum Byzantium ſe conferret, ſolicitabatur. Qui e Perſide in Syriam profectus, cum per aliquot dies ad civitatem militiamque ordinandam Alepi ſubſtitiſſet, magna Achomatem purpuratoſque ſuſpicione repleverat, ne aſſuetis artibus, parum Regis fidei ſe credens, aliquid in turcici imperii perniciem meditaretur. Sed tandem Byzantium una cum Perſarum legato, immenſa

Amurathes Viſirus interiens Naſuphum exercitui præficit.

Naſuphus Viſirus declaratus.

auri

auri vi pretioſiſſimarumque rerum copia onuſtus, pervenit; quibus Regis animum, nedum purpuratorum omnium adeo flexit ac delinivit, ut ſtatim ſummum auctoritatis locum nanciſceretur; a Rege adcerſitus, de rebus graviſſimis conſuleret, ipſumque adeo in ſuam ſententiam pertraheret, ut penes illum ſumma auctoritas ac prope totius imperii adminiſtratio eſſe videretur. At Sophi legatus ingenti cum pompa urbem ingreſſus, cum de pace egiſſet, ſummo calidæ gentis artificio perſuaſus, ſericum, nondum concordia firmata, Achomati tradidit; ac mox, Turca uno comitante, in Perſidem reverſus, cum mandata egreſſum Sophus animadverteret, carceri addixit; Turcæ erui oculos, nares aureſque præcidi juſſit; exinde denuo ad arma ventum eſt. Verumtamen menſe februario, vigente hieme (quod perraro accidit) Achomates cum maximis copiis, quas ad centum ac quinquaginta millia eſſe ferebatur, una cum Naſupho Byzantio egreſſus, Adrianopolim petiit. Venatum Regem animi cauſa profectum Turcæ vulgaverant: at exercitum viribus ac numero præpotentem, commeatu, apparatu inſtructum, non ſine expeditionis alicujus opinione eo anni tempore Byzantio eductum, credibile videbatur. Itaque quonam Achomatis conſilia tenderent, cum magna animorum ſuſpenſione Principes circumſpectabant. Etſi vero adverſus Dacos arma moturum, indeque in Pannoniam bellum illaturum, nondum pace cum Cæſare firmata, pleriique opinarentur; non deerant etiam, qui, terreſtribus copiis chriſtianos Principes diſtinere, claſſe autem Melitam, vel Siciliam, vel Cretam aggredi ſtatuiſſe, ſuſpicarentur.

Senatus in ea Achomatis conſiliorum ambiguitate ne quid ad imperium maritimum tutandum prætermitteret, Joannem Jacobum Zannium, Cretæ legatum, quatuor triremibus extra ordinem ſex adjicere; Aloyſium Juſtinianum, damnatorum triremibus præfectum, quinquaginta aureorum millia una cum pilarum, tormentarii pulveris, ceteroque bellico apparatu & commeatibus in Cretam deferre juſſit. Ad Amphimalum portum arctius tutandum, Marathi, quem vocant, ſcopulum communiri decretum; negotiumque Zannio legato ac tribus quæſitoribus, Octaviano Bono, Joanni Paſchalico, Marco Lauretano commiſſum, in aliud poſtea tempus rejectum eſt. Navalium

1613 *Naſuphus cum Perſarum legato Byzantium pervenit.*

Chriſtianorum Princ. de Turcarũ armis ſuſpiciones.

Veneti claſſem augent

Senatus Decretum de Marathi ſcopulo muniendo.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 *Laurentius Venerius, ad Aſcrivium legatus.*

præfectis, ut triremes viginti magnumque galeonum inſtruerent, præceptum. Aſcrivium Laurentius Venerius, legatus, miſſus; eam enim civitatem & loci natura & arte munitiſſimam in Rhizonici ſinus penetralibus ſitam, ſummo ſtudio cuſtodiendam Patres exiſtimabant. Itaque in præſidii ſupplementum ut ducenti pedites, nitrati pulveris omniſque bellici apparatus, biſque cocti panis vis eo deveheretur, latum; arcium quoque architecti adjecti. Achomates interea, qui Adrianopoli ſubſtiterat, exercitum augere, una cum Naſupho militaribus muneribus incumbere, ſagittarum miſſiliumque ejaculatione, equorum curſu ſe exercere, Baſſis ac præfectis, ſuo exemplo, ſtimulos addere, ut brevi (jam enim ver appetebat) arma moturus videretur: licet adhuc de expeditionis ratione ambigua res eſſet; ac Chriſtophorus Valerius, legatus, qui procul a Rege Byzantii erat, nihil certi ſignificare Senatui poſſet; cum præſertim Naſuphus ante profectionem, occultis literarum notis Chriſtianorum legatos ad Principes perſcribere, ſe non paſſurum affirmaſſet, in id conquiſitores itinerum miſſurus. Sed tandem omnia induſtria Valerii vicerat, qui præter cetera, quæ ſapienter ad Turcas fallendos commentus eſt, non publicis veredariis, ut fieri conſuevit, ſed uni e Janizzeris, integræ ac probatæ fidei, Aſcrivium perferendas literas commiſit; quod fideliter ille præſtitit, quamvis aliquanto ſerius, longiore quippe ſuſcepto per Olchinium itinere: alteras autem nullis exaratis notis, ne quid eſſet detrimenti, ſi intercip-erentur, per quos tabellarios ſolitus erat, eodem miſit, cum ſine publicis literis, proficiſci omnino renuerent. Pervenerunt hæ Venetias incolumes, delatæ celerius, & Patribus, qui Valerii aſtum ignorabant, admirationis & ſuſpicionis injecere quamplurimum. Quare, ut de Turcarum conſiliis rebuſque certiores fierent, Auguſtinum Dulcium, Senatus ſcribam, Aſcrivium contendere, atque, ſi ita ei videretur, in Epirum, Adrianopolim, Byzantium quin etiam proficiſci juſſere. At cum in itinere eſſet, de Achomatis repentino atque improviſo Byzantium reditu Valerii literæ ſupervenere, quibus haud parum admirationis cunctis acceſſit, tantum copiarum, tantum roboris coactum, Regem ipſum regia digreſſum, ut, nulla edita re, fere inglorius Byzantium

Turcæ exercitum Adrianopoli cogunt.

Auguſtinus Dulcius in Epirum & Byzantium mittitur.

Achomates Byzantium redit.

tium reverteretur. Sed id eam ob cauſam accidiſſe conſtans opinio erat, quod in Perſide bellum denuo recrudeſceret. Cum enim, ut diximus, Sophus legatum oculis, auribus, manibuſque privaſſet, arma in Turcarum fines intuliſſe, agros depopulatum fuiſſe, ferebatur. Ea improviſa Byzantium reverſio, præter ceteros, maxime Cæſari opportuna fuit, qui impar ad tantum onus ſuſtinendum viribus, nuper Poſſonii in Pannonia conventu habito, exigua admodum ad bellum cum Turca gerendum ſubſidia acceperat.

1613 *Perſæ denuo arma cõtra Turcas movent.*

Turcici belli ſuſpicione amota, ingentia diſſidiorum ſemina in Italia exorta, publicam tranquillitatem turbavere; atque in dies magnis incrementis aucta, fere omnes Europæ Principes in eoſdem anfractus pertraxere. Vincentio Gonzagæ, Mantuæ Duci, defuncto tres filii ſuperſtites fuerant; Franciſcus, qui patri ſucceſſerat; Ferdinandus, quem Pontifex in Cardinalium collegium cooptaverat; ac natu minimus Vincentius. Franciſcus anni ſuperioris exitu papularum morbo correptus, una cum parvulo filio vitam cum morte commutaverat; Carolique Allobrogum Ducis filiam uxorem, atque ex ea Mariam filiolam, adhuc lactentem, reliquerat. Ferdinando Cardinale Mantuæ Duce inaugurato, ſtatim inter eum ac Sabaudum controverſiæ exarſere. Carolus filiam una cum puellula a Ferdinando dimitti petebat, earum ad ſe curam ſpectare, a matre filiam ſejungi, in cujus tutela ex legum præſcripto eſſet, non poſſe affirmabat. Contra Ferdinandus, æquum non eſſe, ut vidua, quæ fortaſſe Mantuanum Principem utero geſtaret, alio, niſi emiſſo partu, concederet; fratris filiæ, quæ minor eſſet, ad ſe curam, non ad matrem attinere. Diſſidia acriora efficiebantur, quod a Sabaudo in Montisferrati perampla ditione vetera jura ſuſcitabantur; ad puellamque Franciſco ortam, ſi matrem filia non genuiſſet, pervenire eas ditiones palam profiteretur. Ferdinandus vero, licet Caroli quinti Imperatoris judicio delatam Montisferrati Principibus poſſeſſionem hereditario jure a majoribus acceptiſet; tamen verebatur, ne Caroli ingens ac vividus animus inde aliquid rebus ſuis adverſum moliendi, occaſionem arriperet. Diffidentia inter Mantuanum ac Sabaudum in dies augebatur. Joannes Mentozza, Inojoſæ

Franciſci Mantuæ Ducis obitus.

Ferdinandus Dux Mantuæ inauguratur.

Controverſiæ inter Sabaudiæ & Mantuæ Duces.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 & ſancti Germani marchio, Mediolani gubernator, in Sabaudum propenſus, quod ab eo ſancti Germani titulum acceperat, potius alere, quam ſupprimere flammas videbatur. Sabaudus & literis & nuntiis filiam una cum puella dimitti efflagitat: in id Franciſcum Martinengium ac Luſernæ comitem, mox Victorium Principem filium Mantuam mittit; qui Ferdinandum nullis officiis de ſententia dimovere, nullis precibus flectere queunt: in eo ſuarum ditionum ſuamque ſecuritatem verti; puellam in Mantuana domo natam, non apud alium quam apud patruum eſſe decere, contendit.

Venetorum officia de diſſidiis inter Sabaudum & Mantuanum componendis.

Cum igitur naſcentis incendii initia nulla ratione opprimi poſſent, haud parum Venetorum animi ſolicitabantur, niſi cito occurratur, pacem Italiæ turbatum iri conſpicati. Itaque vetus inſtitutum ſequuti, Pontificem non modo, ſed Galliæ ac Hiſpaniæ Reges, ad reſtinguendum incendium inflammant; ne firmioribus radicibus coaleſcere malum ſinant. Atque ut amicum ac finitimum Principem, repente fratris obitu ad gubernacula ſublatum, vix ephebis egreſſum (tertium enim ac vigeſimum annum fere attigerat) ſolentur; Ferdinandum Rubeum, tormentorum præfectum, Gonzagæ domui valde carum, ad eum mittunt, qui egregiam illi Senatus voluntatem ſignificet; quæcumque ad ejus tuendas ditiones a Republica proficiſci poſſint, deferat. Cardinalis ingentes Senatui gratias agit, nec unquam apud ſe Reipublicæ beneficiorum memoriam intermorituram, profitetur. At denuo Victorius, Sabaudiæ Princeps, Mantuam contendit; eo Inojoſæ marchio, gubernator, Aſculanum Principem, complurium Hiſpanorum numero ſtipatum, proficiſci jubet. Civitas armatorum numero completur, arctiores cuſtodias adhiberi Cardinalis præcipit; ſi vis inferatur, ad tuitionem ſe comparat; non enim deerant, qui vi Hiſpanos uſuros, atque puellam, Ferdinando reluctante, amoturos arbitrarentur. Verum ille, omnia potius pati, quam ut ſibi vis inferretur, ſtatuerat, Cæſaris præſertim decreto munitus, quo apud eum matrem ac filiolam permanere ſancitum fuerat. Erant etiam qui, ſi Ferdinandus viduam (cujus amore captum nonnulli affirmabant) ſibi connubio jungeret, facile controverſias omnes dirimendas, exiſtimarent.

Ferdinandus Rubeus a Senatu Mantuam mittitur.

Victorius Sabaudiæ Princeps, & Aſculanus Mantuam profecti.

In

In ea rerum fluctuatione ita cum Sabaudo Ferdinandum 1613
conveniſſe vulgatur, ut puella cum matre Mutinam deduceretur; ibi cum Iſabella ſorore, Mutinenſis Principis conjuge, tandiu moraretur, donec controverſiæ inter Carolum ac Ferdinandum componerentur, ea tamen lege, ut, matre diſcedente, puella illico Mantuam mitteretur. Mirabantur plerique, quod, qui hucuſque tam acriter perſtitiſſet, modo de ſententia tam facile dejectus eſſet; illectum alii Hiſpanorum artibus, alii Caroli calliditate circumventum Principem fuiſſe arbitrabantur. Leonius, Galli legatus, quanta ex eo conſilio Cardinali damna immineant, Patribus exponit: *Quid ſibi certi a Carolo polliceretur? quem exitum diſſidiorum expectaret? fruſtra filiolam Principem ſibi non eripi conatum, ſi Mutinam perduci ſinat: ſatius fuiſſe, amotis diſſidiis, ſtatim Caroli poſtulatis obſequi, quam diu reluctantem, obſiſtentem, tandem ſe vinci permittere: biſce quacumque ratione poſſet, ne perficiantur, obſtaturum; Cardinali ſignificaturum, ni penitus ejuſmodi conſilia deſerat, Reginæ patrocinium amiſſurum.* Ut omni officio Cardinalem ad ſalubriora conſilia traducere, atque cœptis ut abſiſtat, ſuadere, nitantur Patres, hortatur. Verumtamen id accidit, quo referre pedem ac pollicitis ſe exſolvere Cardinalis potuit. Nam, omnibus ad profectionem comparatis, Mutina literæ adveniunt; Cæſarem Ducem, neque puellam recipere, neque ſi recipiat, ulla ſe conditione obſtringi velle. Itaque re infecta, puella ex Goiti vico, ubi cum matre morabatur, Mantuam defertur. Sabaudiæ Princeps, una cum ſorore, Auguſtam Taurinorum recta contendit. Vix Mediolanum pervenerant, cum Inojoſæ marchio, veredario cum literis Mantuam miſſo, a Cardinale petit, ut filiolam Mediolanum deduci curet; matrem eam ibi præſtolaturam. Negat Cardinalis; gubernator Didacum Levam Mantuam proficiſci jubet, qui Mutinam puellam mitti flagitet; Cæſarem Eſtenſem legibus iis ac conditionibus, in quas ipſe Mantuanus conſenſerat, recepturum. At ipſe jam ſe promiſſa impleviſſe, rebus immutatis, conſilia quoque mutaſſe, neque puellam Mutinam miſſurum affirmat; ſtatimque Diocæſareæ Epiſcopum, qui ſui conſilii rationes gubernatori ac viduæ exponat, Mediolanum mit-

1613

Pacta inter Sabaudum & Mantuanum a Gallo oratore improbata.

Ferdinandus Dux a pactis recedit.

Sabaudiæ Princeps cum ſorore Auguſtam Taurinorum contendit.

Diocæſareæ Epiſcopus a Mantuano Mediolanum mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 mittit. Ea re mirum in modum incitatus Allobrogum Dux, pollicita Cardinalem non præstitisse, datam fidem fefellisse, acriter conqueritur. Cumque neque puellam recipere, neque aliquam, uti petebat, Montisferrati partem obtinere posset, alia sibi via incedendum statuit. Kalendis maji improviso Albam, Trinum ac Montem Calvum, Montisferrati oppida, tormento bellico (quod *petardum* vocant) aggreditur, imparatis, atque nihil ejusmodi oppinantibus incolis, potiri se iis posse ratus. Sed cum irrito eventu res cessisset, statim duorum millium peditum copiis, quas secum ductaverat, oppida adortus, Trinum ac Montem Calvum nullo negotio occupat.

Sabaudiæ Dux Montisferrati ditiones invadit.

Hoc Allobrogi facto Itali omnes Principes, ac præcipue Veneti, vehementer commoti sunt: *Pacem, qua per tot annos Italia floruerat, abruptam: tranquillitatem publicam, pro qua servanda adeo solertes excubuerant, interturbatam: ex his initiis ingentia christianæ reipublicæ mala portendi.* Itaque, ut tot incommodis prospiceretur, nihil omittendum rati, Pontifici, quæ acciderant, per Thomam Contarenum, legatum, significant; hortantur, flagitant: *initiis obstet, ne latius serpere virus sinat, ne suo in pontificatu Italiam bello conflagrare permittat: exteras gentes Italicæ felicitatis invidia ad eam, uti tutissimam ac prædivitem prædam, diripiendam confluxuras: Ecclesiæ hostium atque hæreticorum colluvione provinciam istam exundaturam: summa ejus auctoritate ad tot pericula cladesque avertendas opus esse; qua ut quamprimum uti velit, Senatum petere, obsecrare: eo nil vel christianæ reipublicæ utilius, vel ad suam in omnem posteritatem propagandam memoriam illustrius accidere posse.* Eodem officii genere cum Cæsare, Galliæ ac Hispaniæ Regibus utuntur: *Cæsaris præsertim dignitatis interesse, pacem in Italia retinere; ne, ea turbata, christiana universa respublica in summum discrimen adducatur; atque arma, quæ in Turcas, communes christiani nominis hostes, vertenda forent, in nostra viscera adigantur: Mantuanum Principem iis ditionibus exutum, quas illius beneficio obtineat: neque quidquam adversus eum committi posse, quin noxa ad Cæsaris majestatem attineat.* Hispaniarum quoque Regi commemorant: *Semper illum majorum suorum, Caroli quinti imperato-*

Venetorum pro pace officia.

ratoris, ac magni inclitique Philippi patris exempla sequutum, Italiæ pacis cupidum ac studiosum exstitisse; iisdem cum Republica ad eam servandam consiliis usum fuisse; quæ sane cum hoc tempore ob ea, quæ a Sabaudo gesta sint, in maximo periculo versetur, illius egregiæ virtutis, prudentiæ ac pietatis esse, ne ulterius irrepere hujus incendii flammas, sed statim restingui atque opprimi curet, ne, latius diffusis, cuncta in hac provincia permiscentur. Georgio Justiniano, in Gallia legato, injunctum, quo statu res Cardinalis nepotis sint, Reginæ ostendat, eamque ad illius patrocinium acriter suscipiendum impellat. Quin etiam per Andream Surianum, Senatus scribam, ad pacem retinendam, motusque quamprimum comprimendos, Mediolani gubernatorem hortantur. 1613

Verum interea Sabaudus, Trino ac Monte Calvo occupatis, Albam aggressus, nullo negotio obtinet; nemine obstante, ferro cuncta depopulatur, captivos prædasque agit, tanto incolarum terrore, ut in fuga salutem tantummodo ponerent: quæ eo graviora videbantur, quod ab efferato milite absque discrimine, nullo numinis metu, cuncta profana sacraque miscerentur. Pontifex licet in pacem propensus, tamen cunctando nullam præsentem rebus opem ferebat, vel quod Hispanum confideret, Allobrogem ad ea, quæ occupaverat, Mantuano restituenda coacturum; vel quod, ni Principes flammas alerent, cito fore, ut conciderent, speraret; vel demum, quod suavi quodam genio atque a magnis rebus suscipiendis averso retardaretur. Quamvis vero plerique existimarent, Hispanos a pace in Italia turbanda alienos esse, attamen non deerant etiam, quibus parum credibile videbatur, Carolum arma in Mantuanum, nisi Hispanorum & Gallorum mente perspecta, intulisse. Verumtamen Sabaudus Hispanos dubia cum Batavis pace, Germaniæ negotiis districtos, Regem sibi affinitate conjunctum, Mendozzam gubernatorem multis sibi beneficiis devinctum noverat. Gallos in varias factiones distractos, nutantem regni concordiam, Reginam non in alias regiones arma ciendi, sed in proprio regno pacis retinendæ servandæque percupidam. Itaque indies majora Carolus moliebatur, perfacile suos fines, nullo adhuc obsistente, protendere posse ratus. Eoque majore animi impetu

Trinum & alia oppida a Sabaudo occupata.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 petu ferebatur, quod a Verruæ & Vito ſancti Georgii comitibus, atque Iſidoro, Barnabitarum religioſorum ordinis, impelleretur, quorum ſane, Sabaudum Montisferrati regiones obtinere, haud parum intererat. Nam Verruenſis ab uxore, dotis nomine, Callucii marchionatum adeptus, qui ab agnatis feminæ lege petebatur, nondum, Franciſco Caroli genero vivente, lite dirempta, ne, controverſia agitata, cauſa caderet, verebatur. Vitus vero, ſancti Georgii comes, Cardinali ſubjectus, ſemper in Mantuanos Principes infenſus, inter arma a cervicibus jugum eorum excutere proclive ſibi rebatur fore. Iſidorus (ut nunquam hominum certos inter cancellos continetur ambitio) aſſentatione ſibi Caroli animum conciliare adnitebatur, ſummas inde, ut ſperabat, eccleſiaſticas dignitates aſſequuturus. Joannes Mendozza per Alphonſum Quevam, Philippi legatum, quæ a Sabaudo acta fuerant, ſibi diſplicuiſſe, nihil Italica pace Regi, nihil ſibi antiquius eſſe: ut occupata Mantuano quamprimum reſtituerentur, curaturum, Senatui ſignificabat.

At Carolus, partim ex ſuis ditionibus, partim e Burgundionibus, atque Helvetiis accitis copiis, quas viginti peditum millium numerum æquare ferebatur, quibus duo millia circiter equitum adjungebantur, excurſiones agere, agros depopulari, Montisferrati incolas ærumnis omnique malorum genere afficere pergebat. Cardinalis Europæ Principes in auxilium accerſere; Pontificem, uti reipublicæ chriſtianæ atque Italiæ pacis cuſtodem, a quo purpureo galero donatus fuerat, rogare; ab Hiſpaniæ Rege, imperio & viribus in Italia præpotente, ne ſe a genero opprimi ſineret, flagitare; Galiæ Reginam cognatione conjunctam, ad præſentem opem ſibi ferendam, urgere; ad Cæſarem, cujus beneficio Mantuam Montiſque ferrati ditiones obtineret, confugere; a Venetis conſilium atque auxilium poſcere. Sed præcipuæ illius ſpes in Republica ſitæ videbantur; neque illum ſpes fefellit. Nam Veneti pacis in Italia retinendæ percupidi, ni cito cuncta in priſtinum ſtatum redigerentur, ingens bellum exoriturum rati, cum antea nullum officii genus in communi Italiæ cauſa prætermiſiſſent; tandem frequenti Senatu certiora ſubſidia Mantuano exhibenda eſſe decrevere; uno tantum Antonio Bra-

Senatus decretum de Mantuano Duci ſubveniendo.

Bragadeno contradicente, aliorumque Principum prius exploranda conſilia, menteſque pernoſcendas eſſe dictitante: atque, ut ære publico peditum trium millium ſtipendium Cardinali perſolveretur, latum. Statimque Antonius Maria Vincentius, a Senatus ſecretis, qui decreta auxilia ſignificaret, pecuniam ferret, atque apud eum moraretur, Mantuam miſſus. Cardinalis per litteras, perque Paulum Surdium, ac Jacobum Arci Principem Venetias miſſum, ingentes atque immortales gratias Senatui egit, quod eximia liberalitate ſe ſuoſque poſteros inſueto atque immortali beneficio devinxiſſet. Coſmus quoque, magnus Hetruriæ Dux, Mantuano, cui affinitare junctus erat (ex ſorore enim Ferdinandi ejus patris ortus fuerat) quacumque ratione ſuffragari ſtatuit, duorumque peditum millium Franciſci fratris imperio, Franciſci Montii ductu, ſubſidio mittere decrevit. 1613

Antonius Maria Vincentius Mantuam a Senatu mittitur.

Coſmus Hetruriæ Dux Mantuano auxilia mittit.

Veneti in ea belli ſuſpicione oppida atque arces exactius communire, copias cum Italo tum externo milite augere ſtatuunt. Ut tria peditum Italorum millia, Epirotæ mille, totidem Corſi conſcriberentur, decretum. Aſulæ Franciſcus Molinus, qui nuper in Adriatico ſinu claſſis præfecturam obtinuerat; Urceis novis Auguſtinus Michaelius, qui e Cretæ prætura redierat, præficiuntur; Marcus Bragadenus, Marci Antonii filius, Bergomum; Petrus Bondimerius Cremam præfecti mittuntur; Antonius Priolus, Eques ac Marcius Procurator, continentis cum ſummo imperio legatus renunciatur. Cardinalis interea ad Sabaudi impetum excipiendum ſe comparat; undique milites cogit; in Montisferrati ditionibus mille, totidem in Mantuanis pedites, quingentos loricatos equites Reipublicæ ære conſcribit; Vincentium fratrem Caſali, quæ præcipua munitiſſimaque ejus regionis arx atque propugnaculum eſt, præficit. Per eos dies cum Henricus Nivernenſis Dux, qui Gallia digreſſus, ſororem, Virginii Urſini filio deſponſatam, Florentiam deducebat, Amphipoli de iis, quæ in Subalpinis acciderant, cognoviſſet, remque ad ſe, quod Cardinali affinis, atque Gonzaga domo ortus eſſet, attinere ratus, quinquaginta ex Gallica nobilitate lectis patus Caſale ingreditur.

Veneti præfectos ad urbium cuſtodiam eligunt.

Antonius Priolus, legatus cum imp. in continenti.

Henricus Nivernenſis Dux Caſale ingreditur.

Interea, dum exortæ inter Carolum & Cardinalem contro-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 troverſiæ, armorum tractatione recrudeſcerent, in Illyrico poſt ea, quæ Viennæ inter Cæſareos ac Hieronymum Superantium convenerant, Uſcochorum motus denuo erupere. Prædæ ex turcicis ditionibus ablatæ, perque Sicenſem agrum Venetæ ditionis delatæ; inſulæ, pagi, incolæ multis incommodi affecti; per Adriaticum ſinum de Turcarum exuviis trophæa acta: quæ ſane & potentiſſimum Regem in Venetos incendebant, & ſubjectos Reipublicæ miris modis vexando, prope ad deſperationem adigebant. Nuper vero, adverſus ea, quæ cum Cæſare pacta fuerant, quadringenti cum lembis duodecim Sennia egreſſi, per Adriaticum ad Caſtrum novum delati, Turcarum vicos aliquot incenderant, haud exiguam prædam, centumque ac viginti captivos retulerant. Ea de re cum ad Paſchalicum legatum nuntii perveniſſent, ne impune Uſcochos libere per Adriaticum debacchantes pateretur, Joannem Dobrovichium, Sicenſem præfectum, cum lembis duodecim Epirota milite armatis, qui eorum audaciam coerceret, neve ditionibus Venetis moleſtiæ quidquam afferri ſineret, emittit. Is ad divi Georgii Phari inſulæ promontorium Uſcochos offendit. Extemplo acerrima pugna cooritur, internecino gentium odio ac rabie uſque ad noctem perducta, in qua Epirotæ, Uſcochis ſexaginta interfectis, tribus lembis captis, ex ſuis octo tantum deſideratis, paucis vulneratis, victores exſtitere, decem atque octo captivos in libertatem aſſeruere, prædam abſtulere. Hoc eventu efferati piratæ, vindictæ inhiantes, paucos poſt dies in Mandra, Pagi inſulæ portu, Chriſtophori Venerii triremem negligentius cuſtoditam, improviſo adorti, in ſuam poteſtatem redigunt; claſſiarios obtruncant; quotquot ea vehebantur, interficiunt, atque in his Lucretium Graviſium, equitem, Petræ piloſæ comitem, Juſtinopolitanum, qui una cum nepote ære publico merebat; trierarchum capiunt; remiges ad tranſtra ablegatos, vinculis eximunt; triremmque ipſam cum bellicis tormentis Senniam perducunt.

Uſcochi denuo prædas abigunt.

Chriſtophorus Venerius cum triremi captus ab Uſcochis trucidatur.

Hæc cum Venetias perlata eſſent, ingenti moleſtia civitas affecta eſt; Patres mirum in modum commoti; qui eo acrius accendebantur, cum paulo poſt fuit allatum, captivum trierarchum ad Liburniæ litora prope Senniam a prædonibus ductum fuiſ-

fuiſſe, ibique in eum omnia diræ atque inauditæ crudelitatis 1613
ac ludibrii exempla edita: abſciſſum caput, tranſverberatum pectus, avulſum, aſſatum, comeſtum cor, cadaver in mare projectum, caput ipſum, dum vino ſe ingurgitant, in menſa propoſitum: quibus cognitis, civitas tota cohorruit. Senatus, ne immania ſcelera inulta relinquerentur, enitendum maxime exiſtimabat; ſed quominus in id omnes Reipublicæ vires effunderet, ratio temporum obſtare videbatur, dum in Italia ingentia bellorum ſemina in dies incrementa majora ſumerent. Itaque Philippum Paſchalicum, legatum, triremibus, lembis, milite coactis, Senniam proficiſci, illam obſidione cum circumjectis locis premere, piratas perſequi, ubicumque invenerit, inſequi, plectere, interficere, nulli parcere jubet: ab oppidis tantum Ferdinandi Archiducis & Cæſaris invadendis abſtineat. Ea enim erat Patrum ſententia, ut piratarum licet ſæviſſimorum cauſa, nulla ex parte cum Principibus Auſtriacis vetus amicitia, ſi fieri poſſet, interturbaretur. Itaque etiam officiis agendum cenſuere. Ad Cæſarem atque Philippum datæ literæ, quibus, quæ impie a piratis perpetrata fuerant, ſignificabantur. Cæſari pacta cum Superantio legato, quæ a Republica in ejus gratiam acta fuerunt, memorabantur: in immenſum prædonum audaciam, damna, contumelias excreviſſe; in patricium hominem eo necis genere ſævitum, quo nullum ſceleſtius, tetrius, truculentius, re excogitari quidem poſſit. Enim vero tantum pacis publicæ ſtudium in Senatu vigere, ut intolerandis hiſce malis ab eo opportuna remedia adhibenda aliquando tandem non deſperet. Trierarchi caſum Imperatricem illachrimabilem fertur. Philippo eadem Senatus juſſa per Petrum Priolum expoſita: ac licet efferatiſſimorum hominum facinora Principes deteſtarentur, & perhorreſcerent, tamen nihil ab iis, quo tantorum ſcelerum ſtirpes exſcinderentur, agebatur. Senatus interea Paſchalicum legatum Corſos milites retinere, ex Epiro mille, ex Croatia quingentos conſcribere mandavit; ut ei quamprimum lembi viginti mitterentur, decrevit, quo ſupplemento auctus acrius perſequendis inſectandiſque prædonibus inſiſteret. Paſchalicus ſtatim, iis cognitis, quæ in Pagi inſulæ portu acciderunt, cum triremibus ſex, duobus ac viginti

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 ti lembis, milite egregie inſtructis, nec non etiam Adriatici ſinus præfecti, quem ad ſe vocaverat, triremium manu, nihil, quo de prædonibus pœnas ſumeret, omittebat.

Ineſoſæ Marchio in Inſubribus milites cogit.

Ceterum quem exitum in Italia exorta diſſidia eſſent habitura, difficile admodum conjectari poterat. Joannes Mendozza palam profitebatur, ni Sabaudus occupata in Montisferrati ditione oppida Mantuano ſponte reſtitueret, vi & armis coacturum: atque ob id Germanos ſex mille totidemque Helvetios conſcribi juſſerat; e Gallia Ciſalpina milites cogebat, Hiſpanos e Neapolitano regno Genuam trajicere permitti, a Neapolitano Prorege poſtulabat. Attamen mora ac cunctatione ſingulos diſtinebat, atque haud exiguam ſuſpicionem cunctorum animis injecerat, ne callido aſtu proferendis Inſubrum finibus inhiaret, atque occulta cum Allobroge, cujus beneficio, ut diximus, ſancti Germani marchio creatus fuerat, conſilia iniviſſet. Quinimmo ſatis conſtanti fama ferebatur, Carolum, quæ de Montisferrati occupandis oppidis meditabatur, antea eidem ſignificaſſe. Quæ vero de Gallorum auxiliis afferebantur, Laodigherium nempe copias cogere, atque alpes brevi, ut Mantuano ſuppetias ferret, tranſgreſſurum, minora vel fama vel expectatione erant. Conſtans enim apud pleroſque opinio erat, matrem Reginam, penes quam adminiſtratio regni erat, in eo tantum curas omnes atque conſilia defixiſſe, ut filio impuberi, nec dum per ætatem ad gubernacula idoneo, regnum nullis bellorum turbinibus implicatum, in ſumma tranquillitate ac quiete conſervaret. At Pontifex a Senatu, qui imminentem Italiæ procellam avertere nitebatur, ſæpius de rerum ſtatu per Thomam Contarenum certior factus, ut Mantuani cauſam tueretur, atque Allobrogem ſua auctoritate ad quietiora conſilia rediger et, adduci non poterat; cum, in neutram partem inclinando facilius diſſidia ſe compoſiturum, affirmaret. Quocirca Maximum, Bretinori Epiſcopum, ad Mendozzam & Carolum miſerat, ut pro controverſiis ſedandis operam ſtudiumque impenderet. Cæſar vero Franciſcum Caſtilionis Regulum ad Sabaudum legaverat, qui, ni ſtatim Mantuano adempta reſtitueret, imperiali proſcriptioni ſubjecturum, denunciaret. At Carolus mira diſſimulatione Caſtilioneum fruſtrari, moras nec-

Maximus Bretinori Epiſcopus, ad Sabaudiæ & Mendozzam legatus.

Franciſcus Caſtilionis marchio, Cæſari, legatus ad Sabaudum.

nectere. Ille, vel quod parum in Mantuanum propenſus eſſet, vel quod Sabaudi offenſam vereretur, inanibus verborum ambagibus tempus terere. Neque vero Carolus, ut aliqua ratione, modo ſuo compendio controverſiis finis imponeretur, id abhorrere viſus fuerat, cum inſueto exemplo, atque ab illius animo ſublimi alieno, Victorium Principem Mediolanum miſiſſet; qui cum viginti dierum ſpatium, quo in Hiſpaniam proficiſci, Regemque de rerum ſtatu docere poſſet, petiiſſet, neque a Mendozza impetraret, eo adducebatur, ut Princeps puella Mediolanum, quo Taurino mater accederet, mitteretur: ipſe interim gubernator in ſe omnia Allobrogum jura atque oppida controverſa reciperet. Sed Mendozza, ni adempta primum reſtituantur, ſe quidquam acturum negare; Italis Principibus eo facto ſuſpiciones injicere nolle; a Carolo oppidis Mantuano non reſtitutis, quamprimum in aciem egreſſurum, armiſque coacturum. Itaque re infecta Princeps in Hiſpaniam citatis itineribus profectus eſt, ut, quibus permotus pater Mantuani oppida in ſuam poteſtatem redegiſſet, Philippo exponeret, ſuamque apud avunculum cauſam tueretur.

1613

Victorius Sabaudiæ Princ. in Hiſpaniam proficiſcitur.

Interea Carolus, cum de Senatus conſulto, quo Cardinali auxilia decreta fuerant, certior eſſet factus, mirum in modum excanduit, acriterque cum Vincentio Guſſonio, Reipublicæ legato, eſt conqueſtus: *Numquam ſibi in animum inducere potuiſſe, Senatum veteri amicitia, benevolentia, officiis cum Allobrogum familia junctum, in cauſa, quæ nihil ad eum pertineat, ſuis boſtibus favere voluiſſe: non id Patris majorumque in Rempublicam obſervantiam, non vetuſta neceſſitudinis jura, non arduis in rebus difficillimis temporibus navatam Reipublicæ operam promerita.* Inde gravius commotus, *Injuriam minime inultam paſſurum; tantum ſibi ſpiritus, tantum virium eſſe, ut & ſuis rebus proſpicere, & alienum repellere contumelias poſſit; neque ſe ulla ratione cogi paſſurum: ſi ea mente Senatus ſit, ut Mantuanum juvare, neque conſultum reſcindere velit, jam fruſtra apud ſe legati munere fungi: acto proinde dierum ſpatium largiri, quo tempore de Senatus ſententia certior fiat: gravius ſane in illum ſtatuere poſſe; attamen ne penitus veteris amicitiæ obliviſcatur, temperare voluiſ-*

Sabaudiæ Ducis ob Victorium ad Mantuanum ſubſidia perturbatio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 *luiſse; viderit ipſe, ne, ſi diutius ſuperſederit, moleſtum ei quidpiam contingat.* Hæc atque alia iracundia percitus Carolus effudit. At Guſſonius a ſenatoria gravitate non recedens, placido vultu alloquitur: *Nihil cauſæ eſſe, cur ita commoveatur, ſi Reipublicæ mentem vetuſque illius pacis ſtudium animadvertat: Senatum non odio aut malignitate permotum, ſed boni publici ratione ductum, Mantuanum, amicum ac finitimum Principem, juvare decreviſſe: non ſecus, ſi opus eſset erga illum facturum: quid enim Italiæ tranquillitati, quid Principum decori ac libertati utilius, quam ut cuncti ſuis contenti, in commune bonum conſpirent, neque ea, quæ jure definiri poſsunt, armis, cæde, ſanguine dirimantur, infirmioreſque a potentioribus opprimantur? Huc Venetorum conſilia, huc conſulta ſpectaſse; neque quidquam Senatum cupere, nihil petere, niſi ut arma abjiciantur, amice diſſidia componantur, pax, qua per tot annos Italia floruit, conſervetur.* Multa utrimque in eamdem ſententiam dicta. Guſſonius cum per veredarios omnia Senatui ſignificaſſet, ſtatim diſcedere juſſus eſt. Ante diſceſſum Cardinalem, Caroli filium, alloquutus, perhonorifice ab illo exceptus, in ejus oculis atque ore haud obſcura mœroris indicia deprehendit: ſtatimque ſecundo Pado ad turbem reverſus eſt.

Vincentius Guſſonius a Sabaudica legatione diſcedit.

Sabaudus & Mantuanus ſua jura ſcriptis promulgant.

Cum vero Sabaudus, uti publicæ pacis perturbator, acerrime carperetur, quod improviſo Itali Principis ditiones armatus invaſiſſet, opida cepiſſet, flammam, Italiam univerſam correpturam, aleret: purgare ſe ſtatuit; atque ſcripto typis vulgato, quæ illum ad arma capienda moviſſent, expoſuit: multa inſuper de veteribus Allobrogum Principum in Montisferrati marchionatu juribus adjecit. Quibus ſane Mantuanus acerrime reſpondendum curavit, & quanta injuria Carolus ditionem ejus aggreſſus, oppida cepiſſet, agros invaſiſſet, ſubjectos vexaſſet; quam importune in Montisferrati imperio jam intermortua jura excitaret, reſcripto edito, patefacere nitebatur. Dum hæc fierent, Franciſcus Caſtilioneus ac Bretinori Antiſtes de pace agebant. Licet enim jam Cæſar fecialem, qui Sabaudo imperialis proſcriptionis diploma indiceret, in Italiam miſiſſet; attamen Caſtilioneus minime rem urgebat, neque in Cæſaris mandatis exequendis vigorem ullum

ullum animi oſtentabat. Quinimo Mendozza novas firmandæ pacis conditiones meditabatur; atque in id convenerant, ut oppida Mantuano reſtituerentur, puellaque Mediolanum mitteretur, ubi cum matre maneret, neque inde niſi Cæſare & Mantuano volente amoveretur: ſeparatimque a Mendozza ac Caſtilioneo ſyngraphis ea de re confectis, tertiam cui Cardinalis ſubſcriberet, Mantuam deferendam curaverant. At Cardinalis, re cognita, quod ſe inſcio ſyngrapham ejus nomine conſcripſiſſent, vehementer conqueſtus, ab ea concordiæ ratione abhorrens, filiolam dimittere nolle, atque a Sabaudo illata ſibi damna ſarciri velle, affirmabat. Neque feliciore eventu, quæ a Maximo, Bretinori Epiſcopo, agitabantur, ceſſere. Cum enim ultro citroque Mediolano Taurinum, Taurino Mantuam commeaſſet, eas concordiæ conditiones proponebat, quas haud parum Cardinalis averſabatur. Primum enim penes Pontificem oppida deponi, ejus milite obarmari, deinde ab Allobroge ac Mantuano arbitros deligi, quibus menſis ſpatium ad controverſias dirimendas tribueretur, poſtulabat. Sed cum dura ea nimium atque prorſus aſpera, viderentur, eo delabebatur, ut depoſiti loco in Pontificis, Cæſaris, Galliæ atque Hiſpaniæ Regum poteſtate oppida eſſent; eorum voluntati ac ſententiæ controverſiæ, intra menſes quatuor definiendæ, permitterentur; ſtatimque Cardinali occupata reſtituerentur. At nullam conciliandæ pacis rationem, niſi prius ſibi adempta traderentur, Mantuanus admittebat: æquum non eſſe, ut, qui indigne adeo affectus fuiſſet, is ſui honoris exiſtimationiſque obliviſceretur; eam ad extremum uſque ſpiritum retenturum: oppidis receptis, atque de illatis damnis ſarciendis ſponſione facta, tum de reliquis agi paſſurum, ſeque pacis cupidiſſimum ac ſtudioſiſſimum eſſe patefacturum.

1613 *Tractationes inter Sabaudum & Mantuanum de pace.*

Carolus, ut diximus, Trino, Alba ac Monte Calvo cum arce una potitus, totius fere Montisferrati ditionem in ſuam poteſtatem redegerat. Nullum detrimenti genus excogitari poterat, quod miſerrimi incolæ non experientur; quibus Itali omnes hæc audire, nedum perpeti aſſueti, adeo commovebantur, ut jam innumeras florentiſſimæ provinciæ portendi

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 calamitates, tacita animi præsensione, vaticinarentur. Quæ res cum Senatum, pacis & catholicæ religionis studiosissimum, maxime angerent, ea Pontifici, ut religionis Principi, significari curabat, ut tandem acrioribus ac vehementioribus remediis, cruento jam atque hianti vulneri mederetur. Atque ad divinum numen superosque propitiandos, ut in aurea basilica *quadraginta*, quæ vulgo dicitur, *horarum* celebraretur *oratio*; circa forum publicæ supplicationes haberentur, decrevit, quibus Princeps cum Senatu, pacriciis cunctisque civitatis ordinibus triduo interfuit. Carolus Niceam, quam Palearem vocant, oppidum munitione situque valde opportunum, aggreditur; tormentorum ingenti impetu quassare mœnia tribus e regionibus incipit; sibique aditum per murorum strata facere nititur. Niceæ præerat Manfredinus, Castilione oppido ortus; qui cum se ad tuitionem egregie comparasset, improviso milites tumultu excitato, deditionem moliuntur. Ipse repentino motu haud quaquam perculsus, unius supplicio, quem statim suspendi jussit, reliquos coercuit; hostes, discluſis portis, ad pugnam conserendam provocavit; septingentosque hostilium tormentorum globos collectos, militari fastu, Cardinali se exhibiturum jactabat. Ex oppido crebræ eruptiones, non absque Allobrogum cæde fiebant; cum eodem tempore Carolus acri obsidione Mantuanos premere niteretur; atque pari oppugnantium ac propugnantium ardore, penes quos victoria futura esset, difficile conjectari poterat. Cardinalis Mendozzæ subsidiis, Gallorum promissis nitebatur. Ille summa adseveratione in ordinem Sabaudum redacturum affirmabat. Hos summo studio milites cogere, Laodigherium cum peditum decem millium numero cito alpes transgressurum, multis nuntiis afferebatur. Verum cuncta concepta spe minora evadebant: Mediolani gubernator negligentius agere; Laodigherius promissis alere; ambo tempus extrahere: quæ sane Carolo spiritus addebant, animumque militari virtute ac imperii cupidine per se incensum, acrius incitabant; cum a Mendozza nihil sibi verendum existimaret, Gallosque in regni retinenda pace solicitos, arma in Italiam minime illaturos confideret.

Nicea palearis a Sabaudo occupatur. Manfredinus Castilioneus Niceæ præsidii præses.

Vincentius, Ducis Mantuani frater, qui una cum Carolo Ru-

Rubeo, Ferdinandi Reipublicæ tormentorum præfecti filio (is 1613
Cardinalis copiis præerat) ac Nivernensi Duce Casali morabatur, obsessis opem ferre statuit; atque eodem tempore crebris & literis & nuntiis Mendozzam exhortatus, tandem, Asculano Principe præfecto, quinque peditum millia, quorum Hispanorum duo, tres Cisalpinorum erant, Montisferrati ditiones proficisci jusserat; quæ si Mantuanis jungerentur, haud dubium erat, quin & Niceæ subsidia inferrent, & ad obsidionem solvendam Sabaudum compellerent. Sed Franciscus Castilioneus Vincentio, ut ab armis supersedeat, significari jubet: inter pacis, quæ agitabatur, negotia, vi minime esse agendum. Eo audito, negat Vincentius, quod Castilioneus cuperet, facturum; sibi immotum esse, suppetias obsessis ferre: haud exiguam Asculano Principi eo facto notam inustum iri. Neque ob id cessat Castiloneus; sed ut in Cæsaris potestate oppida permittantur, omnibus ingenii nervis contendit. Verumtamen, jam Asculano in Montisferrati ditiones profecto, Vincentius Niceam cum exercitu ingreditur. Vitus, sancti Georgii comes, ac Verrua, Allobrogicarum copiarum præfecti, cum Asculano significassent, se regiis vexillis obsistere nulla ratione velle, ad Canellium oppidum, Nicea tribus circiter passuum millibus, se recipiunt. Costans opinio fuit, Hispanos, quæ Mantuano loca Carolus ademerat, nullo negotio obtinere, atque gravius in eum animadvertere potuisse, cum præsertim non absque trepidatione Montem Calvum Sabaudi deserere cœpissent. At cuncta ita in eo tumultu administrata fuerant, ut potius Allobrogis partes tueri, quam Mantuano favere (uti vulgaverant) viderentur; palam Asculano dictitante, se nihil, nisi Mendozza jubente, adversus Carolum tentaturum.

Asculanus Princ. Montisferrati ditiones ingreditur.

Itaque cunctatione negotium protrahebatur, manifesteque apparebat, Mendozzam ex Hispania jussa Regis expectare; quæ tandem mense junio, Alphonso Varga a Rege in Italiam misso, delata sunt: ea vero ejusmodi erant, ut, ni statim Carolus oppida Cardinali restitueret, vi armisque compelleretur. Mendozza illico cum Philippi literis Franciscum Padiliam ad Sabaudum mittit; quem, cum paucos dies moratus esset, tandem cum eo responso dimisit, ut, se Regi obtemperaturum diceret;

Alphonsus Varga Philippi Regis mandata ad Mendozzam affert. Franciscus Padilia a Mendozza ad Sabaudum mittitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 ceret; licet eodem tempore acrius in copias cogendas incumberet, neque Mendozza quidquam ad exercitum augendum prætermitteret, nuper ex Neopolitano regno Hiſpanis militibus receptis. Quæ ſane haud exigua ſuſpicione Principum animos repleverant, quonam, concordia icta, tot belli apparatus dirigerentur: pleriſque Caroli Hiſpanorumque ſociatis armis Italiæ quietem turbandam; aliis turbinem in ditiones Venetas disjiciendum arbitrantibus. Quæ Senatum permovere, ne imperii ſubjectorumque patrocinio defuiſſe videretur, ut duo peditum millia eorum, quos *moſchettos* vocant (eſt id fiſtulæ ferreæ amplioris formæ genus) a decem præfectis conſcribi, ac reliquis copiis adjici; Priolumque, cum ſummo imperio legatum, qui nondum diſceſſerat, in continentem proficiſci juberet. Sed tandem tertio kalend. julii Carolus Trinum, atque exinde alia oppida Mantuano reſtituit; in id pactionibus ſcripto exaratis, in quibus ſummi Pontificis ac Cæſaris mentio fiebat; Maximique Bretinori Epiſcopi; nec non Franciſci Caſtilionei, Cæſaris procuratoris, nomina inſcripta fuerant. Ea oppida apparatu bellico penitus exhauſiſſe, tormenta bellica aſportaſſe, abſtuliſſe, Carolus ferebatur. Oppidis reſtitutis, Galli, qui in Italiam venerant, in Galliam revertuntur. Copiæ, quas in Italiæ finibus a Laodigherio coactas fama retulerat, dimiſſæ, non abſque bellicoſiſſimæ Gallicæ gentis nota, quod Principi arcta neceſſitudine Regi juncto afflictis rebus, difficillimo tempore, opem non tuliſſet; atque eorum, quæ ſuperioribus ætatibus in Italia præclara geſſerat, oblita penitus videretur. Florentini quoque, qui Franciſci Medicei, Magni Ducis fratris, Cardinali militaverant, in Hetruriam ſunt profecti. Philippus vero, qui Victorium, Allobrogum Principem, Barcinone delatum, Cæſareæ Auguſtæ ſubſiſtere juſſerat, ac niſi prius patrem, quæ Mantuano ademerat, reſtituiſſe cognoviſſet, ad ſuum conſpectum admittere noluerat; tandem, cum Carolum obtemperaſſe, intelligeret, Madritum profectum humaniter, uti ex ſorore nepotem, excepit.

Sabaudus Mantuano demptа oppida reſtituit.

Ceterum, quod ſæpe contingit, ut e favillis, quæ extinctæ credebantur, major incendii flammarumque acrior vis interdum erumpat, id in hiſce inter Sabaudum ac Mantuanum diſſidiis acci-

accidit. Receptis namque oppidis, Cardinalis damna ſibi illata ſarciri petebat; atque, quo minus in perduellionis reos animadverteret, impediri nolebat. Contra Carolus, pace parta, reliqua ſilentio involvi tegique, æquum eſſe contendebat. *Cur enim damna ſarciret, quæ, dum ſuis rationibus proſpiceret, illata fuerant? cur eos qui ſibi militaverant, vitam periculis objecerant, aliorum iracundiæ ac fortaſſe crudelitati objiceret?* Ad hæc Cardinalis, *conſentaneum non eſſe, ut impune a Carolo directa oppida, vaſtatos agros, bonis incolas exutos pateretur, ipſe in perduelles lege agere non poſſet, dum jura, quæ in ſuis ditionibus habere Carolus dictitaret, Carolo illibata atque intacta manerent.* Mendozza Sabaudo aperte favebat: *male, quæ pro Mantuano tuendo a Philippo acta fuerant, pendi: niſi in rebus, quæ minimi momenti ſint, Regi obtemperaret, niſi de ſententia decederet, armis coacturum* minari. Sed cum Caſtilioneus Mediolanum profectus, vim Italis Principibus adhiberi, Cæſaris nomine graviter conquereretur, ab eoque ſe mandata habere diceret, quibus Sabaudum ac Mantuanum in jus apud ipſum vocaret; tunc Mendozza a vi miniſque ad cohortationes preceſque converſus, Mantuanum, inquit, rogari oportere, ut Hiſpaniarum Regi, de ſe optime merito, morem gerat. Interea Helvetiorum miſſionem de militaris conſilii ſententia decretam abrogat; qui cum profectionem pararent, divenditis armis, nudi atque inermes viſebantur. Carolus quoque quotidie novis conſcribendis militibus incumbebat. At Mantuanus quantum poterat, officiis nitebatur, rationeſque ſuas Cæſari, & Regibus exponi ſtudebat. Fredericum quoque Gonzagam per eos dies oratorem Venetias miſerat, qui (quod nondum præſtare armorum tumultu potuerat) ſuam in Mantuano imperio ſucceſſionem Patribus ſignificaret; ingentes pro acceptis beneficiis gratias ageret; de Marci Antonii Memi, Principis, qui Leonardo Donato ſuffectus fuerat, ſuprema in Republica dignitate gratularetur: quo loco ſuæ res eſſent exponeret. Gonzaga aureo torque a Senatu donatus fuit: Joannes Amulius, qui gratulationis munus obiret, ad Cardinalem legatus eſt deſignatus.

1613 *Diſſidia inter Sabaudum & Mantuanum denuo oriuntur.*

Federicus Gonzaga a Mantuano Venetias miſſus.

Joannes Amulius, ad Mantuanum orator.

Dum hæc fiunt, Mediolani de damnis ſarciendis, deque per-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 perduellibus puniendis agitabatur. Miſſi utrimque, qui cum Mendozza agerent; a Mantuano Annibal Ceppius, a Sabaudo Aloyſius Cribellus. Poſt multa in id tandem Mantuanus devenit, ut controverſiæ omnes a Cæſare ac Hiſpaniarum Rege dirimerentur, quibus cum aſſentiri initio Mendozza videretur, jam omnes rem confectam arbitrabantur. Sed vel ſibi non conſtans, vel Carolo gratificandi ſtudio, cito a priore conſilio diſcedens, eo relabebatur, ut Mantuanus vel a ſententia decederet, vel integram rem ſibi permitteret: ſi ſecus faceret, vim adhibiturum, copiaſque ſuas in Monferratenſi agro hiemare juſſurum. Tempus Cardinalis petebat, donec ſuæ cauſæ rationes a Philippo expenderentur; certo enim ſe ſcire ajebat, iis inſpectis, mutata ſententia, Regem æquis poſtulatis adſenſurum. Verum cum acrius a Mendozza urgeretur, nunquam ſe a ſententia receſſurum affirmat: cunctis potius ſe ditionibus excludi, vita quoque ipſa exui, quam quidquam de exiſtimatione ac dignitate remitteret, paſſurum. Quæ ſtatuerit, Senatui ſignificat; qui ſtatim per diſpoſitos equos Georgio Juſtiniano, in Gallia legato, injungit: Reginam adeat, enixe flagitet, ne immerenti nepoti, atque ad ſuam opem confugienti, injuriam fieri ſinat; immo auctoritate, viribus foveat. Eodem officio Petrus Priolus, orator, cum Philippo uti juſſus.

Dum Mediolani de controverſiis dirimendis agebatur, eo Mantuani res redactæ erant, ut crebris incurſionibus Monferratenſis ager ab Allobroge infeſtaretur; neque minora detrimenta ab Hiſpanis, qui Mantuani partes ſuſceperant, acciperet. Inde populi deſperatione adacti; nihil tutum ab amicis; non ſecus atque ab hoſtibus cuncta diripi. Cardinalis tot calamitatibus avertendis, & conſilio & viribus impar, nullibi perfugium niſi in Senatu Veneto inveniebat. Itaque, oppidis licet receptis, adhuc trium peditum millium ſtipendia, magnam armorum vim, quibus a Sabaudo nudati incolæ fuerant, flagitabat. Ea omnia liberaliter a Senatu conceſſa, & quo magis in eum publica liberalitas eluceret, aureorum triginta millia adjecta. Mendozza tandem de obſtinata animi ſententia nonnihil remittens, rationes, quibus controverſiæ dirimerentur, inveniſſe ratus, ſcripto comprehenſas, Car-

Cardinali tranſmittendas curat. Summa erat, ne de perduellibus, donec a Cæſare ac Philippo ſecus juſſum fuiſſet, quidquam innovaretur, ſed in ſuorum bonorum poſſeſſione retinerentur; de damnis ſarciendis penes eoſdem judicium eſſet: ſi poſtulatis Cardinalis adſentiatur, ſtatim copias dimiſſurum; idemque ut Sabaudus faciat, operam daturum: in ſpeciem vero tantum puellam Principem petiturum. Scripti exemplum Cardinalis ad Senatum mittit; ejus, uti in graviſſimis rebus conſueverat, ſententiam exquirit. Patres pacis cupidi, atque ut quamprimum in Italia coactæ copiæ dimitterentur, ne ſævioribus flammis majus incendium oriretur, enitendum rati, Senatus conſulto, nihil cauſæ eſſe cur Mendozzæ conditiones non amplectatur, Cardinali reſpondent; cum præſertim parum ab iis, quas ipſemet propoſuerat, diſcreparent: multo majora, ſi Hiſpanorum exercitus in Monferratenſi agro hiemaverit, detrimenta accepturum, quam ſi perduelles tantiſper in bonorum poſſeſſione manere conceſſerit. Cardinalis conſilium Senatus amplexus Annibalem Ceppium, qui Mendozzæ reſponſum ferat, ſtatim Mediolanum regredi jubet. 1613

Alphonſus Pimentellus & alii a Mendozza Mantuam miſſi puellam poſtulant.

Nemo erat, qui de rei exitu amplius ambigeret; cum ecce repente affertur, Mendozzam, Alphonſum Pimentellum, levioris armaturæ præfectum, una cum Oroſco, Alexandriæ gubernatore, atque octoginta fere haud exiguæ exiſtimationis virorum comitatu Mantuam miſiſſe, qui heroinam a Cardinali regio nomine peterent: ſi abnueret, obteſtarentur, vim ſe adhibere juſſos; Philippo namque ſtatutum eſſe, ut quamprimum puella Mediolanum ſub matris tutela mitteretur. Ex ea Mendozzæ inconſtantia incredibili cuncti admiratione capiebantur; neque, quo illius dirigerentur conſilia, facile divinari poterat; cum ab iis, quæ ſumma adſeveratione confirmaverat, tam cito recederet. Lectulo tunc Cardinalis, correptus febre, detinebatur, quam animi angores ac ſolicitudines haud parum augebant; ut qui in ea fluctuum tempeſtate, neque per ſe quidquam expediti conſilii capere, neque a ſuis præconſultoribus in perplexis adeo difficultatibus, quid tuto faciendum eſſet, haurire poterat. Attamen re in conſultationem vocata; Antonio Maria Vincentio, Senatus ſcriba, preſente, in duas ſententias præconſultores ſcinde-

ban-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 bantur. Alii Hiſpanorum petitioni minime adſentiendum, ſed conſtanter, modeſte tamen, negandum cenſebant. Alii negandum initio; inſtantibus, Cæſaris ac Hiſpanorum Regis judicio rem permittendam arbitrabantur. Tutiorem priorem ſententiam, a Senatus voluntate non recedens, Vincentius exiſtimabat; quo, qui ejus conſilii auctores erant, mirum in modum confirmabantur, ambiguis abjectiſque certa ac generoſa conſilia anteferentes. Itaque Cardinalis, Pimentello audito, puellam dimiſſurum negat; tempus, quo Philippo ſua jura patefaciat, expoſcit. Eo reſponſo miníme deterriti, vehementius inſtant, acriuſque aggrediuntur Hiſpani: non id pro conſtanti ac poſtremo Cardinalis reſponſo ſe accipere; attentius cogitet, potentiſſimoque Regi, cui Montisferrati ditiones & exiſtimationem ipſam acceptam referat, ſatisfaciat. Per aliquot dies Mantuæ Pimentellus commoratus, tandem cum fruſtra niti, atque nullis neque flecti precibus, neque minis terreri Cardinalis animum animadverteret, re infecta diſcedere coactus eſt. Ceterum quantum in humanis negotiis animi candor, fides ac veritas ipſa, nullis fucata coloribus, in pretio ſit, vel ex hoc quis intelligat. Nam dum Mendozza hinc cum Mantuano, inde cum Sabaudo, Hiſpanico ingenio agit, neutri amicus, amborum in invidiam incurrit. Conquerebatur Mantuanus, quod ſua jura auctoritate ac potentia opprimere vellet; quod, ſæpius mutata ſententia, nunquam illius ſenſa percipere potuiſſet; quod nuper, dum controverſiæ exitum inveniſſe exiſtimaret, in novas anguſtias compelleretur, perduelles elati de ejus exiſtimatione triumphum ducerent, afflicti Monferratenſis ditionis incolæ, nullum tot acceptis damnis illatiſque injuriis ſolatium perciperent. At contra Sabaudus, & bello & pace acerrimus, ingentes in Mendozzam querelas jactabat: non inani ſpe Montisferrati oppida ac pene totam eam regionem, quam armis adeptus fuerat, literis regiis obtemperantem reliquiſſe; ſed iis potiſſimum permotum, quæ, Philippi nomine, ſibi Mendozza pollicitus fuerat; ut nempe de mutuis acceptis illatiſque damnis nulla mentio fieret; in ſubjectos, qui alteri parti faviſſent, arma ſumpſiſſent, non animadverteretur; a Mantuano heroina recepta, intra dies quindecim ad Margaritam matrem

trem remitteret; quod controverſiarum adhuc ſupereſſet, id 1613
præſtituto brevi admodum tempore amice dirimeretur: nihil harum neque ab ſe, neque a Rege, ad quem ſupplicem filium miſerat, obtinere potuiſſe.

At Mendozza acrius inſtare, contendere, efflagitare, ut Cardinalis puellam dimitteret; juſſa Regis obtendere. Ille contra conſtanter pernegare, nunquam ab ſe divelli heroinam paſſurum; Principes implorare; ad Gallorum opem, ad Reginæ auctoritatem confugere. Leonius legatus ampliſſimis verbis Reginæ in nepotem egregiam mentem Senatui teſtabatur: licet aliqua parte copiarum dimiſſa, adhuc in Aquitania decem millium peditum copias morari; non Mantuano Reginam, non Gallos defuturos; Hiſpanorum artes & vim in omnium Principum, nedum Italorum exitium ac perniciem, ni obſiſtatur, caſuram. Hinc vehementius Mantuani cauſam *Galliæ Reginæ cum Hiſpanis de Mantuano officia.* Regina amplexa, Hiſpaniarum Regis legatum ad ſe vocat: de vi Cardinali adhibita conqueritur: Philippo ſignificet, ſi illum cura publicæ tranquillitatis Italicæque pacis ſolicitum habeat, arma amoveri, amice cuncta pertractari jubeat; neve compelli Italum Principem, ſibi affinitate junctum, quem nullo modo deſerere poſſit, patiatur. Ea Reginæ officia tantum apud Regem potuere, ut ſtatim, Mantuano viduam filiam Sabaudum connubio jungere, ab armis recedere, atque Mendozzam copias dimittere, mox de diſſidiis dirimendis pertractari, juberet: quæ res majores turbas tumultuſque concivit.

Dum hæc fiunt, diverſa ex parte minori periculo mitiori- *Controverſiæ inter Mutinenſes, & Lucenſes.* buſque flammis incendium alebatur, obortis in Caſerianis montibus, inter Mutinenſes ac Lucenſes, finium controverſiis, quibus utraque gens, conſcripto milite coactiſque copiis, ad arma devenerat. Initio Lucenſes multa detrimenta Mutinenſibus intulerant; ſed, mutata fortuna, gravora a Mutinenſibus Lucenſes tulere. Mendozza erumpentes ſcintillas opprimendas ratus, Scaramucciam Vicecomitem Lucam Balthaſarem Biam Mutinam mittit, qui ejus nomine Reipublicæ ac Duci ſignificent: utrimque armis abſtineant; ni id faciant, vim ſe adhibiturum. Sed adeo incaluerant animi, ut in dies majori conatu viribuſque dimicaretur. Nam Alfyſius Eſtenſis,

Cæ-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2016)

1613 Cæsaris filius, qui nuper a Senatu Veneto in suam militiam adscriptus fuerat, juvenis impiger, desiderio gloriæ incensus, cum a patre eam provinciam suscepisset, eamque primam occasionem ostendendæ virtutis atque animi nactus esset, nihil omittebat, quo aliquo egregio facinore militiæ suæ rudimenta clariora efficeret. Itaque, vastatis Lucensium agris, Castilionem oppidum aggressus, tormentis muros dejecerat, aditumque militibus per ruinas patefecerat. At dum illius potiundi in summa spe esset, Balthasari Mendozza præcipit: Castilionem contendat, ac, quinquaginta Hispanorum peditum præsidio imposito, vexillum Regis in summa arce explicet. Ejus rei scripto mandata Balthasar Aloysio Estensi defert; qui cum aliquantisper anceps animi penderet, atque ægre sibi e manibus victoriam extorqueri pateretur; tamen Regis potentiam expendens, seque imparem nimium esse intelligens, tempori ac vi cedendum ratus, copias amovit. Id arte Lucensium effectum rumor erat, quippe qui occulto a Mendozza syngrapham accepissent, se statim, dissidiis compositis, oppidum iis tradituros. Eo facto Mendozza, Lucensibus primum, inde Mutinensibus copias amovere, armaque condere jussis, ut jure non armis dissidia tollerentur, curavit. His de rebus Cæsar Estensis Senatum certiorem fecit, qui, ut diximus, sub id tempus Aloysium filium perhonorifico sex aureorum millium stipendio suæ militiæ adscripserat. Hæc in Italia gerebantur.

Mendozza cõtroversias Mutinensiũ & Lucensiũ componit.

In Illyrico Philippus Paschalicus, legatus, Senniam, circumjecta oppida litoraque obsidione acerrima premebat; omnesque aditus adeo obsepserat, ut ad ea loca accessus penitus intercluderetur; sublatisque commeatibus, fame jam laborare incolæ inciperent. Quo fiebat, ut Cæsar de mittendis Senniam procuratoribus cogitaret, ut, eorum adventu mitigato Senatu, laxata obsidione, incolas incommodis affectos, si qua ratione posset, sublevaret. At Patres, quos toties perfancte interposita pollicita fefellerant, non amplius negotium disceptatione egere, sed implenda Cæsaris promissa, contendebant: *oppigneratam Viennæ Cæsaris fidem; cum Hieronymo Superantio legato conventum: jam Rempublicam in Cæsaris gratiam captivos dimisisse, obsidionem laxasse: contra nihil hactenus*

tenus ex tot pollicitationibus præstitum: Quid aliud esse, procuratores Senniam mittere, quam permolesta inanique cunctatione Rempublicam eludere? Quoties frustra homines missos, qui unius aut duorum conscleratissimorum prædonum nece, cum se satis Reipublicæ fecisse dixissent, præda onusti, miserorum spoliis ditati, regressi sint? Eadem Queva, Philippi legatus, a Senatu Cæsaris Regisque nomine flagitabat: *Optimam Cæsaris mentem esse; ne hujusmodi dissidia ulterius progrediantur, vehementer cupere: neque vero minus, ut omnium malorum seges dissensionumque origo amputetur, Regi cordi esse: ad eam rem conficiendam tres a Cæsare procuratores designatos, qui statim ad Flumen oppidum se conferrent; quæ acciderint, exacte perquirerent; de veritate edocti, Reipublicæ ejusque subjectis, ut decebat, satisfacerent: proinde ut tres quoque a Senatu deligerentur, postulare, qui in rem præsentem venirent.* At Senatus, ut perplexam illam rationem iniret, adduci non poterat. *Quid facto opus esset, jam satis patere: nunquam exitum tot malorum, nisi cunctis amotis atque alio amandatis Uscochis, inveniendum: si ea mens Cæsaris sit, ut non inanibus verbis promissisque Rempublicam fallere velit, jam brevi omnes tot turbarum evellere fibras posse: nihil præter ea, ad quæ se ipse obligaverat, flagitare: an vetera, an recentia commemoraret, quæ nefaria, tetra, crudelia adeo sint, ut vel audita horrorem incutiant? in manu ac potestate Cæsaris cuncta sita esse; qui si ea voluntate est, quam amplissimis verbis toties confirmavit, quam promissis corroboravit, non aliunde, quam ab ejus auctoritate tantorum malorum finis expectandus est.* 1613

Ita toto eo anno Uscochorum negotium fluctuabat; Quo tempore Cæsar Ratisbonam ad conventus habendos accessit, ibique Augustinus Nanius ac Franciscus Contarenus, superiori anno ad eum a Senatu oratores designati, honorifice excepti, omnique officiorum genere exculti, supremam in orbe christiano Mathiæ dignitatem sunt gratulati. In eo conventu, nondum inter Achomaten Turcarum Regem ac Cæsarem icta pace, de bello intaurando actum; dum Turcæ Daciæ provinciæ inhiarent, ac inter belli pacisque spes suspensum Cæsaris animum detinerent, atque in Persida in eadem

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 dem pacis bellique jactatione res essent; certisque nuntiis afferretur, Manoglium quemdam novos in Syria motus concitare, rebelliumque præfectum declaratum, armis adversus Caffisem Damasci Bassam illatis, multis Turcis profligatis, ingentem de eo victoriam retulisse. His fiebat, ut nihil certi de pace firmanda, vel bello renovando statueretur: dum interea pestilentia, in nonnullis Germaniæ civitatibus atque oppidis exorta, in Austriam penetrasset, Viennam corripuisset, atque Stiriam invasisset. Quo effectum est, ut, severioribus custodiis adhibitis, procul sævissimi mali suspicionem amoveri Senatus curaret; binique ordinario salutis magistratui Senatores adjecti, Antonius Landus, Marcius Procurator, Nicolaus Donatus, Leonardi olim Principis frater. Et quoniam eodem morbo Bossinam Illyrico finitimam vexari ferebatur, Marino Mutatio, Spalati comiti, ob frequentia quæ cum iis regionibus commercia intercedunt, salutis cura demandata. Namque urbs Spalatum insigne in Illyrico est emporium, quo non modo ex Bossina, Mœsia, Macedonia, Thracia, Byzantio; verum etiam ex Asia mercatores confluunt. Magnæ ibi ac peramplæ ad mercimonia omnis generis reponenda substructiones his annis erectæ sunt, majoresque triremes ultro citroque cum negotiatoribus Venetias commeant; indeque haud parva publicis vectigalibus accessio facta est. Sed morbus, qui fervore æstatis augeri solet, hiemis frigore retusus, incrementa non suscepit, ab ea labe immunes Venetæ ditiones fuere.

Germaniæ & aliæ provinciæ pestilentia vexatæ.

Marino Mutatio Spalatentiti salutis cura demandata.

Aestate feliciter cum piratis Turcis ab Hieronymo Cornelio, classis legato, pugnatum. Cum enim Numidicas triremes quatuor in Adriaticum sinum (quem auriferum vocare solent) penetrasse cognovissent, Corcyra cum tribus triremibus solvens, pirataque Sassonem usque fortiter insequutus, multis interfectis, rostrata capta, bina nostrorum navigia ab iis intercepta recuperavit, reliquæ fugæ se dedere. Capta rostrata Mussolini percelebris piratæ fuit, qui, multis negotiatoribus illatis damnis, mari infestus a navigatione complures deterruerat. Eodem fere tempore (depressam quis ac fere extinctam tunc apud Turcas navalem fortissimæ gentis disciplinam admiretur?) Octavius Aragonius cum octo triremibus Sici-

Hieronymo Cornelii, classis legati, contra piratas acta.

Octavius Aragonius septem triremes turcicas capit.

Sicilia digressus, in Aegæum usque ad Chium se intulit, atque in portu duodecim Turcicas triremes, inter quas septem fanalia gerentes, quas classem reliquam maris præfectus Turca præire jusserat, in iisque Peloponnesi vectigalia continebantur, offendit. In eas dum Octavius impetum molitur, quinque turpiter fugam arripiunt; septem reliquæ cum certamen iniissent, ab Aragoniis, multis Turcis interfectis, plerisque mari depressis, paucis e suis desideratis, victæ & captæ sunt; ingenti præda, quingentis captivis effectis. Iis, qui ex Christicolis ad transtra tenebantur, libertas restituta: inter eos, qui triremibus turcicis præerant, filius Hali Bassæ illius, qui superiori cum Selimo bello turcicæ classis imperator fuerat, censebatur. Hæc mari eo anno gesta. Domi, ex veteri Reipublicæ instituto, cum ab inito Marci Antonii Memi principatu quinque instaurandis corrigendisque legibus, majoribus comitiis, delecti fuissent: Nicolaus Donatus, Leonardi Ducis frater: Aloysius Georgius: Leonardus Mocenicus: Antonius Grimanus: *Andreas Maurocenus*: ii, inter se consultatione habita, leges de testamentis scripto vel in procinctu condendis, deque dotibus solvendis majoribus comitiis tulere, quibus iniquorum hominum malignitati ac fraudi obviam itum, qui longo temporis spatio defunctorum schedulas, quibus bona fideicommisso subjiciebantur, apud se retinentes, eas tandem magno possessorum vel emptorum impendio cladeque vulgabant. Decretumque, deinceps ut qui testamentum scripto condere vellet, id, suo nomine temporeque adjecto, scribæ, qui inferiori archivo præfectus est, asservandum traderet, mortis tempore vulgandum; quæ secus facta, conditave fuissent, pro infectis nullisque haberentur, iisque consignorum auctoritas nullo unquam tempore suffragaretur. Testamenti quoque genus illud, quod Romani in procinctu, nostri *breviarium* vocant, ad firmiores regulas redactum, ac nisi ex quadraginta virum quinque ac viginti suffragia tulissent, irritum fore latum. Ne dotis solvendæ specie familiarum opes exhaurirentur, salubernmis decretis sancitum. Anni exitu cum Philippus Paschalicus, Illyrici atque Epiri legatus, reditum in patriam a Senatu impetrasset, Nicolaus Donatus, de quo modo diximus, vir exacta jam ætate, summa pru-

1613

Leges Venetæ a quinqueviris, inter quos fuit Historiæ scriptor, latæ.

Nicolaus Donatus, iterum in Illyrico lectus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1613 prudentia ac virtute animi, ſuffectus eſt. Summa illi auctoritas cum imperio extra ordinem, uti Paſchalico fuerat, attributa: adjecta inſuper Iſtriæ legatio; injunctumque, ut afflictos illius provinciæ populos, quorum ſæpius querelæ exaudiebantur, quacumque ratione ſublevaret.

M. DC. XIIII.

1614 INeuntis anni milleſimi ſexcenteſimi decimiquarti initio digreſſus Donatus, cum in Illyricum perveniſſet, Curitam (vulgo *Veglam* vocant) appulit; ibique triremes, lembos, copias luſtrare, & cetera quæ ad munus egregie adminiſtrandum attinebant, expedire cœpit. Quibus dum ſedulo incumbit, febri correptus, paucis diebus, vix inito magiſtratu, ſummo omnium militum mœrore ac lachrymis exceſſit. Erat in eo viro cum priſca ſeveritate prudentia eximia, quam ex uſu magnarum rerum, ac precipue munerum domi foriſque geſtorum comparaverat. Sed gravitas quædam comitati admixta, mirifice illi militum animos conciliabat; atque eo magis, quod jam tertio legatus in Illyricum a Senatu miſſus fuerat. Laurentius Venerius, Donato ſucceſſor datus, ſtatim conſcendit. Iſtriæ legatio Marco Lauretano decreta eſt.

Nicolai Donati obitus.

Laurentius Venerius in Illyrico legatus.

Marcus Lauretanus in Iſtria legatus.

Ceterum inter Allobrogem Hiſpanoſque diſſidiorum ſemina majora in dies incrementa capiebant. Cum enim cauſam Mantuani tuendam acrius Galliæ Regina ſuſcepiſſet, atque ob regia connubia, quorum tempus jam maturaverat, in eadem conſilia Galli Hiſpanique conſpirarent; haud difficile fuit Philippum impellere, ut a Sabaudo copias dimitti, filiam in matrimonium Mantuano tradi, controverſias de damnis ac perduellibus Cæſari permitti contenderet. Quæ adeo gravia atque intoleranda Carolus exiſtimabat, ut quæcumque potius ſubiturum, quam obtemperando imperium libertatemque amiſſurum diceret. *Quid enim acerbius, quid durius vel expectare vel illi contingere potuiſſe? An idcirco Montisferrati oppida, omnemque fere opimam illam regionem nutu regio reliquiſſe, ut ita rependeretur? an hæc promiſſa, quibus ſe regio nomine Mendozza obſtrinxiſſet?* Quæ omnia ingenti adeo

adeo fervore, atque animi impetu a Carolo enuntiabantur, 1614
ut nunquam illum de ſententia deductum iri, facile appareret. Inde copias utrimque augeri. Gubernator ex Gallia Ciſalpina milites cogere, e Neapolitano regno veteranos evocare, in Germania ac Burgundia delectus habendos curare. Neque minus Carolus, ut ſi vis afferretur, obſiſtere fortiter poſſet, Gallorum auxiliis, Helvetiorum viribus, ſubjectorumque armis nitebatur. Eodem tempore Hiſpani cum quatuor ac viginti triremibus, Sactacrucio duce, Oneliam, maritimum oppidum, aggreſſi, oppidanis licet fortiter obſiſtentibus, in ſuam poteſtatem redigunt. Marrum inde, Cæſaris beneficio Carolo ſubjectum, occupant. Carolus Zuccarellum, in finitimis Genuæ montibus, Cæſarei juris, præſidio firmat. Ita alterno fortunæ eventu dimicari cœptum.

Hiſpanorum contra Sabaudos progreſſus. Zuccarellum a Sabaudo captum.

At Sabaudus imparem ſe ad bellum cum Hiſpano ſuſcipiendum animadvertens, undique ſe communire, Italorum exterorumque Principum ac Regum opem, auxilium implorare: quam in Rempublicam Venetam ſe perperam geſſiſſet, expendere, ejus legato præpropere dimiſſo, Venetos, qui divitiis ac potentia in Italia florerent, a ſe alienaſſe; ſecum animo volutare, qua ratione in Reipublicæ amicitiam redire poſſet, obliterata prorſus omni diſſidiorum memoria. Cumque immature nimium per Hippolytum Aldobrandinum, Cardinalem, ſibi aditum ad Patres aperire irrito eventu contendiſſet, tandem, Dutlejo Carletonio, Magnæ Britanniæ Regis legato, adhibito, permollire Patrum animos nititur. Is, altius repetita oratione: *Ex iis, quæ acciderint (licet gravia ac moleſta admodum fuerint) nunquam majorum veterem in Rempublicam benevolentiam, ſuamque obſervantiam ex animo Carolum abjicere potuiſſe: nihil vehementius, nihil obnixe magis cupere, quam in gratiam cum Republica redire: optime noſſe, nulli Italiæ decus ac libertatem æque ac Reipublicæ cordi eſſe: ſuæ in Rempublicam egregiæ voluntatis atque obſervantiæ argumenta in totius orbis conſpectu data; ad Senatum oratorem, ſpectatæ virtutis præſtantemque virum, extra ordinem deſignaſſe; ordinarium quoque legatum miſſurum: proinde Regis nomine Patres ſe mirum in modum rogare, a Sabaudo legatum, ipſum audire velint; Regi ſibique ipſi*

Dutlejі Carletonii, Angli oratoris, pro Sabaudo cum Venetis officium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1614 *Senatus responsum.*

ipsi accidere nil gratius posse. Iis quæ Dutlejus exposuerat, ad Senatum relatis, graviter breviterque responsum: *Si quis ad Collegium Ducis nomine accessisset, audituros; cum Principum minime irreconciliabiles inimicitiæ esse debeant, quæ ex utilitate ac publico bono, non ex humanorum affectuum lubricitate pensentur*. Gratiis a Dutlejo Senatui actis, Jacobus Piscina, Sabaudi orator, accessit, qui aliquot antea dies in Carletonii ædes diverterat. Erat is humanioribus ingenuisque disciplinis perpolitus, ac magna vi ubertateque dicendi præditus, ut non difficile illi fuerit, gravi admodum prolixoque sermone Caroli in Rempublicam studium, benevolentiam, observantiam verbis extollere. Obnixe illum pristinam Reipublicæ gratiam, cunctisque votis exoptare, poscere, efflagitare; ab ejus consiliis, præceptis, jussis nunquam recessurum. Inde in Reipublicæ laudes effusus, Italiæ decus appellare, in ea nobilissimæ provinciæ libertatem universam recumbere.

Jacobus Piscina, Sabaudi orator ad Venetos.

Senatus cum ex iis, quæ inter Philippum & Carolum intercedebant dissidiis, ingentes in Italia armorum motus consequuturos animadverteret, jamque a Paulo summo Pontifice Julium Sabellum, Internuncium extra ordinem, a Regina Carolum Rambolietum, Agennæ marchionem, legatum, missos ad Sabaudum intelligeret, extra ordinem quoque oratorem ad Carolum mittere statuit. Rhainerio Zeno, ex continentis sapientum ordine, legatio decreta. Ac per eos dies Verruæ comitis frater, ordinarius Sabaudi legatus, Venetias accessit. Is de more a Senatoribus una cum Piscina ad Patrum Collegium deductus est. Principe ac Patribus a Carolo consalutatis, amplissimis verbis illius in Rempublicam egregiam voluntaem ambo testati, ei quacumque ratione dignitatem ac libertatem tueri statutum esse affirmarunt: pacem quidem, quam qui maxime, cupere, modo cum securitate ac dignitate obtineri queat: ni id contingat, opes, imperium, vitam denique ipsam prodige effusurum; neque ullo unquam tempore a consiliis, monitis, præceptis Reipublicæ discessurum, quæ prudentia, viribus, opibus pollens, in commune bonum semper incumbens, Italiæ existimationem decusque tueretur; ut si quid adhuc prisci splendoris in hac pro-

Rhainerius Zenus ad Sabaudum orator.

Verruæ comitis frater ordinarius orator Sabaudi ad Venetos.

provincia maneret, id omne Itali Principes uni Reipublicæ acceptum referre deberent. Hæc atque alia in eamdem sententiam a Caroli oratoribus enuntiata, quibus facile constabat, Carolum omnem in Republica spem suæ libertatis ac dignitatis retinendæ reposuisse. 1614

Zenus impeditissimis itineribus profectus (assiduis enim eo autumno imbribus amnes ita increverant, ut circumquaque obrutæ aquis regiones esent) Mediolani a Mendozza summis honoribus est exceptus. Inde Hastæ Carolum obvium habuit. Nihil, quod ad illustriorem legationem reddendam attineret, est prætermissum. Postea de pace vehementius agi cœptum: multa de copiarum missione, de mutua oppidorum restitutione, de controversiis inter Sabaudum ac Mantuanum componendis agitata: tandem Hastæ kalend. decembribus has in conditiones deventum. *Cum Julius Sabellus, Pontificis Internuncius, ac Carolus Rambolietus, Regis Christianissimi legatus, sæpius suorum Principum nomine a Sabaudo efflagitassent, ut copias dimittere, cum Mantuano pacem amplecti, atque exortas inter eos controversias judicibus aut sequestris permittere ne gravaretur; ipse, ut Catholici Regis (quem summo obsequio ac reverentia prosequitur) desiderio satisfaciat; maximorumque Principum, christianæ reipualicæ beneficio tranquillitatisque publicæ studio efflagitantium, petitionibus morem gerat; in has conditiones assensit: ut copias ipse dimittat, militibus, quibus ad suam arciumque custodiam ei opus fuerit, exceptis, juxta ea, quæ vij. idus majas anno millesimo sexcentesimo undecimo scripto a Varena declarata fuerant; præcipue munitionis recens ad Vercellense suburbium a Mendozza extructæ ratione habita. Sabellus ac Rambolietus legati statuent: Inojosa Manarchio, Mediolani gubernator, Regis nomine, Pontifici Maximo, ut communi parenti, Galliarumque Regi, neque Carolo neque suis ditionibus quacumque ratione atque obtentu damni quidpiam aut incommodi illaturum, quindecim aut viginti dies postquam copias Sabaudus dimisisset, se quoque regium exercitum bona fide dimissurum, persanctum esse obstringat; si secus faciat, neque pollicita præstet, Pontifex Galliæque Rex Caroli patrocinium defensionemque in se recipiant:* Utrim-

Conventiones ad dissidia inter Sabaudum & Mantuanum componenda.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1614 *Utrimque adempta loca, captivi, tormenta reſtituantur; arma, hoſtiliaque omnia amoveantur; inter Sabaudum ac Mantuanum pace icta, controverſiæ delectis ab iis ſequeſtris definiendæ infra ſex menſes permittantur: Mantuanus Margaritæ gemmas ac monilia Carolo patri reſtituat; ſtatimque ejuſdem dotem, ac ſi quid fœnoris loco accedat, infra menſes quatuor perſolvat; ſi quid controverſi obortum fuerit, judicum ſententiæ ſtetur: Blancæ quinetiam dotem duorum annorum ſpatio Sabaudo tribuat; ni id faxit, Galliæ Rex præſtituto biennii tempore ſatisfaciat; ſi quæ acceſſerint, iiſdem arbitris permittantur; ad ea Rex ſolvendo non teneatur: qui utrimque ſubjecti arma in alterum tulerint, iis ne id fraudi ſit, quo minus bona ſua publicata recipiant, atque a belli initio uſque ad eam diem in illos latæ ſententiæ aboleantur: Hæc ſane omnia niſi a Regibus vel a Ducibus, uti exarata ſunt, recipiantur, ſanciantur, unicuique, non ſecus ac ſi nunquam conventum fuiſſet, res integra ſit.*

Cum pacta ſcripto confirmanda atque a Principum legatis ſubſignanda eſsent, Rambolietus, nulla injecta mora, ſe ſubſcripturum, atque ut infra menſem a Rege cuncta rata firmaque habeantur, curaturum pollicetur. Sabellus quo minus id prompte faceret, ea conditione tardabatur, quæ Pontificem ad Sabaudi defenſionem cogebat; verum ea lege ſe ſubſcripturum affirmabat, ne Pontifex amplius Caroli patrocinio obſtrictus eſset, quam literis a ſe atque a Carolo Romam miſſis Cardinali Burgheſio reſponſo contineretur. At cum Carolus a Zeno, Reipublicæ legato, petiiſſet, num ad id Senatus mandata haberet, ipſeque renuiſſet, differendum minime ratus, tribus editis exemplis, cum uni eorum ipſe ſubſcripſiſset, reliquis legatorum nomina imponenda curavit. Durum pleriſque videbatur, quod cum tanto ſtudio in Reipublicæ gratiam redire Carolus concupiviſset, legatos Venetias miſiſset, oratorem perhonorifice excepiſset, qui omnibus, quæ acta eſsent, interfuerat, atque pro publica tranquillitate ac Italiæ pace laboraverat; modo, fere nulla Reipublicæ habita ratione, a communi aliorum laude illam ſejunxiſset, neque ea in re Senatus reſponſum expectaſset. Erant qui id Regum induſtria factum arbitrarentur, qui

qui ſe tantum, nullo ſocio, pacis auctores haberi & eſſe vellent: at quæ paulo poſt ſubſequuta ſunt, quam prudenter Zenus egiſſet, patefecere. 1614

Jam diſſidiis finem impoſitum, jam Italiæ pacem reſtitutam omnes arbitrabantur; in Sabaudi caſtris cuncta pacem reſonabant; Sabellus ac Rambolietus, qui ſtatim ad Mendozzam Novariam ſe contulerant, ovantes expectabantur. Cum Mendozza cuncta pervertit: rem in ſua poteſtate non eſſe, ex Hiſpaniis, quæ mens Philippi ſit, cognoſci oportere. Inopinato reſponſo legati perculſi, cum illum e ſententia dimovere non poſſent, quæ acta fuerant, Regibus ſignificanda quamprimum curarunt. Cum vero inter Carolum ac Mendozzam conventa, ut a Regibus comprobarentur, in Galliam atque Hiſpaniam tranſmiſſa eſſent, utrobique fuerunt exploſa. Galli, nihil pro dignitate a Rambolieto actum; non ut iis adſentiretur, mandata habuiſſe; non, uti oportebat, Mantuani cauſam tutatum, ajebant. Hiſpani, in ea tractatione regii decoris minime habitam rationem; ex æquo cum Carolo tranſactum; obtundi illius elationem faſtumque oportuiſſe, affirmabant. Quodque magis animos incenderet, per eos dies Thomas Caroli filius Gandiam, Inſubrum ditionis oppidum, cum militum manu aggreſſus fuerat; licet ab incolis repulſus, proſpero parum eventu fortunam expertus eſſet. Ea re mirum in modum indignabantur Hiſpani, dum de pace ineunda ageretur, violatas Regis ditiones, caſtella invaſa, oppida tentata; licet Thomas & Carolus factum mollire adnixi, nondum firmata pace, quæ peracta fuerant, jure fieri potuiſſe, contenderent. At Hiſpani ut quoquo pacto illatam injuriam ſarcirent, Montem Baldonem in Allobrogibus finibus occuparunt. Inde cuncta ad arma denuo relata. Sabaudus omnia experiri, nihil omittere, quo ſe fineſque ſuos tueretur; extrema potius perpeti, quam vel minimum de dignitate ac libertate Hiſpano concederet, paratus. Itaque Scarnaſſium legatum in Angliam mittit: quæ loco res ſint, Regi exponat; ejus auxilium imploret, qui ſane egregiam in Carolum voluntatem haud obſcuris argumentis ac pollicitis antea patefecerat. Ad Batavos quoque oratorem peritum mittit, qui exemplum Magnæ Britanniæ Regis ſequuturos affirmant.

Mendozza pacis conditionibus nō aſſentit.

Thomas Sabaudi filius Gandiam aggreditur.

Hiſpani Montē Baldonem occupant.

Scarnaſſius, Sabaudi orator ad Angliæ Regem.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1614 *Sabaudus ad Batavos & German. Principes legatos mittit.*

Ad Germanos quoque proceres legatos deſignat, ut Ducis ex illuſtri eorum gente orti tutelam ſuſcipiant; neque ab Hiſpanis, quos ſemper graves infenſoſque experti fuerant, amicum Principem conteri patiantur. Galliæ quin etiam Reginam per literas perque nuntios urgebat, ne ſuas rationes, quæ a Galliæ regno ſejungi non poſſent, deſereret. Regina, cum illi minime defuturam ſumma adſeveratione polliceretur, tum vehementer ad concordiam Carolum hortabatur; nil enim tunc ardentius optabat, quam ut connubia cum Hiſpano pacta conficerentur.

Ea ex re haud exigui in Gallia tumultus exorti fuerant, cum Gallorum plerique ac regiæ ſtirpis proceres, nec non ii, qui reformatæ religionis vocantur, hujuſmodi nuptias deteſtarentur, atque exhorreſcerent. Inde ſuperiori æſtate Condæus, regii ſtemmatis Princeps, querelarum plenus ex aula diſcedens, libellum ad Reginam miſerat, quo inter cetera regni adminiſtrationem inſtaurari, atque ad meliorem formam redigi poſtulabat. Adeoque cunctorum fere efferbuerant animi, ut Regina veluti precibus victa, a nuptiis perficiendis ſuperſedendum, totiuſque regni indici conventus ſtatueret; cum præſertim Ludovicus Rex, jam decimumquartum annum ingreſſus, lege ad munera regia obeunda admitteretur; matrem, regimine defunctam, faſces imperii demittere oporteret. His de rebus Condæus Principes certiores fecerat, Orpheumque, pernobilem virum, in Italiam miſerat, qui regni ſtatum, ſua Principumque conſilia Senatui exponeret; a quo gratiæ illi Principibuſque actæ, ad regni concordiam firmamentumque adhortationes additæ: Orpheus ipſe torque aureo donatus eſt. Galliæ vero conventus habiti, in quibus licet multa, quæ ad publicam utilitatem atque incrementum ſpectabant, fuiſſent agitata, attamen in ſpeciem atque ad plebem deliniendam procereſque demulcendos acta ferebantur. Exinde Regina accuratius de connubiis jungendis agere, pleraque in Hiſpanorum gratiam conſilia dirigere, neque minus intento ſtudio pro concordia niti, marchione Syllerio ad utraque conficienda ad Philippum oratore deſignato, cum maxime vereretur, ne, ſi bellum Sabaudi cum Hiſpanis procederet, Gallis turmatim ad Allobrogem defendendum confluentibus

Orpheus Condæi Principis orator ad Venetos.

Syllerii Marchio ad nuptias conficiendas in Hiſpaniam miſſus.

bus, nuptiæ turbarentur. Quocirca edicto caverat, ne quis e Gallia Sabaudo militatum proficiſceretur; nonnulloſque contra edictum profectos ſummo ſupplicio affici juſſerat. Sed is erat gentis ardor, ea ad bellum in Italia gerendum animorum propenſio, ut nullis neque edictis retineri, neque pœnis coerceri poſſent; cum præſertim a Freſia, Caroli legato, maximis propoſitis præmiis, milites ſolicitarentur, atque a Laodigherio in Provincia ac Delfinatu, vel inſito in Hiſpanos odio, vel in Allobrogem ſtudio impellerentur. Carolus vero, Gallia in diverſas partes diſtracta, licet Regina Hiſpanis aperte favere videretur, tamen nunquam ſibi inde auxilia a regni proceribus defutura ſummopere confidebat. Ex his Italiæ graves imminebant tempeſtates, in quam ſi ſemel ſe Principes demiſiſſent, haud dubium erat, quin brevi, tamquam ad opimam prædam, ex omnibus Europæ regionibus, barbaræ gentes, a noſtris moribus, ſtudiis, religione diverſæ, ad eamdem perdendam confluerent.

1614 *Gallorum edictum, ne quis arma pro Sabaudo ſumat.*

Itaque Veneti, qui ſemper pro Italica pace excubuerant, omnes prudentiæ ingeniique nervos intendebant, ne ulterius arma progrederentur. Cum Pontifice, cum Regibus, & Carolo agebant, ut cuncta potius conſilio, quam armis confi-
cerentur. Pontifex vero vehementer Patres hortabatur, ut Carolum, apud quem plurimum illos poſſe ſibi perſuadebat, flectere niterentur. Dederat Pontifex ipſe ad Regem ſua manu exaratas literas, quibus, ut quæ Haſtæ pacta fuerant probare vellet, enixe flagitabat; magnaque ſpe evehebatur, fore ut tandem Rex ejus permotus auctoritate, precibuſque delinitus acquieſceret. Verumtamen, qui jam in ſententia obfirmatus fuerat, ab ea deduci nulla ratione poterat. Nihilominus Senatus Pontificem frequenter hortari pergebat, ne ceſſaret, ne ab incepto deſiſteret; id & ſuæ auctoritatis & muneris proprium: ſuperiores Pontifices, cum de reipublicæ chriſtianæ tranquillitate ageretur, ad Reges legatos mittere conſueviſſe: omnia tentanda potius, quam belli faces in hac provincia exardeſcant. Ab hac legati miſſione non abhorrere Hiſpanos conſtabat; cum Franciſcus Caſtrius, Regis legatus, id tantum non manifeſte petiiſſet, ſed quominus id Pontifex con-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1614 consilii caperet, Apostolicæ sedis dignitas ac majestas impedire videbatur, cui detractum maxime iri existimabat, si, Legato in Hispaniam misso, voti compos non fieret. Præcisa itaque pacis spe, omnis tollendorum dissidiorum ratio in armis relicta videbatur. Quamobrem Patrum studia ad Galliæ Cisalpinæ arces communiendas, ad copias augendas; novos delectus habendos, milites externos conscribendos convertebantur. Cumque Antonius Priolus, superiore anno cum summo imperio legatus in continentem missus, reditumin patriam impetrasset; Antonius Landus, Marcius Procurator, cum eadem auctoritate mense decembri suffectus est.

Antonius Landus legatus in continenti.

Quamvis vero Italiæ imminentibus periculis ab Illyrici rebus Patres avocarentur, manebant tamen infixa animis, quæ barbare atque impie ab Uscochis in Venerii triremem atque in trierarchum ipsum perpetrata fuerant; incommodis, quæ publicæ Italiæ tranquillitati officere videbantur, sublatis, omnes conatus in immanium prædonum genere profligando adhibituri. Neque a Laurentio Venerio, qui, ut diximus, Donato suffectus fuerat, ad eos opprimendos quidquam prætermittebatur. Nam edicto Jaderæ promulgato, quo navigia omnia ultro citroque Senniam commeantia quindecim dierum elapso tempore se aggressurum depressurumque minabatur, omni maritimo commercio interdicere illius regionis incolas nitebatur; atque nonnullis, quæ adversus edictum Senniam contendebant, navigiis depressis ac male mulctatis, is terror cunctos invaserat, ut nulli amplius illis commeatus suppeditarentur, omnesque ab ea navigatione se abstinerent; indeque summis angustiis pressi, fame laborare inciperent. His fiebat, ut subjectorum querelis assiduisque lachrymis excitus Cæsar, qui conscleratam gentem summo odio prosequebatur, aliqua ratione his incommodis prospiciendum arbitraretur, indignum suis in ditionibus teterrimam adeo pestem ali ac foveri existimans. Ob id Echembergium comitem, Croatiæ summum præfectum, Senniam legavit, qui fontes plecteret; ac, ne imposterum tot scelera patrarentur, curaret. Is Senniam cum perveniisset, Cæsanæ comitem ad Venerium, colloquium petitum, misit, seque a Cæsare, ut satis Reipublicæ faceret, lega-

Echembergius a Cæsare Senniam missus.

legatum significaret. Venerius statim Senatum de Echembergii adventu, deque petito colloquio certiorem facit. Patres Senatus consulto respondent: ad colloquium Echembergium admittat, quænam illius mens sit, an cum Cæsare a Superantio pacta exequi velit, solerter inquirat; neque interea ab Uscochorum damnis, uti jussus antea fuerat, abstineat; de iis, quæ indies acciderint, Senatum faciat certiorem. Venerius itaque Echembergium se libenter auditurum affirmat. Senatus legato rescribit, si ea voluntate Echembergium Cæsarisque ministros esse animadvertat, ut non verbis at re ipsa præstare pollicita velint, aliquantulum mollius agat; minime intermissa obsidione, a militibus exponendis abstineat. Sed antequam Senatus decretum ad Venerium perveniisset, Antonius Civranus, sinus Adriatici præfectus, vir impiger, omnem illum litoris tractum, qui ab Volosca ad Labranam protenditur, incendit ac diripuit, frumento, vino, aliisque commeatibus, qui ad Sennienses fame levandos coacti fuerant, corruptis. Ea re ad Cæsarem delata, ingentes querelæ in Rempublicam jaciebantur, dum de concordia ineunda ageretur, direpta oppida, villas incensas hostium more a Venetis fuisse. At Hieronymus Superantius, legatus, factum egregie tuebatur: nondum ad sinus præfectum Senatus mandata perlata; ab iis, quæ antea sibi injuncta fuerant, minime recedendum existimasse; nec, postquam Echembergius Senniam venisset, fidem ulla in re Cæsari Senatum obstrinxisse. Echembergius vero, paucis quibusdam, iisque nullius inter Uscochos nominis mulctatis, discessit; dum hiemis vehementissimæ iis in locis, perpetuo flantibus aquilonibus objectis, vis militaribus functionibus infesta esset. 1614

Antonius Civranus Uscochorum ditiones diripit.

M. D C. X V.

BElli suspiciones in Italia incrementis majoribus indies incendebantur; ab Hispanis atque Allobroge copiæ augebantur, externa auxilia adcersebantur; Senatus vero Antonium Landum, quem, ut diximus, in continentis legatione Priolo suffecerat, anni exitu in Galliam Cisalpinam proficisci jusserat. 1615

Veneti copias augēt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1615 ſerat. Inde, ut tria Italorum peditum millia conſcriberentur, ſanxit. Aloyſio Eſtenſi, Cæſaris Mutinæ Ducis filio, ut duo millia conficeret, injunxit, qui paucis diebus ex paternis ditionibus finitimiſque locis florem militiæ delectum Veronam, quo Venetæ copiæ conveniebant, miſit. Inſuper, ut Corſi pedites ad bina millia deligerentur, latum. Quatuor generis nobilitate ac virtute præſtantibus viris, ſingulis ex ordinum militibus tria millia, quibus præeſsent, tributa ſunt. Hi Camillus Capreolus, Conſtantii filius, qui Georgii Baſtæ, clariſſimi ducis, auſpiciis, in Pannonia Daciaque militaverat; Joannes Baptiſta Martinengius, ambo Brixienſes; Jacobus Juſtus, Auguſtini filius, Veronenſis, in Belgio bellicis ſtudiis eruditus; Antonius Saornianus, Utinenſis, uſu rerum, Venetaque nobilitate clarus. Annonæ vero militaris ſummus præfectus Hieronymus Cornelius eſt creatus. Quoniam vero inter ceteras Venetorum arces, quibus exſtruendis nullo unquam labori ſumptibuſque Senatus pepercit, Piſcherium, in Benaco lacu ad Mincii amnis fauces, vel ſitu vel opere præcipua cenſetur; ad eam exactius perluſtrandam & communiendam quinque cives lecti ſunt, qui, arcium exædificandarum ſcientiſſimis adhibitis, quid factu opus eſset, pro majori parte decernerent: Antonius Landus, continentis legatus; Hieronymus Cornelius, annonæ præfectus; Joannes Garzonius, Julii olim Saorniani, ſummi arcium architecti, ex ſorore nepos; Nicolaus Contarenus, qui tunc conſilii ſapientis magiſtratum gerebat; Benedictus Taleapetra, qui legatus in Carnis, Palmæ præfuerat.

Hieronymus Cornelio ſummus annonæ præfectus.

Legati ad Piſcherii munitionē inviſendam.

Hæc ad terreſtris imperii defenſionem ſummo ſtudio a Senatu parabantur. Atque interea, quid de Italiæ rebus Philippus ſtatueret, ſumma cunctorum animi ſuſpenſione detinebantur; qui de iis, quæ Haſtæ conventa fuerant, deque Gandiæ, quo tempore de pace agebatur, oppido tentato, cum certior eſſet factus; pacta improbavit, ſuæ dignitatis non eſse exiſtimans, ex æquo cum Sabaudiæ Duce agere; obtundi illius faſtum, nimium elatos ſpiritus opprimi oportere; neque, ut regiæ majeſtati tenebræ offundantur, ferendum eſse. Galli quoque Rambolietum carpebant: nullam regii decoris rationem habuiſse: ut pactis adſentiretur facultatem non

1615 non obtinuiſſe: non, uti oportebat, Mantuani Ducis cauſam tutatum fuiſſe. Vix dici poteſt, quam hæc Philippi conſilia Italis Principibus, atque iis præcipue, qui potentia, opibus, auctoritate, & libertate inter ceteros eminebant, gravia ac moleſta eſſent, unius oppreſſione aditum ad alios opprimendos fieri opinantibus. Sabaudus imprimis Hiſpanorum libidini expoſitus, acriori ſtudio exercitum augere, milites undique conquirere, pecunias colligere, quas ſubjecti eximie in Carolum, totamque Sabaudiæ domum affecti, munifice conferebant; ac licet ob id Niceæ (incertum unde) tumultus plebis exortus fuiſſet, cito tamen deferbuerat. Reges quin etiam ac Principes acrius urgebat; quam ad potentiſſimi Regis in ſuam perniciem anhelantis impetum ſuſtinendum impar eſſet, ſignificabat.

A Senatu per Scaleam perque Zenum, ne ſe deſereret, petebat; Italiæ Principum libertatem ne imminui ac labefactari pateretur. Ut vehementius quoque Patres ad ſuum patrocinium ſuſcipiendum impelleret, Dutlejo Carletonio auctor fuerat, ut de rerum Italicarum ſtatu in Collegio diſſereret; qui gravi ac prolixa oratione in Hiſpanos invectus, eorum artes & conſilia eſt perſequutus: *Gradus ab iis ad monarchiam ſterni: in Italia principatum jamdiu expetiviſſe; modo palam pro eo adipiſcendo niti: cur igitur cunctandum, cur Hiſpanorum libidini non obſiſtendum? Majorum exempla ob oculos ponerent (quid enim aliarum Rerumpublicarum egregia geſta commemoraret?) ſe Venetorum Hiſtoriam aſſidue lectitantem, apud Marcum Antonium Sabellicum inveniſſe, Philippo Vicecomite in Italia ſummis imperii incrementis auctо, cum in Rempublicam Florentinam arma movisſet, ac jam, adſpirante fortuna, cladibus variis affectum, prope oppreſſiſſet; Senatum generoſo animo obſiſtere, Florentiniſque opem ferre decreviſſe, ne unius dominandi cupido in aliorum exitium excreſceret; ex quo & antica Reſpublica ab interitu vindicata, & haud exigua imperii accеſſio vobis facta fuit. Quid vero? quod Paulus Paruta, qui nuper in conſcribendis rebus veſtris excellentis ingenii laudem tulit, commemorat, inter Carolum quintum Imperatorem ac Franciſcum Galliæ Regem, Republica ſeclusa, pace icta, majores* ve-

Dutlejī Carletonii, Angli oratoris, ad Venetos oratio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1615 *veſtros nihil demiſſe, nihil minus generoſe, ſed, veteri retento ſplendore, ex Reipublicæ dignitate agere ſtatuiſſe; unde ſane & ad illam conſtantiæ eximia laus & fama, & ad cunctos Italiæ Principes haud exigua incolumitatis & libertatis decora provenere. Hæc vos incitare ac mirifice inflammare debent, ne amico Principi atque ad veſtram opem confugienti deeſſe velitis. Ejuſdem conſilii ſocium Magnæ Britanniæ Regem alioſque Regis amicos habebitis, qui ſummo ſtudio ad Carolum ſublevandum, Hiſpanorum conatus obtundendos, confluent; quo fiet, ut veſtris aliorumque Principum opibus Carolus ab Hiſpanorum armis ſummo Italiæ totius beneficio vindicetur; vel, quod certe ſperare juvat, perhonorifica pax conficiatur.* His atque aliis in eamdem ſententiam a Carletonio dictis, Senatus conſulto reſponſum eſt: *Regis conſilia, quæ a prudentiſſimo Principe proficiſcerentur, a Senatu, uti decet, magni fieri: vigere in Republica idem Italiæ ſecuritatis ac libertatis deſiderium; ut pax cum dignitate obtineatur, omni ſtudio incubituram; ſi quid eam juvet, oſtenſum ſit, ultro libenterque facturam: interim Regem hortari, ut auctoritate, qua plurimum poſſit, uti velit, eamque ſibi, quam hactenus, qui adnixi fuerant, adipiſci nequiverant, gloriam comparet; ſperare, quod in cunctorum votis eſt, ad finem tandem perductum iri: ſin ſecus Deo Optimo Maximo viſum ſit, ut nullis humanis vel officiis vel viribus obtineri pax queat, eamdem ſemper Rempublicam in dignitate ac libertate Italiæ tuenda futuram, ac ſua conſilia ad hanc veluti certam metam dirigi cunctis indicaturam.*

Interea vero ſumma ope Senatus nitebatur, ut ad externorum militum auxilia excipienda ſibi aditum patefaceret, cum ex Italorum Principum ditionibus, qui ſubjectos alio militatum ire vetuerant, copias colligere admodum difficile eſſet, neque proprio tantum milite bellorum impetus ſuſtineri poſſent. Itaque cum anno milleſimo ſexcenteſimo decimotertio Gregorium Barbadicum, quem legatum in Angliam deſignaverat, per Rhætos atque Helvetios proficiſcentem, pertentare illarum gentium animos juſſiſſet, nec non Helvetiorum pagorum pleroſque egregie in Rempublicam Venetumque nomen animatos cognoviſſet; Senatus juſſu cum Tigurinis ac Ber-

Gregorius Barbadicus, fœdere cum Tigurinis & Bernatibus inito, in Rhætos tranſit.

Bernatibus certis conditionibus fœdus inierat, ea lege, niſi, 1615
ut per Rhætos iter in fines Reipublicæ panderetur, irritum foret. Cumque quatuor Helvetiorum millia ab iis civitatibus impetraſſet, eumdem Barbadicum in Rhætos proficiſci juſſit, qui a trium fœderum pagis tranſitum peteret; ni id obtinere poſſet, de veteri innovanda ſocietate, opimis adjectis præmiis, ageret. Verum cum eo acceſſiſſet, quamplurimis objectis impedimentis, conflictabatur. Plerique præteritis ſucceſſibus perterriti, Hiſpanorum invidiam verebantur, qui ſuperioribus annis ob fœdus cum Republica ictum, variis illos incommodis affecerant; Fuentanam munitionem objecerant; exportandi ex Inſubribus commeatus facultatem interdixerant: ingentibus quoque opibus fœdus inſtrui, & cum pecuniam tum auxilia a Republica flagitabant. Quodque magis obſtare videbatur, Galli æque ac Hiſpani oppugnantes, omnibus machinis adhibitis, tranſitum & confœderationem impedire conabantur. Ita enim ea tempeſtate natura, inſtitutis, genio, adverſæ hæ nationes ſimul coierant, non ſine regii ſtemmatis aliorumque procerum querelis, qui peſſimo exemplo veteres Gallorum amicos oppugnari ac deſeri æquo animo pati non poſſent.

Hoc pacto inter Rhætos res fluctuabant. Cum altera ex parte omnia ad bellum ab Allobroge atque Mendozza compararentur. Is autem Italorum Principum auxiliares copias enixe flagitabat; atque ejuſmodi erat Italiæ ſtatus, ut vertigine veluti correpti, cuncti in proprium atque in commune exitium ruerent. Nam Franciſcus Maria Urbini Dux tria peditum millia, Ranutius Parmæ ac Placentiæ Dux bina, Lucenſes tria millia miſere. Coſmus Magnus Hetruriæ Dux, Philippi beneficio Senas obtinens, qui ad Inſubrum tutionem quatuor peditum millia præſtare debebat, licet cunctatione uſus fuiſſet, quod Hiſpanorum in Italia incrementa minime ſibi probarentur, attamen duo millia attribuit, ea conditione, ut ex Mediolani ditionibus non exirent: reliquum vero, numerata pecunia, ſibi aſſignari gubernator poſtulabat; cumque ex Hiſpania per Regis literas ad eam perſolvendam Dux impelleretur, a Mendozza, quoad rationes ſuas Regi ſignificaret, ſuperſederi petebat. Mutina Dux tantum, licet Regi obnoxius,

Hiſpanorum exercitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1615 xius, exſors fuit, eam fortaſſe ob cauſam, quod iniquum Hiſpani exiſtimarent, Principem affinitate cum Sabaudo conjunctum, ad arma adverſus ipſum ſumenda compellere. Genuenſes vero ab auxiliis palam exhibendis abſtinuere, tranſitu tantum regiis copiis per ſuos fines, non ſine Sabaudi offenſione, permiſſo.

Hæc Italorum auxilia, non tam ad bellum gerendum, quam ad Principum animos in fide retinendos, Regiſque auctoritatem fovendam, ſummo ſtudio a Mendozza conquiſita fuerant. Nam robur exercitus in veteranorum Hiſpanorum militum numero, Galliæ Ciſalpinæ ac Neapolitani regni copiis ſitum videbatur. Sex enim Inſubrum, totidem Neapolitanorum, Hiſpanorum item ſex millia adnumerabantur; Helvetiorum tantumdem ac Germanorum accedebat, qui, objectis multis itinerum impedimentis, Helvetiorum pagis aliquot tranſitum pernegantibus, vix in Inſubres pervenere; equitum ad duo millia, partim ex Mediolani ditionibus, partim ex Neapolitano regno cenſebantur. Quadraginta bellatorum millibus, qui Hiſpanorum res agebant, conſtare exercitum affirmabant, licet triginta millium ſummam revera non ſuperaret. Sabaudi copiæ decem ac ſeptem millium numerum explebant, quæ Allobroge, Gallo, atque Helvetio milite continebantur; Helvetii quatuor, Galli ſex, Allobroges ſeptem millia erant, præter Subalpinorum ordinum milites: ad hæc octingenti thoracati equites, militiæ flos, quos Carolus & pace & bello ad omnia pericula ſubeunda aſſiduis exercitationibus duraverat.

Sabaudiæ Ducis copiæ.

Dum hæc utrimque geruntur, a Philippo ex Hiſpaniis literæ ad Mendozzam perlatæ: *Quæ ad Haſtam conventa ſint, minime ſibi probari; verum ſi Carolus aliqua in ipſum reverentiæ atque obſequii argumenta edat, tunc ſatis ſibi factum iri exiſtimaturum.* Itaque, aliis prætermiſſis, in eo tantum rei cardo vertebatur, ut, reverentiæ aliquo ſigno exhibito, Regis gratiam dimiſſionemque exercitus Carolus demereretur. Variæ formulæ, quæ & ab Allobroge amplecti, atque ab Hiſpano recipi poſſent, in ſcripta redigebantur; idque omnibus, ac iis præſertim, qui uſu ac præteritarum rerum memoria excellebant, mirandum videbatur, tot coactas copias, tantam pecuniæ inſumptam vim, ingentes in Italorum Principum animis injectas ſuſpiciones eo evaſiſſe, ut inanium verborum decertatione jam comprimi motus poſſe, plerique crederent. Sed cum nihil, quo ambobus ſatisfieret, occurreret, nuſquam rei exitus inveniebatur; Sabauduſque militari virtute accenſus, omni ſpe pacis abjecta, cuncta ad bellum meditabatur. Interceperat enim Philippi ad Mendozzam literas, quibus Carolum, quacumque ratione poſſet, coercere atque opprimere, neque prius de pace agere, quam regiis obtemperaſſet petitionibus, jubebatur. Mendozzam quoque damnabat, quod e Subalpinis in Inſubres cum exercitu ſe recepiſſet, munitione intra regios fines erecta, operæ precium ſe feciſſe exiſtimans; Haſtam, infirmum ſane Caroli oppidum non oppugnaſſet; Niceam non tentaſſet; exercitum otio ac deſidia torpere ſiviſſet. Quapropter, ut regium decus aliqua in parte ſarcire egregio aliquo facinore niteretur, hortabatur: nonnulla quoque iiſdem literis occultis conſcripta notis continebantur. His adeo Sabaudus inflammabatur, ut opes, imperium, vitam denique ipſam pro ſua retinenda dignitate effuſurus videretur; literaſque ipſas ad omnes Europæ Principes perferri, ſcriptumque typis evulgari mandavit, quo, quæcumque ab horum turbinum initio geſſerat, multis rationibus tuebatur: acerrime in Hiſpanos atque Mediolani gubernatorem præſertim invehebatur. Acriter quinetiam de Cæſaris miniſtris, deque Franciſco Caſtilioneo, qui imperialis proſcriptionis diploma ſibi indixerat, conquerebatur: in quo ſatis callide ſe Carolus geſſerat. Cum enim Caſtilioneus, qui illi Cæſaris nomine poſtremæ denunciationis mandata afferret, ignotum quemdam hominem miſiſſet, iſque nil ſimile Carolo cogitanti, alio obtentu, literas ingeſſiſſet; eum in carcerem conjici juſſerat, ſeque mandata minime accepiſſe diſſimulavit; literaſque latino ſermone iisdem typis ad Cæſarem ſcriptas emiſit, quibus in illius miniſtros, ab Hiſpanis corruptos, culpam omnem conferebat, ſuamque in eum obſervantiam multis argumentis probare adnitebatur.

Philippi Regis literæ a Sabaudo interceptæ.

Dum hæc in Italia fiunt, Galliæ Regina marchionem Syllerium in Hiſpaniam ad Philippum legatum miſerat; qui regie Madriti exceptus, de connubiis celebrandis conjugibuſque

Sabaudi Ducis calliditas in Cæſaris obnunciatione vitanda.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1615 que transmittendis, deque Italica pace egit : quam hisce conditionibus Philippus se amplexurum, atque cum Carolo in gratiam rediturum pollicebatur; si statim exercitum dimitteret; nullam se Mantuano illaturum injuriam polliceretur; quæ inter Carolum ac Mantuæ Ducem controversiæ intercederent, Cæsari dirimendas permitteret. Ea dum præstaret Galliarum Rex, vicissim Hispanos copias dimissuros, neque damni quidquam Carolo illaturos conceptis verbis sese obstringebat. Hæc in Hispaniis inter Reges de Italica pace conventa, cum in Italiam perveniissent, pleroque summa spe compleverant, brevi fore ut, aurea pace restituta, tot armorum suspicionumque turba discuteretur. Itaque vj. idus maji Rambolietus & Gaufferius, quem Galliæ Rex in Italiam miserat, cum Carolo ad Vallem Severam convenere; eique significarunt, Sylerium, ex Hispania redeuntem, Philippi sententiam attulisse; nihil aliud a Carolo Regem petere, nisi ut tot militum numero, quot ad suarum ditionum securitatem sit opus, retento, reliquas copias statim dimittat; controversiæ inter eum ac Mantuanum Cæsaris judicio permittantur; atque ipse interea ab injuria vique in Mantuanum abstineat: his peractis, oppida occupata, captivique restituentur; Philippusque de exercitu ita statuet, ut neque Carolus neque finitimi justa ulla suspicione perfundi possint. Sabaudus tempus ad respondendum petit, ut interea filiorum, qui Vercellis, legatorumque Principum, qui Augustæ Taurinorum erant, suorumque præconsultorum sententias exquireret. Sed multo quam antea majora impedimenta suboriebantur; Carolus namque, si primus arma deposuisset, neque eodem tempore a Rege copiæ dimitterentur, certam se Hispanorum prædam futurum verebatur. Quapropter, si dimittendus ei esset exercitus, idem quoque facturos Hispanos, certo constare sibi petebat. Neque exigua de milite, quem ad sui imperii præsidium aleret, controversia erat, quæ alias agitata componi nequiverant. De perduellionis quoque crimine reis diffidia vertebantur; neque enim, qui se bello juvissent, corporaque periculis ac neci objecta fuissent, ignaviter deserere æquum censebat.

Itaque, spe fere omni pacis abjecta, Mendozza cum exercitu, mense junio Mediolano discedens, Alexandriam venit. Carolus, lustratis copiis, in fines Insubrum illatus, Palestram oppidum cepit atque incendit, vicinosque agros depopulatus est. Idem quoque Mendozza cum in Hastensi feciisset, recta ad Hastam oppugnandam contendit, erectisque munitionibus, majoribus tormentis quatere mœnia cœpit. Carolus tumulos quosdam urbi objectos occupaverat, quibus communitis, summovere hostes ab urbis oppugnatione posse sibi suadebat. Verum Hispani primo impetu Sabaudum relinquere loca, quibus insederat, non absque suorum militum damno coegere; quo in congressu Calusii comes, Verruæ filius, vivus in potestatem hostium pervenit. Carolus vero, licet viribus ad impetum sustinendum impar, se se recepisset; id tamen ordinate adeo, atque ex militari præscripto fecerat, ut, nullo timoris signo edito, id potius sponte ac studio, quam coactus effeciisse videretur. Hispanorum prima cum Sabaudo congressione per Italiam vulgata, non deerant, qui Carolum acriter carperent, quod parum prudenter cum potentissimo Rege bellum suscepisset; brevique pœnas temeritatis daturum autumarent: quæ ita ab Hispanis efferebantur, ut jam Carolum perdomuisse sibi suaderent, palamque dictitarent.

1615 *Mendozza & Sabandus copias educunt.*

Calusii Comes ab Hispanis captus.

Ac sane Alphonsus Queua Patrum Collegium adit, atque in Carolum acerrime invehitur: *Hispanos omnes sui Regis eximiæ clementiæ ac bonitati illachrimari, qui tot sibi a Carolo illatas injurias oblitus, modo copias dimitteret, veniam daturum polliceretur: ingratum eum esse, qui tanti Regis beneficiis non deliniatur, non flectatur; imprudentem, qui tantum sibi persuaserit, ut cum omnium Regum, quos orbis terrarum sustinet, potentissimo, tot divitiis referto, tot provinciis regnisque imperanti, sibi dimicandum statuerit; denique supremo dignum supplicio, in quem cuncti, veluti contra amentem insurgant, atque a furioso arma e manibus extorqueant: jam, quo illius conatus evaserint, quo fastus ac jactantia evaserit, patere; victum ignaviter se recepisse; paucorum dierum spatio non modo Hasta, sed alias quoque Allobrogum ditionibus Regem summa felicitate potiturum.* In hanc sententiam hæc atque alia multa a Queva exaggerata sunt.

Alphonsus Queva, Hispanus Orator, in Sabaudum invehitur.

Paulo post Leonius, Regis Galliæ legatus, uti creditum est,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1615 est, ex, Quevæ condicto) ad Principem Patresque accedit: quæ Syllerius legatus in Hispania a Philippo impetrarit, commemorat; nil requiri, nil expeti amplius potuisse ostendit. *Quid enim æquius, quam ut a Carolo, qui prior arma sumpserit, copiæ dimittantur? quid justius, quam ut nulla immerenti Mantuano Duci damna inferantur? quid denique opportunius, quam ut obortæ inter Duces controversiæ Cæsaris judicio permittantur? Nil vel ad dignitatem præstantius, vel ad securitatem tutius totis concipere votis Carolum potuisse. Quid enim honestius, quam tot Principum efflagitationibus ac precibus flecti? quid tutius, quam ea in re Galliæ Regem sequestrem ac prædem habere, qui nihil adversus illum Hispanos tentaturos persancte polliceretur? Id si secus eveniat (quod sane de tanto Rege cogitare, nedum ambigere piaculum sit) Reginam ipsam, Galliamque omnem, Allobrogis patrocinio suscepto, illum adversus Hispanos aliosque quoslibet defensuram: his nisi acquiescat neque flectatur, a Rege ei bellum indicere Rambolietum jussum; in idque, sociatis armis, potentissimos Reges coituros: quæ cum ita se habeant, Senatum rogare, obsecrare, ut adhortator atque auctor, quæ pacta inter Reges sint, amplectendi Carolo esse velit: eo insitum Reipublicæ vetusque institutum Italicæ pacis servandæ retenturum: neque vero ambigere, utpote qui nosset, quantum apud eum & auctoritate & gratia Respublica valeat, quam Senatus consilia Carolus magni faceret, quin si ea in re laborare atque eniti velit, omnibus amotis impedimentis, pax conficiatur: Galliarum profecto Regem iis, qui paci faverint, amicum, iis, qui adversi fuerint, adversarium futurum.* Quoniam vero Carolus, dimisso exercitu, non satis se ab Hispano tutum fore verebatur, ac quid Philippus de suis decerneret copiis, solicitus erat, eademque de causa Itali Principes in magna animorum suspensione versari videbantur, dum, Sabaudo armis exuto, tantum virium adhuc ab Hispano retineretur; ad omnem ex mentibus suspicionem eximendam, Leonius, *copias subducturos Hispanos*, affirmavit. Cum vero verbum illud ita intelligi posset, ut adhuc copiæ integræ manerent; postridie ejus diei ad Collegium rediit, ac, repetita eorum, quæ pridie prolocutus fuerat, mentione, Syle-

Leonii, Galli oratoris, de Allobroge Duce oratio.

Sylerii perlectis literis, quibus totum negotium continebatur, 1615
Hispanos exercitum dimissuros, amplissimis verbis est testatus; neque vocis ambiguitate, qua usus fuisse videbatur, quemquam offendi oportere subjecit: *subducendi* enim verbo, quod Gallice *retirer* dicunt, tantumdem, quam solvere, aut dimittere exercitum significari. Hæc Leonius.

Sed multa gravissima in re deliberantibus obversabantur. Quemadmodum enim Italica pace, modo cum dignitate ac securitate fieret, nihil optatius Venetis accidere poterat; ita non parum Principum insitam dominandi libidinem, incerta pollicita suspecta habebant: *Non deesse diverticula, non mille fallendi species, iis qui potentia ac viribus eminerent; nusquam tutam regnandi fidem, nullum adeo constantem animum, qui nonnunquam, oblata imperii augendi spe, non everteretur. Quis, Sabaudo præsidiis nudato, Hispanos præpotenti exercitu septos, insitam gentis ingenio reliquis imperandi cupidinem cohibituros, tuto spondeat? Itaque plenam periculi rem esse, ut copias dimitteret, Sabaudo auctores esse, eumque ad pacta inter Reges amplexanda adigere. Quid enim, si tunc ille opem, si auxilia petierit, pernegari ne juste posse? Ita profecto se res humanas habere, ut qui semel ignari pedem in luto defixerint, revocare ne volentes quidem valeant; ex parvis initiis ingentia sæpe bella oriri: quapropter temperatius agendum, neque nimio pacis studio in majora incommoda præcipites ire oportere.* Hæc vario animorum æstu cum dissererentur, eam viam iniri placuit, ut, nulla mentione de conventis inter Reges facta, Leonio responderetur: *Nihil Reipublicæ Italiæ pace antiquius unquam extitisse; eadem consilia, idem studium hoc tempore in Senatu vigere; nullum officii, nullum adhortationis genus, quo Carolum ad pacem amplexandam impellat, prætermissurum; si quid præterea, quo eximium hoc bonum consequi posset, ei significaretur, libenter facturum.* Hæc Leonio: eodem Quevæ pacto responsum, deque Regis nec non Mendozzæ officiis, atque in Rempublicam propensa voluntate gratiæ actæ.

Interea vero acriter in Subalpinis dimicabatur; ac licet Hispani, ut mos gentis est, primæ belli initia prospera sibi ac felicia

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1615 obtigisse jactarent, perque omnem Italiam idipsum dissipatis sermonibus evulgandum curarent; attamen Carolus imperterritus, crebris irruptionibus ita Mendozzam affligebat, ut non adeo facile Hasta potiturum plerique arbitrarentur; levioraque certamina quotidie committebantur, in quibus Calusii carcerem Franciſci a Silva, Ducis Pastranæ fratris, captivitas pensavit; qui Taurinum perductus excessit. Erat in Carolo atque in Victorio, natu maximo ejus filio, ingens virtus: omnibus locis aderant, cuncta summo studio curabant, strenuorum militum ac fortissimorum ducum officia implebant. Carolo inter confertas hostium acies fortissime pugnanti, bini equi confossi sunt; Victorio Principi quoque inter dimicandum, quo vehebatur, equus transfixus est. Ceterum licet Allobrogi neque animus, neque ad pericula subeunda vigor deesset, viribus tamen impar ad sustinendam diutius Hispanorum multitudinem auxiliis externis destitutus habebatur. Nam præter Gallos aliquot milites, qui dispersi alpes transgrediebantur, atque ob turbida ac procacia ingenia oneri potius, quam subsidio erant, nulla certa aliunde auxilia adventabant. Nam Britanniæ Rex, quinquaginta aureorum millibus ad Maynium", ut Carolo præsto esset, in Galliam missis, satis sibi fecisse videbatur; quamvis ille, vel, ne Reginæ jussionibus minus obtemperans videretur, quæ Subalpino bello Gallis omnibus interdixerat, vel alia fortasse de causa, moras necteret. Laodigherius quoque, in quo Caroli omnes præcipue spes repositæ videbantur, cuique Verruæ comitem ad iter accelerandum miserat, speciosis verbis Ducis spem alendo cunctabatur. Neque Germani Principes adhuc de mittendis Allobrogi subsidiis quidquam certi decernebant. Batavi in Britanniæ Regem conversi, ex ejus consiliis penitus pendere videbantur; neque moturos quidquam constabat, nisi prior ipse validis viribus ac magno conatu tuendam Caroli causam suscepisset. Immo Joanni Nassovio equites conscribenti, atque ad opem ei afferendam iter in Italiam paranti, publico decreto, ut cœptis absisteret, jussum fuerat; quamvis ipse occulto, Comite Mauritio connivente, satis valida equitum manu, quam sexcentorum numerum æquare rumor erat, per Lotharingiam in Italiam profectionem adornaret.

Franciſcus a Silva a Sabaudis captus.

Britanniæ Rex pecuniam ad Maynium, ut Sabaudo subveniat, mittit.

His

His fiebat, ut Carolus in ancipti versaretur; atque hinc 1615
militaris gloriæ cupiditate ac spe incenderetur, inde dubio rerum eventu, ac belli totius summæ exitu deterreretur. Quocirca Senatus sententiam, consilium, opem difficillimo rerum statu efflagitabat: Zenusque legatus per dispositos equos his de rebus omnibus Senatum certiorem faciebat. Gravissima profecto res ac plena difficultatis semper est habita, in arduis negotiis, quæ plerumque exitu pensantur, consilium præbere. Attamen cum in Caroli causa publicam tranquillitatem sitam esse præconsultores animadverterent, ita cum eo agendum existimabant, ut neque nimia spe elatus, neque nimia ambigui eventus solicitudine distentus, deliberaret; sed cunctis subductis, id demum consilii caperet, quod ratio temporum, suarumque virium conditio pateretur. Itaque Zenum Senatus consulto Carolum adire, quam sua omnia cordi Reipublicæ sint, testari, egregiam Senatus voluntatem significare jubent. *Quod vero ad rerum præsentium statum attineat, quo loco res suæ sint, dispicere in utramque partem, rationum momenta expendere, se exactius neminem posse. Ceterum ut rebus omnibus imperii sui securitatem anteferat, pacemque, dummodo æquis conditionibus possit, amplectatur, Senatum censere.* Ex eo responso magna in Carolo animi mutatio consequuta est, atque in pacem multo quam antea magis propendere cœpit, cum præcipue nosset, non alio Senatus consilia, nisi ad Italicam securitatem libertatemque spectare. Itaque gratiis Senatui actis, Zeno, *Hispanis*, inquit, *adversus ea, quæ conventa fuerint, agentibus, atque iterum in me arma moventibus, ad meæ imperii tuitionem sese Respublica ne conceptis verbis obstringet? Ea in re Senatus mandata minime se habere*, Zenus respondit; *nihilominus, quæ illius mens sit, ut quamprimum certior fieret, curaturum.* Eadem Scalea, Caroli legatus, Patribus significat: ut Ducis patrocinium, si adversus pacta Hispani faciant, suscipere Senatus velit, obnixe petit.

Sabaudiæ Dux Senatus sententiam de pace exquirit.

Senatus responsum.

Ad Dutlejum Carletonium, Britanniæ Regis apud Rempublicam legatum, qui Taurinum de contulerat, ex Anglia literæ jam pervenerant, quibus Carolum ad pacem, propositis ab Hispano ac Gallo conditionibus, amplectendam hortari,

Sabaudus Rempublicam Hispanorum promissum eadem petit.

re-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1615 regiamque fidem, fallentibus Hiſpanis, ad illius defenſionem oppignerare jubebatur. Idemque Petrus Coſta, Savonæ Epiſcopus, Pontificis apud Sabaudum legatus, cui, Julio Sabello Romam profecto, graviſſimum onus impoſitum fuerat, facturus videbatur; cum præſertim ſeorſim, datis a Carolo literis, ab omni tutelæ munere exemptus Paulus fuiſſet: itaque ſi Reipublicæ voluntas ac pollicitatio accederet, jam pax confecta exiſtimabatur. Hæc cum Patres cogitarent, ne, ſi quod adeo enixe petebatur, pernegarent, belli cauſæ in eos conjicerentur, atque a concordia, quam ſemper ſummis votis concupiverant, abhorrere viderentur; ita Zeno reſcribendum Senatus conſulto decrevere: *Si pacis negotium eo deductum eſſe cognoverit, ut abſque Reipublicæ conſenſu promiſſiſque confici nequeat, conventa probet; Caroloque coram polliceatur, ſi pactis Hiſpani non ſteterint, una cum Galliarum Rege aliiſque Principibus præſto ſibi Venetos futuros.* Queva ac Leonius, Regum legati, de Senatus conſulto edocti, ſe magnam inde voluptatem cepiſſe, Patrum prudentia laudibus ſublata, ſignificarunt. Eadem Galliæ Regi Reginæque matri per Petrum Contarenum, Britanniæ vero Regi per Gregorium Barbadicum, ut ſignificarentur, juſſum. Quibus a Carolo cognitis, acrius vehementiuſque negotium urgere cœpit: ac ne quid, quo tractatio interturbaretur, accideret, induciis tempus extrahebatur; licet nonnunquam, incaleſcentibus ad pugnam animis, leviora certamina committerentur, uti præcipue xij. kal. julii contigit, qua die juſto prope prælio dimicatum eſt, in quo ea fortitudinis Carolus exempla dedit, ut cunctos in ſui admirationem attraxerit; dum milites adhortando, impellendo, inſignibus galeæ conſpicuus, in acie huc atque illuc, prout ratio poſtulabat, ducis ac militis officio fungeretur. Complures eo in conflictu ex Hiſpanis cecidere. At Carolus nulli magis, quam Reipublicæ fidere; nihil abſque illius auctoritate & conſilio decreturum, palam dictitare; ſponſione accepta rogare, inſtare, obſecrare: *Paci ſubſcribere Senatus vellet: jam fidem publicam obſtrinxiſſe, jam quid in ea re decreviſſet, cunctis patere; nunquam a promiſſis recedere Venetam Rempublicam conſuevisſe; cur una cum aliis Principibus pacta non probaret? cur palam ad ſe de-*

Certamen inter Hiſpanos & Sabaudos, & Caroli Ducis virtus.

defendendum non conveniret? cur denique ſibi laudem invideret, quæ ei imprimis ob Italiæ pacem partam ac reſtitutam deberetur? Cum Zenus hæc Senatui ſignificaſſet, omnes fere præconſultores, ſatis Carolo faciendum, exiſtimabant; ac ſi eo redactæ res eſſent, ut niſi a Republica ſubſciberetur, pax in diſcrimen vocari poſſet, tunc Zenus una cum Principum legatis Reipublicæ non ſolum verbo, ſed etiam ſcripto fidem obſtringeret. Unus ex continentis Sapientum ordine, Michael Foſcarenus, acerrime, ſed fruſtra præconſultorum ſententiam oppugnavit. Senatus conſultum enim factum; & Zeno, ut Caroli voluntati obſecundaret, pactiſque ſubſcriberet, mandatum. 1615

Senatus decretum de pace Haſtenſi ſubſcribenda.

FINIS.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

INDEX

Nominum propriorum, rerumque notabilium copioſiſſimus.

Prior quiſque numerus, characteribus romanis, hujus Hiſtoriæ tomum; poſterior, notis barbaris, ejuſdem tomi paginam denotat.

Quoniam vero operarum oſcitantia factum eſt, ut tomo tertio, cui paginæ inſcribi debebat nota 289. iterum inſcripta ſit nota 259. ideoque iidem numeri a 259. uſque ad 289. bis ſint repetiti; hoc aſteriſco * errorem, numerumque errore geminatum indicare duximus.

A

Abbioſus Abbas: Franciſci, Magni Etruriae ducis, orator. II. 682.
Abiatum: a Sfortia expugnatur. I. 92.
Abundius (*Auguſtinus*) ejus crimen & ſupplicium. I. 590. *& ſeqq.*
Achomates, turcarum imperator. III. 296. Reipublicæ adverſus Hiſpanos et pontificem claſſem offert. 365. 366. Magni pretii anchoram Juſto-Antonio Bellegnio dono mittit. 413. Amurathem viſirum adverſus Perſas mittit. 454. Deinde Naſuphum. 470. *& ſeqq.*
Adamas: a Franciſco j. Carolo v. donatus. I. 518. Ab Henrico iiij. Aloyſio Mocenico, Principi, donatus, in d. Marci theſauro aſſervatur. II. 595.
Adjuncti: quando praeconſultorum collegio, & qui primum creati. I. 432.
Adjuncti decemvirum: ipſorum inſtitutio, & abrogatio. III. 6. *& ſeqq.*
Adolfus, Suarcemburgius comes: Javarinum occupat. III. 238. Buda occupata, fruſtra arcem oppugnat. *ibid.*
Adurni: Genuae principatum gerunt. I. 234. Genua pelluntur. 235.
Adurnus (*Antoniottus*) Genuae dux. I. 46. Caſtellettum recipit. *ibid.*
Adurnus (*Hieronymus*) milites ex Germania Mediolanum ducit. I. 35. Franciſcum Sfortiam Tridento Ticinum deducit. 36. Caroli v. apud Venetos orator, illos ad foedus cum Cæſare hortatur. 57. Ejus obitus. 60.
Adurnus (*Hieronymus*) Ferdinandi regis ad Suleimanum legatus: ejus obitus. I. 612.
Aedes d. Marci Romæ: Venetis oratoribus perpetuo incolendae, a Pio iiij. reip. donantur. II. 206.
Aedes ad d. Franciſci Venetiis: pontificiis legatis perpetuo incolendae Senatusconſulto tribuuntur. III. 41.
Aedes Venetis oratoribus perpetuo incolendae, a Philippo ij. reip tribuuntur. II. 58.
Aegina: a turcis occupatur ac diripitur. I 462.
Aemilianus (*Jacobus*) principatus competitor. II. 239.
Aenobarbus. *Vide:* Hariadenus.
Aenona (*Nona*): a Venetis deſeritur. I. 503. Iterum munitur. 505. A Venetis complanatur. II. 287.
Agria: a Mehemete occupatur. III. 208.
Auguſta: ejus deſcriptio. III. * 260. Ab Epidauriis deficit. *262. *& ſeqq.* Ob eam reip. cum Epidauriis controverſiae. *262. *& ſeqq.* * 281. *& ſeqq.* 293.
Ahenobarbus. *Vide:* Hariadenus.
Ajax, viſirus: Suleimanum in Chriſtianos inſtigat. I. 422. Corcyram oppugnat. 457. De pace cum Venetis legato agit. 458. 476. Et cum Laurentio Gritto. 549. Ejus obitus. 560.
Alamannius (*Aloyſius*) ejus pater ab Henrico ij. Genuam miſſus. II. 31.
Alamannius (*Joannes*) Franciſci, magni Etruriae ducis, ad Pontium Principem orator. II. 645.
Alamannius (*Nicolaus*) navarum gallicarum triremium praefectus. II. 81.

Alarco

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODËR (2018)

Alarco (*Ferdinandus*) Hiſpanorum militum ductor. I. 83. Cum ſuis militibus Romam ingreditur. 224.
Alba-græca (*Belgrado*) a Suleimano occupatur. I. 30.
Alba-Julia (*Weiſſemburg*) a Ferdinandi copiis occupatur. II. 39. 42.
Alba-regalis: a Ferdinandi copiis occupatur. I. 581. Cur ita vocetur. 597. A Suleimano recipitur. *ibid.* A caeſareanis capta, arce fruſtra oppugnata, incendio abſumitur. III. 259. A Mercurii duce capitur. * 261.
Albanus. *Vide:* Toletanus (*Hernandus*) Albae dux.
Albanus (*Petrus*) a Senatu milites conſcribere jubetur. III. 369.
Albertus Auſtriacus, Cardinalis: Belgii gubernator. III. 210. 212. Iſabellam, Philippi ij. fil. ducit. 246. 248. 262. In Belgium redit. 263.
Albertus (*Antonius*) ordinum ſapiens: ad Janum Fulgoſium legatur. I. 297.
Albertus (*Jo.*) cum aliis Spalatenſibus in Cliſſae expugnatione Uſcocchis ſe adjungit. III. 201. Ejus caedes. 208.
Albona: fruſtra ab Uſcocchis invaditur. III. 251.
Aldobrandinus (*Hippolytus*) *vide:* Clemens viij.
Aldobrandinus (*Jo. Franciſcus*) pontificiarum copiarum imperator, in Pannoniam mittitur. III. 196. Venetias advenit. *ibid.*
Aldobrandinus (*Petrus*) Cardinalis: expeditionis Ferrarienſis princeps. III. 228. Legatus in Galliam, ad conciliandas inter eum regem & Sabaudiæ ducem controverſias. 274. Nuptias inter Henricum iiij. & Mariam Mediceam celebrat. 275.
Aleander (*Hieronymus*) Cardinalis. I. 511.
Aleardus (*Alexander*) eques: cùm Rhaetis agit de foedere inter ipſos & remp. iciendo. III. 258.
Alexander: Henrici iiij. ex Belfortia filius. III. 263.
Alexander (*Vincentius*) fruſtra nititur Tamaſum, Perſarum regem, adverſus turcas concitare. II. 274.
Alexandria in Inſubria: a Caeſareanis occupatur. I. 33. 94.
Alexium: fruſtra a Venetis invaditur. II. 349.
Alfonſus j. Ferrariæ dux: Finalem & Sanctum Felicem occupat. I. 17. A pontificiis funditur. 18. Loca multa recipit. 30. Caeſari accedit. 197. Tum foederatis in Caeſarem. 249.
Alfonſus ij. Ferrariæ dux. II. 152. Barbaram Auſtriacam ducit. 216. Ejus cum Pio v. diſſidia. 274. Ejus Venetias adventus. 590. A Gregorio xiiij. facultatem petit tranſmittendi ſua jura in poſteros ſuæ gentis. III. 142. Moriens, Caeſarem Ateſtinum heredem relinquit. 219.
Algerium: fruſtra a Carolo v. invaditur. I. 584.
Alliata (*Jo. Baptiſta*) Hieroſolymitanorum equitum apud Venetos orator. II. 75.
Allobrogum dux: *Duca di Saveja. Vide:* Philibertus-Emanuel: Carolus-Emanuel.
Alonſus (*Martinus*) Philippi ij. ad Venetos orator. II. 92.
Aloyſius, Caeſaris Mutinæ ducis fil. in Lucenſes arma ſtrenue infert. III. 493. In reip. militiam adſcribitur. 494. Milites a ſe conſcriptos Veronam mittit. 508.
Altempſius (*Annibal*) Germanorum peditum in Numidica expeditione ductor. II. 207.
Altempſius (*Marcus-Sciticus*) cardinalis: tridentinae ſynodi praeſes. II. 169.
Amalphis: a Venetis occupatur. I. 318.
Amatrice: a Venetis occupatur. I. 291. Ab Arauſionenſi recipitur. 308.
Amathus (*Limiſſo*) ejus deſcriptio. II. 258.
Ambianum (*Amiens*) ab Henrico iiij. recipitur. III. 217.
Amphimala (*Suda*) ejus muniendae Senatus decretum. III. 471.
Amulius (*Antonius*) Cretae dux: ſeditionem ſedat. I. 540. Conſilii ſapiens. II. 534.
Amulius (*Auguſtinus*) claſſis legatus. I. 51. Legatus cis Mincium. 196. Iterum claſſis legatus, ad Neapolitanam expeditionem proficiſcitur. 203. Corcyram migrat ad reficiendam claſſem. 227. Adverſus piratas mittitur. 250.
Amulius (*Jo.*) ad Ferdinandum, Mantuae ducem, orator. III. 489.
Amulius (*Laurentius*) Sabbam piratam captum interficit. I. 634. Idcirco exſilio mulctatus, mox revocatur. 635. Cretae legatus cum imperio. II. 264.
Amulius (*Marcus-Antonius*) Veronae praefectus, ad Philippum ij. orator. II. 141. 149. Apud Pium iiij. 153. & apud Paullum iiij. orator, Veronenſis Epiſcopus deſignatur. 162. & *ſeqq.* Cardinalis eligitur. 169.
Amurathes, turcarum imperator: ejus elogium. II. 601. Bellum perſicum decernit. 637. Pace cum perſis inita, conſulit ſuos de nova expeditione ſuſcipienda. III. 150. Pannonicum bellum decernit. 156. & movet. 156. 171. Ejus de invadenda Sennia conſilium. 179. Ejus obitus. 188.
Amurathes: vigintiquinque turcicarum triremium praefectus. II. 292.
Amurathes Dragutes: minorum navigiorum ductor, in pugna ad Echinadas. II. 484.
Ancona: a Julio iij. Vincentio Nobili traditur. II. 12. A Gregorio xiij. 602. & a Pio v. munitur. II. 241.
Angli: quando primum in orientem navigarunt. III. 20.
Angli praedones: Veneta navigia diripiunt. III. * 269.
Angliae regina. *Vide*: Eliſabetha: Maria.
Angliae rex. *Vide:* Henricus viij. Edvardus vj. Jacobus.
Anguillariae comes. *Vide*: Urſinus (*Virginius*)
Anguſciola (*Jo.*) mediolanenſis Senator: dirimendae de Ollii finibus controverſiae legatur. II. 140. 150. 170.
Anna, Jacobi magnae Britanniae regis uxſor. III. * 278.
Annas, Joſeuſae dux: ejus Venetias adventus. III. 27.
Annonae caritas: tota Italia. I. 568. II. 18. III. 133. In Venetis ditionibus. II. 103. 146. 248. III. 108. 133. Tota Italia, praeterquam in Venetis ditionibus. III. 358.
Annus: a Gregorio xiij. reformatur. III. 15.
Antelmius (*Valerius*) Senatus a ſecretis: reip. negotia Mediolani agit. III. 278.
Antibaris: fruſtra a turcis invaditur. I. 502. Ab iiſdem occupatur. II. 403.
Antipolis (*Antibo*) a Carolo v. expugnatur & diruitur. I. 417.
Antium (*Nettuno*) a Carafaeis occupatur. II. 83.
Antonianus (*Silvius*) Clementis viij. nomine Luxemburgio, Henrici iiij. oratori, reſpondet. III. 218.
Antonius, Ludovici Luſitaniæ principis fil. quibus titulis Luſitaniæ regnum poſtularet. II. 665. Regem ſe nuncupat. *ibid.* Vincitur ab Albano duce. 667. In Galliam confugit. 679. Gallorum turcarumque opem implorat. III. 20.
Antonius, Navarræ rex: ſummus gallicarum copiarum praefectus. II. 167. Catholicis adverſus Ugonottas ſe adjungit. 182. Ejus caedes. 190.
Antonius, Pragenſis archiepiſcopus. *Vide*: de Muglitio (*Antonius*)
Aphrodiſium (*Africa, oppidum*) a Dragute occupatur. II. 13. Ab Andrea Auria recipitur. *ibid.*
Aquae ſextiae (*Aix*) Hiſpanis ſe dedunt. I. 100.
Aquavivius (*Horatius*) neapolitanorum militum in foederatorum claſſe praefectus. II. 535.
Aquavivius (*Jo. Antonius*) reip. ſtipendiarius. II. 391. Milites ad turcicum bellum cogit. 414. 477. Ad Malgaritini expeditionem vadit. 500. Duum millium peditum in Veneta claſſe praefectus. 535. In turcas fortiter pugnat. 549.
Aquila: a Venetis occupatur. I. 291. Ab Arauſionenſi recipitur. 308.
Arabes: tumultus adverſus Selymum cient. I. 243. 247. Comprimuntur. 248.
Arachiae portus: fruſtra ab Hiſpanis invaditur. III. 405. Ab iiſdem occupatur. 455.
Aragonius (*Carolus*) Lanoji legatus: Patres ad retinendum cum Caeſare foedus hortatur. I. 112. & *ſeqq.*
Aragonius (*Octavius*) ſicularum triremium praefectus: ſeptem turcicas triremes capit. III. 496.
Aramonius (*Gabriel*) melitenſium equitum, qui Lepti erant, ſaluti conſulit. II. 33.
ab Aratro (*Baptiſtella*) romanos neapolitanoſque fines latrociniis infeſtat. III. 109. Stipendiis Venetis adſcribitur. 151. Marcum Sciarram interficit. 157.
Arauſionenſis princeps (*Principe d'Oranges*) *Vide:* Philibertus.
Arci princeps (*Jacobus*) Ferdinandi, Mantuae ducis, orator. III. 479.
Ardechius (*Ferdinandus*) Javarinum turcis dedit. III. 182.
Aretium: a Vaſtio occupatur. I. 340.
Arietis morbus in Italia. II. 672.
Arigonius (*Leo*) a Muſſiano praefecto ad Sfortiam legatur. I. 365.
Ariminenſis (*Jo. Baptiſta*) ejus in turcas eruptio & obitus. II. 312.
Arius (*Aloyſius*) Neocaſtrum adverſus turcas propugnat. I. 559. Arcem dedit. 560.
Armius (*Ludovicus*) ejus crimen & ſupplicium. I. 625.
Armerius (*Aloyſius*) claſſis legatus. I. 176.
Armerius (*Jacobus*) majoris navigii praefectus. I. 435.
Arona: fruſtra a Laurentio Cerite invaditur. I. 85.
Aſcrivium (*Cattaro*) fortiter a Jo. Matthaeo Bembo propugnatur. I. 560. Terraemotu concutitur. II. 203.
Aſculanus (*Antonius*) militum praefectus: Tamaſſum propugnans, vulneratur. II. 441.
Aſta (*Aſti*) ab Hiſpanis oppugnatur. III. 515. A Carolo-Emanuele fortiter defenditur. 518.
Aſtronomi: de Paulli v. vita ab ejus fratribus conſuluntur. III. 308.
Aſtympalea (*Stampalia*) inſula Quirinae gentis ſubjecta: a turcis capitur & diripitur. I. 462.
Aternum (*Peſcara*) a Piali fruſtra invaditur. III. 221.
Avalus (*Carolus*) in foederatorum claſſe adverſus Selymum claſſe. II. 416.
Averſa: a caeſareanis recipitur. I. 283.
Auguſta in Sicilia: a Siculis capitur & diripitur. II. 32.
Avogarius (*Matthaeus*) doctor & eques: arbiter in controverſia inter remp. & Auſtriacos. I. 350. 384.
Avogarius (*Octavius*) cum exſulum turma in Venetis finibus latrocinatur. III. [illegible]. Florentiam [illegible] recipit. [illegible]
Avogarius (*Petrus*) reipublicae ſtipendiarius. II. 391. Duo millium milites conſcribere, a Senatu jubetur. III. 369.
Aurelianum (*Orleans*) a Condaeo occupatur. II. 182.
Auria (*Andreas*) claſſis pontificiae praefectus. [illegible] I. 94.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

I. 94. Puteolos fruſtra aggreditur . 203. Franciſci ij. ſtipendia facit. 228. Genuenſium triremibus potitur. 234. Carolo v. accedit. 280. Patriam in libertatem vindicat. 283. Reip. operam ſuam defert, ad pacem cum Carolo ineundam. 324. Caeſarae claſſis imperator. 376. Ejus artes, ut venetam claſſem ſibi adverſus turcas adjungat. 377. 435. 443. Coronem & Patras occupat. 377. Hiſpanis Corone obſeſſis opitulatur. 387. Ejus in tunetana expeditione virtus. 410. In Provinciam cum claſſe contendit. 417. In orientem proficiſcitur. 434. Janusbeji triremes capit. 441. Ejus ad Piſaurum literae interceptae, ad Suleimanum deferuntur. 443. Hariadeni claſſi cladem infert. 444. Venetae claſſi conjungere ſe abnuit. 455. 456. Foederatae claſſis adverſus turcas imperator. 479. 493. Corcyram advenit. 521. Mediam aciem, in congreſſu ad Nicopolim, ducit. 522. Rei bene gerendae occaſionem amittit. 526. 530. Ejus ſuſpecta conſilia, atque in ipſum jacta convicia. 532. In Siciliam cum claſſe redit. 537. Aphrodiſium & Caneſtrium recipit. II. 13. Renuit iterum ſe Venetae claſſi adjungere. 293. Venetae claſſi ſe adjungit. 300. Ejus animus ab auxiliis in Cyprum importandis averſus. 322. In occidentem remeat. 328.

Auria (*Andreas*) Ad Algerii expeditionem proficiſcitur. III. 28<. & ſeqq.

Auria (*Antonius*) I. 493. 496. In foederatorum claſſe advertus turcas. II. 416.

